www.e-rara.ch

M. Tullii Ciceronis epistolae ad Atticum, ad M. Brutum, ad Quintum fratrem, summa diligentia castigatae, ut in iis menda, quae plurima erant, paucissima jam supersint. Pauli Manutii in easdem ...

Cicéron

Parisiis, 1543

Bibliothèque de Genève

Shelf Mark: BGE Cth 3289 BGE Hd 1409

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-42672

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

M. TVLLII CICERONIS EPIstolæ ad Atticum, ad M. Brutum, ad Quintum fratrem, summa diligentia castigatæ, ut in ijs menda, quæ plurima erant, paucissima iam supersint.

PAVLI MANVTII IN EAsdem epistolas Scholia, quibus abditi locorum sensus ostenduntur, cum explicatione castigationum, quæ in his epistolis penè innumerabiles factæ sunt.

PARISIIS.

Ex officina Rob. Stephani typographi Regij.

M. D XLIII.

BIBLIOTHEQUE PUBLIQUE DE GENÈVE

GVLIELMO PELLICERRIO
episcopo Monspessulanensi, Christianissimi Galliæ Regis Oratori sapientissimo, & eloquētissimo Paulus Manutius Aldi F. Sal. D.

QVOquisque in nos animo sit, difficile est iudicare: neque ferè quicquam est, quod intelligi minus possit, propterea quòd à simulatione uoluntas non facile distinguitur: tamen dubitare te non arbitror, quin ego is in te colendo sim, qui esse debeo: secus enim si esset, me tu certe quantum amas, non amares. quanquam non hoc modo facis: etenim beneficio etiam obstringis. beneficium autem illud est, quòd mihi ad restituendos ueterum libros omnia, quæ in te sunt, quæ intelligo esse maxima, & pollicēris, & defers. quam tuam liberalitatem eo pluris facio, quòd eam tu condire soles humanitate sermonis: qua factum est, ut non ego solum, sed omnis hæc te ciuitas mirificè diligat. nam de doctrina tua, de probitate quis erat qui iam antea non audisset? quæ quanquam eiusmodi sint, ut ipsa per se beneuolentiam, & gratiam concilient: tamen, cum hæc orationis comitas accēdit, multo pluris æstimantur. itaque in hoc legationis munere fungendo qui maiorem aut gratiam à nostris hominibus inuerit, aut uirtutis opinionem tulerit, arbitror fuisse neminem. sed apud me præcipua sunt merita: quæ equidem, si possim, cupio remunerare: sed mihi gratiæ reddendæ rationem sentio esse perdifficilem. non enim quæ tibi ad beneme rendum, eadem est nobis ad remunerandum facultas. Quare quoniam, quod debeo, soluere non possum: ueritus, ne tu malum nomen me putares, cœpi consilium

mittendi ad te quasi prædes harum epistolarum libros. quos tibi non puto à me esse commendandos: nã & tu eos iampridem bene nosti: & prædes commendare, debitoris non est. tãtum te rogo, ut si me tibi eam quam debeo, præstare obseruantiam intelligis, tu me eo, quo instituisti, prosequi amore ne desinas. Vale.

STVDIOSIS.

A D Latinæ *linguæ cognitionem, ut ego existimo, plus afferre nõ potest ullus liber, quàm quæ ad* Atticum *scriptæ sunt epistolæ. sed eas hactenus propter infinita menda paucissimi attingere sunt ausi. quæ me ratio cum hortari uideretur, ut ad earum emendationem, quicquid operæ, quicquid possem industriæ, conferrem: feci, & opus aggressus sum sanè difficillimum: in quo tamen quantum studij posuerim, non pœnitet: nam ferè lectorem offendere quæ poterant, sublata sunt omnia: ut demœps liber omnium elegantissimus & legi ab omnibus, & intelligi satis commode possit.* Interpretationes locorũ *difficilium adiectæ sunt in extremo, quas legentibus non fore prorsus inutiles arbitramur.*

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T. POMPONIVM ATTICVM LIBER I.

CICERO ATTICO S.

PETITIONIS nostræ, quam tibi summæ curæ esse scio, huiusmodi ratio est, quod adhuc coniectura prouideri possit. Prensat unus P. Galba, sine fuco ac fallacijs, more maiorum. negatur. Vt opinio est hominum, non aliena rationi nostræ fuit illius hæc præpropera prensatio. nam illi ita negant uulgo, ut mihi se debere dicant. ita quiddam spero nobis profici, cum hoc percrebrescit, plurimos nostros amicos mueniri. nos autem initium prensandi facere cogitaramus eo ipso tempore, quo tuum puerum cum his literis proficisci Cmcius dicebat. In campo, comitijs tribunitijs ad XVI Cal. Sext. competitores, qui certi esse uidebantur, Galba, & Antonius, & Q. Cornificius. puto te in hoc aut risisse, aut ingemuisse, ut frontem ferias, sunt. qui etiam Cæsonium putent. Aquilium non arbitrantur: qui denegauit, & iurauit morbum, & illud suum regnum iudiciale opposuit. Catilina, si iudicatum erit meridie non lucere, certus erit competitor. de Aufidio & Paliano, non puto te expectare, dum scribam. de ijs qui nunc petunt, Cæsar certus putatur. Thermus cum Syllano contendere existimatur: qui sic inopes & ab amicis, & existimatione sunt,

ut mihi uideatur non esse ἀδύνατον Curium obdu- caurũ. b.
cere: sed hoc præter me nemini uidetur. nostris ra- mei ne
tionibus maxime conducere uidetur, Thermum fieri mimime. b.
cum Cæsare. nemo est enim ex ijs qui nunc petunt, qui
si in nostrum annum reciderit, firmior candidatus fo-
re uideatur, propterea quòd curator est uiæ Flami-
* nię: quæ cum erit absoluta, sanè facile eum libenter in hac. b.
nunc cæteri Cõsuli acciderint. Petitorum hæc est ad-
huc informata cogitatio. nos in omni munere can-
datorio fungendo summam adhibebimus diligentiam:
& fortasse, quoniã uidetur in suffragijs multum pos-
se Gallia, cum Romæ à iudicijs forum refrixerit, excur
remus mense Septembri legati ad Pisonem, ut Ianua-
rio reuertamur. Cum perspexero uoluntates nobilium,
scribã ad te. cætera spero prolixa esse, his dũtaxat ur-
banis competitoribus. illam manum tu mihi cura ut
præstes, quoniam propius abes, Pompeij nostri amici.
nega me ei iratum fore, si ad mea comitia non ue-
adque. b. nerit. atque hæc huiusmodi sunt. Sed est, quod abs
te mihi ignosci peruelim. Cæcilius auunculus tuus, à
P. Vario cum magna pecunia fraudaretur, agere cœ- ecimo. b.
pit cum eius fratre Caninio Satyro de ijs rebus, quas
eum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret.
unà agebant cæteri creditores, in quibus erat Lucul-
lus, & P. Scipio, & is quem putabant magistrum fo-
re, si bona uenirent, L. Pontius. uerum hoc ridiculum
est, de magistro nunc cognoscere. rogauit me Cæcilius,
ut adessem contra Satyrum. dies ferè nullus est, quin
hic Satyrus domum meam uentitet. obseruat L. Domi-
tium maxime: me habet proximum. fuit & mihi, &
Quinto fratri magno usui in nostris petitionibus. sa-

nè sum perturbatus, cum ipsius Satyri familiaritate, tum Domitij, in quo uno maxime ambitio nostra nititur. demonstraui hæc Cæcilio: simul & illud ostendi, si ipse unus cum illo uno contenderet, me ei satisfacturum fuisse. nunc in causa uniuersorum creditorum, hominum præsertim amplissimorum, qui sine eo, quē Cæcilius suo nomine perhiberet, facile communem causam sustinerent, æquum esse, eum & officio meo consulere, & tempori. durius accipere hoc mihi uisus est, quàm uellem, & quàm homines belli solent: & postea prorsus ab instituta nostra paucorum dierum consuetudine longe refugit. Abs te peto, ut mihi hoc ignoscas, & me existimes humanitate esse prohibitum, ne contra amici summam existimationem miserrimo eius tempore uenirem, cum is omnia sua studia, & officia in me contulisset. quòd si uoles in me esse durior, ambitionem mihi putabis obstitisse. Ego autem arbitror, etiam si id sit, mihi ignoscendum esse. θεῖον γὰρ ἀγαθὸν ἡ τιμή. uides enim in quo cursu sumus, & quàm omnes gratias non modo retinendas, uerum etiam acquirendas putemus. spero tibi me causam probasse, cupio quidem certe. Hermathena tua ualde me delectat, & posita ita belle est, ut totum gymnasium ἑρμαθήνα esse uideatur. Multum te amamus. L. Iulio Cæsare, C. Martio Figulo Coss. filiolo me auctum scito salua Terentia.

CICERO ATTICO S.

a

ABS TE tam diu nihil literarum? ego de meis rationibus scripsi antea diligenter. Hoc tempore Catilinam competitorem nostrū defendere cogitamus. iu-

dicæs habemus quos uolumus, summa accusatoris uolũ-
illum tate. spero, si absolutus erit, coniunctiorem nobis fore in
ratione petitionis: sin aliter acciderit, humaniter fere-
mus. Tuo aduentu nobis opus est maturo. nam prorsus
summa hominum est opinio, tuos familiares nobiles
homines aduersarios honori nostro fore. ad eorum uo-
luntatem mihi conciliandam maximo te mihi usui fo-
re uideo. quare Ianuario ineunte, ut constituisti, cura
ut Romæ sis. Auiam tuam scito desiderio tui mor-
tuam esse, & simul quòd uerita sit, ne Latinæ in offi-
cio non manerent, & in montem Albanum hostias nõ
adducerent. eius rei consolationem ad te L. Saufeium
missurum esse arbitror. Nos hic te ad mensem Ianua-
riũ expectamus, ex quodam rumore, an ex literis tuis
ad alios missis? nam ad me de eo nihil scripsisti. Si-
gna, quæ nobis curasti, ea sunt ad Caietã exposita: nos
ea non uidimus. neque enim exeundi Roma potestas
nobis fuit. misimus, qui pro uectura solueret. te multũ
amamus, quòd ea abs te diligenter, paruóque curata
sunt. Quod ad me sæpe scripsisti de nostro amico
placando, feci, & expertus sum omnia, sed mirandũ
in modum est animo abalienato: quibus de suspicio-
nibus, etsi audisse te arbitror, tamen ex me, cum ue-
neris, cognoscæs. Sallustiũ præsentem restituere in eius
ueterem gratiam non potui. hoc eo ad te scripsi, quòd
is me accusare de te solebat, in se expertus est illum es
se minus exorabilem, meum studium nec tibi defuisse.
Tulliolam C. Pisoni L. F. Frugi despondimus. Vale.

CICERO ATTICO S.

CREBRAS expectationes nobis tui commoues. Nu-

per quidem, cum te iam aduentare arbitraremur, repente abs te in mensem Quintilẽ reiecti sumus. nunc uero sentio (quod commodo tuo facere poteris) uenias ad id tempus, quod scribis. obieris Q. fratris comitia, nos longo interuallo uiseris, Acutilianam controuersiam transegeris. Hoc me etiam Peducæus, ut ad te scriberem admonuit. putamus enim utile esse, te aliquando iam rem transigere. mea interæssio & est, & fuit parata. Nos hic incredibili ac singulari populi uoluntate de C. Macro transegimus. cui cum æqui fuissemus, tamen multo maiorem fructum ex populi existimatione illo damnato cepimus, quàm ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepissemus. Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est ornamẽtum Academiæ propriũ meæ, quòd & Hermes commune omnium, & Minerua singulare est eius gymnasij. Quare uelim ut scribis, cæteris quoque rebus quamplurimis eum locum ornes. Quæ mihi antea signa misisti, ea nõdum uidi. in Formiano sunt: quò ego nunc proficisci cogitabam. illa omnia in Tusculanum deportabo. Caietam, siquando abũdare cœpero, ornabo. Libros tuos conserua, & noli desperare eos meos facere posse. quod si assequor, supero Crassum diuitijs, atque omnium uicos, & prata contemno. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVANTVM dolorem acceperim, & quanto fructu sim priuatus & forensi, & domestico Lucij fratris nostri mortẽ, in primis pro nostra consuetudine tu existimare potes. nam mihi omnia quæ iucunda ex humanitate alterius, & moribus homini accidere possunt,

ex illo accidebant. quare non dubito, quin tibi quoque id molestum sit, cum & meo dolore moueare, & ipse omni uirtute officióque ornatissimum, tuique & sua sponte & meo sermone amantem, affinem, amicúmque amiseris. Quod ad me scribis de sorore tua, testis erit tibi ipsa, quātæ mihi curæ fuerit, ut Q. fratris animus in eam esset is, qui esse deberet. quē cum esse offensiorem arbitrarer, eas literas ad eū misi, quibus & placarem ut fratrem, & monerem ut minorem, & obiurgarem ut errantem. Itaque ex ijs, quæ postea sæpe ab eo ad me scripta sunt, cōfido ita esse omnia, ut & oportet, & uelimus. De literarum missione, sine causa abs te accusor. nunquam enim à Pomponia nostra certior sum factus, esse cui literas dare possem. porrò autem neque mihi accidit, ut haberē qui in Epeirū proficiscēretur: neque dum te Athenis esse audiebamus. De
At. 6. Acutiliano autem negotio quod mihi mandaras, ut primum à tuo digressu Romam ueni, confecerā. sed accidit, ut & contētione nihil opus esset, & ego qui in te satis cōsilij statuerim esse, mallem Peducæum tibi consiliū per literas, quàm me dare. etenim cum multos dies aures meas Acutilio dedissem, cuius sermonis genus tibi notum esse arbitror, non mihi graue duxi scribere ad te de illius querimonijs, cum eas audire (quod erat subodiosum) leue putassem. sed abs te ipso, qui me accusas, unas mihi scito literas redditas esse: cum & otij ad scribendum plus, & facultatem dandi maiorem habueris. Quod scribis, etiam si cuius animus in te esset offensior, à me recolligi oportere: quid dicas? neque id neglexi: sed est miro quodam modo affectus. ego autem quæ dicenda fuerunt de te, non præterij. Quid autem

contendendum esset, ex tua putabam uoluntate statuere oportere: quam si ad me perscripseris, intelliges me neque diligentiorem esse uoluisse, quàm tu esses, neque negligentiorem fore, quàm tu uelis. De Tadiana re mecum Tadius locutus est, te ita scripsisse, nihil esse iam quod laboraret, quoniã hæreditas usucapta esset. id mirabamur te ignorare, de tutela legitima, in qua dicitur esse puella, nihil usucapi posse. Epeirotica emptionem gaudeo tibi placere. Quæ tibi mandaui, & quæ tu intelliges conuenire nostro Tusculano, uelim ut scribis, cures, quod sine molestia tua facere poteris. nam nos ex omnibus molestijs & laboribus uno illo in loco conquiescimus: quò fratrem quotidie expectamus. Terentia magnos articulorum dolores habet, & te, sororémque tuam, & matrem maxime diligit, salutémque tibi plurimam ascribit, & Tulliola deliciæ nostræ. Cura ut ualeas, & nos ames, & tibi persuadeas, te à me fraterne amari.

CICERO ATTICO S.

NON committam posthac, ut me accusare de epistolarum negligentia possis. tu modo uideto, in tanto otio ut par mihi sis. Domum Rabirianam Neapoli, quam tu iam dimensam, & exædificatam animo habebas, M. Fontius emit HS CCCLƆƆƆXXX. id te scire uolui, siquid forte ea res ad cogitationes tuas pertineret. Q. frater (ut mihi uidetur) quo uolumus animo est in Pomponiam, & cum ea nunc in Arpinati prædio erat, & secum habebat hominem χρηστομαθῆ D. Turraniũ. Pater nobis decessit ad VIII Cal. Decemb. Hæc habebam ferè, quæ te scire uellem. tu

uelim, si qua ornamenta γυμνασιώδη reperire poteris, quæ loci sint eius, quem tu non ignoras, ne prætermittas. Nos Tusculano ita delectamur, ut nobis metipsis tum denique cum illò uenimus, placeamus. Quid agas omnibus de rebus, & quid acturus sis, fac nos quam diligẽtissime certiores. Apud matrem recte est, eáq; nobis curæ est. L. Cincio HS XXCD constitui me curaturũ Idib. Feb. Tu uelim, ea quæ nobis emisse, & parasse scribis, des operam, ut quam primum habeamus: & uelim cogites, id quod mihi pollicitus es, quemadmodum bibliothecam nobis conficere possis. omnem spem delectationis nostræ, quam cum in otium uenerimus, habere uolumus, in tua humanitate positam habemus. Vale.

curra. b.

CICERO ATTICO S.

APVD te est, ut uolumus: mater tua, & soror à me, Quintóque fratre diligitur. Cum Acutilio sum locutus: is sibi negat à suo procuratore quicquam scriptum esse, & miratur istam controuersiam fuisse, quòd ille recusarat ~~satisdari~~, amplius abs te non peti. Quod te de Tadiano negotio decepisse scribis, id ego Tadio & gratum esse intellexi, & magnopere iucundum. Ille noster amicus, & mehercule uir optimus, & mihi amicissimus, sanè tibi iratus est. hoc si quanti tu æstumes, sciam, tum quid mihi elaborandum sit, scire possim. L. Cincio HS CCLIↃↃ. CCLIↃↃ. CCCC. pro signis Megaricis, ut tu ad me scripseras, curaui. Hermæ tui Pentelici, cum capitibus æneis, de quibus ad me scripsisti, iam nunc admodũ delectant. Quare uelim & eos, & signa, & cætera quæ tibi eius loci, & nostri stu

satis dare, decidisse

uir. b.

Amic. b.

dij, & tuæ elegantiæ esse uidebuntur, quamplurima quamprimúmque mittas, & maxime quæ tibi gymnasij xystique uidebuntur esse. nam in eo genere sic studio efferimur, ut abs te adiuuandi, ab alijs propè reprehendēdi simus. si Lētuli nauis non erit, quò tibi placebit, imponito. Tulliola, deliciolæ nostræ, tuum munusculum flagitat, & me ut sponsorem appellat. mihi autem abiurare certius est, quàm dependere. Vale.

CICERO ATTICO S.

NIMIVM raro nobis abs te literæ afferuntur: cum & multo tu facilius reperias, qui Romam proficiscantur, quàm ego qui Athenas: & certius tibi sit, me esse Romæ, quàm mihi te Athenis. Itaque propter hanc dubitationem meam breuior hæc ipsa epistola est, quòd cum incertus essem ubi esses, nolebam illum nostrū familiarem sermonem in alienas manus deuenire. Signa Megarica & Hermas, de quibus ad me scripsisti, uehementer expecto. quicquid eiusdem generis habebis, dignum Academia tibi quod uidebitur, ne dubitaris mittere, & arcæ nostræ confidito. Genus hoc est uoluptatis meæ: quæ γυμναστικὴ maxime sunt, ea quæro. Lentulus naues suas pollicetur. peto abs te, ut hæc cures diligenter. Chilius te rogat, & ego eius rogatu ὁμολογιδῶν πάτρια. Vale.

CICERO ATTICO S.

CVM essem in Tusculano, (erit hoc tibi pro illo tuo, cum essem in Ceramico) ueruntamen cum ibi essem, Roma puer, à sorore tua missus epistolā mihi abs te allatam dedit, nuntiauitque eo ipso die post meridiem missu-

ram eum qui ad te proficiſcæretur. eo factum eſt, ut epiſtolæ tuæ reſcriberem aliquid, breuitate temporis tam pauca cogerer ſcribere. Primum tibi de noſtro amico placando, aut etiam planè reſtituendo polliceor. quod ego, etſi mea ſponte ante faciebam, eo nunc tamen & agam ſtudioſius, & contendam ab illo uehementius, quòd tantam ex epiſtola uolũtatem eius rei tuam perſpicere uideor. hoc te intelligere uolo, pergrauiter illum eſſe offenſum. ſed quia nullam uideo grauem ſubeſſe cauſam, magnopere confido illum fore in officio, & in noſtra poteſtate. Signa noſtra, & Hermeraclas, ut ſcribis, cum commodiſſime poteris, uelim imponas, & ſiquod aliud οἰκεῖον eius loci, quem non ignoras, reperies: & maxime quæ tibi palæſtræ, gymnaſiique uidebuntur eſſe. etenim ibi ſedens hæc ad te ſcribebam, ut me locus ipſe admoneret. præterea typos tibi mando, quos in tectorio atrioli poſſim includere, & putealia ſigillata duo. Bibliothecam tuam caue cuiquam deſpondeas, quanuis acrem amatorem inueneris. nam ego omneis meas uindemiolas eò reſeruo, ut illud ſubſidium ſenectuti parem. De fratre confido ita eſſe, ut ſemper uolui, & elaboraui. multa ſigna ſunt eius rei: non minimum, quòd ſoror prægnans eſt. De comitijs meis, & tibi me permiſiſſe memini, & ego iã pridem hoc cõmunibus amicis, qui te expectant, prædico, & te non modo nõ accerſam, ſed prohibebo, quòd intelligam multo magis intereſſe tua, te agere quod agendum eſt hoc tempore, quàm mea, te adeſſe comitijs. Proinde eo animo te uelim eſſe, quaſi mei negotij causa in iſta loca miſſus eſſes. me autem eum & offendes erga te, & audies, quaſi mihi ſiqua parta erunt,

non modo te præsente, sed per te parta sint. Tulliola tibi diem dat, sponsorem appellat. Vale.

CICERO ATTICO S.

ET MEA *sponte faciebam antea, & post duabus epistolis tuis perdiligenter in eandem rationem scriptis, magnopere sum commotus. eò accedebat hortator assiduus Sallustius, ut agerem quamdiligentissime cum Lucio de uestra uetere gratia reconcilianda. Sed cum omnia fecissem, non modo eam uoluntatem eius, quæ fuerat erga te, recuperare non potui, uerum ne causam quidem elicere immutatæ uoluntatis. tametsi iactat ille quidem illud suum arbitrium, & ea quæ iam tum cum aderas, offendere eius animum intelligebam: tamen habet quiddam profectò quod magis in animo eius insederit, quod neque epistolæ tuæ, neque nostra legatio tam potest facile delere, quàm tu præsens non modo oratione, sed tuo uultu illo familiari tolles, si modo tanti putabis id, quod si me audies, & si humanitati tuæ constare uoles, certe putabis. ac ne illud mirere, cur cum ego antea significarem tibi per literas, me sperare illum in nostra potestate fore, nunc idem uidear diffidere: incredibile est, quanto mihi uideatur illius uoluntas obstinatior, & in hac iracundia obfirmatior. sed hæc aut sanabuntur cum ueneris, aut ei molesta erunt, in utro culpa erit. Quod in epistola tua scriptum erat, me iam arbitrari designatum esse, scito nihil tam exercitum esse nunc Romæ, quàm candidatos omnibus iniquitatibus, nec quando futura sint comitia, sciri. Verum hæc audies de Philadelpho. tu uelim, quæ Academiæ nostræ parasti, quàprimum mittas. mirum, quàm*

illius loci non modo usus, sed etiam cogitatio delectat. Libros uero tuos caue cuiquam tradas: nobis eos, quẽ admodum scribis, conserua. summum me eorum studium tenet, sicut odium iam cæterarum rerum: quas tu, incredibile est, quàm breui tempore, quàto deteriores offensurus sis, quàm reliquisti.

Noua Epta teneris illia. b. te rem post eam. A. Cæcilium. b.

TEVCRIS illa, lentum sanè negotium, neque Cornelius ad Terentiam postea rediit, opinor. ad Cõsidium, Axium, Selicium confugiẽdum est. nam à Cæcilio propinqui minore cẽtesimis numũ mouere non possunt. Sed ut ad prima illa redeam. nihil ego illa impudentius, mihi astutius, mihi lentius uidi. Libertum mitto. Tito mandaui. συλλαs, atque ἀναβολὰς. sed nescio an τὰ τοῦ μακαρίτου ἡμῶν. nam mihi Pompeiani prodromi nuntiant, aperte Pompeium acturum, Antonio succedi oportere: eodémque tempore aget Prætor ad populum. res eiusmodi est, ut ego nec per bonorum, nec per populare existimationem honestè possim hominem defendere, nec mihi libeat, quod uel maximum est. etenim accidit hoc, quod totum eiusmodi sit, mãdo tibi, ut perspicias. Libertum ego habeo, sanè nequam hominem, Hilarum dico, ratiocinatorem, & clientem tuum. de eo mihi Valerius interpres nuntiat, Chiliúsq; se audisse scribit hæc, esse hominem cum Antonio, Antoniũ porrò in cogendis pecuniis dictitare partẽ mihi quæri, & à me custodem communis quæstus libertum esse missum. Nõ sum mediocriter commotus, neque tamen credidi: sed certe aliquid sermonis fuit. totum inuestiga, cognosce, perspice, & nebulonem illum, siquo pacto potes, ex istis locis amoue. huius sermonis Valerius auctorem Cn. Plancium nominabat. mando tibi planè, to-

Locus apud Senecã in Epistolis explicatus lib. 21. ep. 119. q̃ dum sit fenerator Cæcilius à quo minoris centesimis propinquis nummi mouẽdi nõ potest.

tum ut uideas cuiusmodi sit. Pompeium nobis amicissimum constat esse. diuortium Mutiæ uehementer probatur. P. Clodium Appij filium te credo audisse cum uestę muliebri deprehensum domi C. Cæsaris, cum pro populo fieret, eúmq; per manus seruulæ seruatum, & eductum: rem esse insigni infamia: quod te molestę ferre certo scio. Quod prætereà ad te scribam, non habeo. & mehercule eram conturbatior. nam puer festiuus anagnostes noster Sositheus decęsserat, méque plus, quàm seruí mors debere uidebatur, commouerat.

Tu uelim sæpe ad nos scribas. si rem nullam habebis, quod in buccam uenerit, scribito. Vale. Calẽd. Ian. M. Messala, & M. Pisone Cos.

CICERO ATTICO S.

ACCEPI tuas treis iam epistolas, unam à M. Cornelio, quam à Tribus ei Tabernis (ut opinor) dedisti: alteram, quam mihi Canusinus tuus hospes reddidit: tertiam, quam (ut scribis) anchoris solutis de phaselo dedisti. quæ fuerunt omnes rhetorum. pure loquuntur, cum humanitatis sparsæ sale, tum insignes amoris notis. Quibus epistolis sum equidem abs te lacessitus ad scribendum: sed iccirco sum tardior, quòd non inuenio fidelem tabellarium. quotus enim quisque est qui epistolam paulo grauiorem ferre possit, nisi eam per lectionem releuarit? Accędit eò quod mihi non est notum, ut quisque in Epeirum proficiscatur. ego enim te arbitror cæsis apud Amaltheam tuam uictimis, statim esse ad Sicyonem oppugnandum profectum: neque id ipsum tamẽ certum habeo, quando ad Antonium proficiscare, aut quid in Epeiro temporis ponas. ita ne-

que Achaicis hominibus, neque Epeiroticis paulo liberiores literas committere audeo. Sũt autem post discessum à me tuum res dignæ literis nostris, sed non committendæ eiusmodi periculo, ut aut interire, aut aperiri, aut intercipi possint. Primum igitur scito, primum me non esse rogatum sententiam, præpositúmque esse nobis pacificatorem Allobrogum, idque admurmurante Senatu, neque me inuito esse factum. Sum enim & ab obseruando homine peruerso liber, & ad dignitatem in Repub. retinendam contra illius uoluntatem solutus: & ille secundus in dicendo locus habet auctoritatem penè principis, & uoluntatem non nimis nimmis deuinctam beneficio Consulis. tertius est Catulus: quartus (si etiam hoc quæris) Hortensius. Consul tamen b autem ipse paruo animo, & prauo, tantum cauillator genere illo morosо, quod etiam sine dicacitate ridetur, facie magis, quàm facetijs ridiculus, nihil agens cum Repub. seiunctus ab optimatibus, à quo nil speres boni speres b Reipub. quia non uult. nil metuas mali, quia non audet. eius autem collega & in me perhonorificus, & partium studiosus, ac defensor bonarum. quinimmo leuiter inter se dissident. Sed uereor ne hoc quod infectum est, serpat longius. credo enim te audisse, cum apud Cæsarem pro populo fieret, uenisse eò muliebri uestitu uirum, idque sacrificium cum uirgines instaurassent, mentionem à Q. Cornificio in Senatu factam (is fuit princeps, ne tu forte aliquem nostrum putes) postea rem ex S. C. ad uirgines, & Pontifices relatam, idque ab ijs nefas esse decretum: deinde ex S.C. Cõsules rogationem promulgasse, uxori Cæsarem nuntium remisisse. In hac causa Piso amicitia P. Clodij

ductus operam dat, ut ea rogatio, quam ipse fert, & ferẽ ex S. C. & de religione, antiquetur. Messalã uehementer adhuc agit seuere. boni uiri precibus Clodij remouentur à causa. operæ cõparantur. nosmet ipsi, qui Lycurgei à principio fuissemus, quotidie demitigamur. instat & urget Cato. Quid multa? uereor, ne hæc neglecta à bonis, defensa ab improbis, magnorum Reipub. malorum causa sit. Tuus autem ille amicus, scin quem dicam? de quo tu ad me scripsisti, posteaquam non auderet reprehendere, laudare cœpisse: nos (ut ostendit) admodum diligit, amplectitur, amat, aperte laudat: occultè (sed ita ut perspicuum sit) inuidet. nihil cõme, nihil simplex, nihil ἐν τοῖς πολιτικοῖς honestum, nihil illustre, nihil, forte, nihil liberum, sed hæc ad te scribam aliàs subtilius. nam neque adhuc mihi satis nota sunt, & huic terræ filio nescio cui cõmittere epistolam tantis de rebus non audeo. Prouincias Prætores nondum sortiti sunt. res eodem est loci, quo reliquisti. Τοποθεσίαν, quam postulas, Miseni & Puteolorum includam orationi meæ. ad III Non. Decemb. mendose fuisse animaduerteram. Quæ laudas ex orationibus, mihi crede, ualde mihi placebant: sed non audebam anteà dicere. nunc uero, quòd à te probata sunt, multo mihi Ἀττικώτερα uidentur. In illam orationem Metellinam addidi quædam. liber tibi mittetur, quoniã te amor nostri φιλορήτορα reddidit.

Noui tibi quidnã scribã? quid? etiam. Messala Cos. Antronianam domum emit HS CCCCXXXVII. Quid id ad me, inquies? tantum, quòd ea emptione & nos bene emisse iudicati sumus, & homines intelligere cœperũt licere amicorũ facultatib' in emẽdo ad digni-

tatem aliquam peruenire. Teucris illa lentum negotium; sed tamen est in spe. Tu ista consice. à nobis liberiorem epistolam expecta. Vale. VI Calend. Febr. M. Messala, & M. Pisone Coss.

CICERO ATTICO S.

VEREOR ne putidum sit, scribere ad te, quàm sim occupatus. sed tamen ita distinebar, ut uix huic tantulæ epistolæ tempus habuerim, atque id ereptũ è summis occupationibus. Prima concio Pompeÿ qualis fuisset, scripsi ad te antea: non iucunda miseris, manis improbis, beatis non grata, bonis non grauis. itaque frigebat tum Pisonis Cos. impulsu leuissimus Trib. pl. L. Fusius in concionem produxit Pompeium. res agebatur in circo Flaminio: & erat in eo ipso loco die nundinarum πανήγυρις. Quæsiuit ex eo, placerétne ei iudices à Prætore legi, quo consilio idem Prætor uteretur. id autem erat de Clodiana religione ab Senatu constitutum. tum Pompeius μάλ' ἀριστοκρατικῶς locutus est, Senatúsque auctoritatem sibi omnibus in rebus maximam uideri, sempérque uisam esse respondit, & id multis uerbis. Postea Messala Cos. in Senatu de Pompeio quæsiuit, quid de religione, & de promulgata rogatione sentiret. Locutus ita est in Senatu, ut omnia illius ordinis consulta γνωμῶς laudaret, mihíque ut assedit, dixit se putare satis ab se etiam de istis rebus esse responsum. Crassus postea quam uidit illum excepisse laudem, ex eo quòd hi suspicarentur homines ei Consulatum meum placere, surrexit, ornatissiméque de meo Cõsulatu locutus est, ut ita diceret, se quòd esset Senator, quòd ciuis, quòd liber, quòd uiueret, mihi acce-

ptum referre: quoties coniugem, quoties domum, quoties patriam uideret, totiès se beneficium meum uidere. Quid multa? totum hunc locum, quem in Aristocratia ego uarie meis orationibus, quarum tu Aristarchus es, soleo pingere, de flamma, de ferro (nosti illas κὐθεν) ualde grauiter pertexui. proximus Pompeio sedebam: intellexi hominem moueri, utrum Crassum inire eam gratiam, quam ipse prætermisisset, an esse tantas res nostras, quæ tam libenti Senatu laudarentur, ab eo præsertim qui mihi laudem illam eo minus deberet, quòd meis omnibus literis in Pompeiana laude perstrictus esset. Hic dies me ualde Crasso adiunxit: & tamen ab illo aperte, tecte quicquid est datum, libenter accepi. Ego autem ipse, Dij boni, quomodo ἀντεπερραπασάμην nouo auditori Pompeio. si unquam mihi ἐπιχαρήματα suppeditauerũt, illo tempore. Quid multa? clamores. etenim hæc erat ὑπόθεσις de grauitate ordinis, de equestri concordia, de consensione Italiæ, de immortuis reliquijs coniurationis, de utilitate, de otio. Nosti iam in hac materia sonitus nostros: tanti fuerunt, ut ego eo breuior sim, quòd eos usque istinc exauditos putem. Romanæ autem res sic se habent. Senatus ἄριστος πάγος. nil constantius, nil seuerius, nil fortius. nam cum dies uenisset rogationi ex S. C. ferendæ, concurrabant barbatuli iuuenes, totus ille grex Catilinæ, ducè filiola Curionis, & populum ut antiquaret, rogabant. Piso autem Consul lator rogationis, idem erat dissuasor. operæ Clodianæ pontes occuparant. tabellæ ministrabantur, ita ut nulla daretur, Vti rogas. Hic tibi Rostra Cato aduolat, conuitium Pisoni Cos. mirificum facit, si id est conuitium, uox ple

dedi. b.

n sum. b

comultitium. b

comultum b

na grauitatis, plena auctoritatis, plena denique salutis. accedit eodem etiam noster Hortensius, multi praeterea boni. insignis uero opera Fauonij fuit. Hoc concursu optimatum comitia dimittuntur: Senatus uocatur. cum decerneretur frequenti Senatu, contra pugnante Pisone, ad pedes omnium sigillatim accidente Clodio, ut Consules populum cohortarentur ad rogationem accipiendam: homines ad XV Curioni nullum S.C. facieti assenserunt: facile ex altera parte CCCC
Tr. Consul affuerunt. acta res est. Fusius tertium conaessit. Clodius conciones miseras habebat: in quibus Lucullum, Hortensium, C. Pisonem, Messalam Cos. contumeliose laedebat, me tantum comperisse omnia criminabatur. Senatus & de prouincijs Praetorũ, & de legationibus, & de caeteris rebus decernebat, ut antequam rogatio lata esset, nequid ageretur. Habes res Romanas. sed tamen etiam illud quod ego non speraram, audi. Messala Cos. est egregius, fortis, constans, diligens, nostri laudator, amator, imitator. ille alter uno uitio minus uitiosus, quòd imers, quòd somni plenus, quòd imperitus, quòd ἀπραγμοσύνατος, sed uoluntate ita uexante, ut Pompeium post illam concionem, qua ab eo Senatus laudatus est, odisse coeperit. itaque mirum in modum omnes à se bonos alienauit, neque id magis amicitia Clodij adductus fecit, quàm studio perditarum rerum atque partium. sed habet sui similem in magistratibus praeter Fusium, neminem. bonis utimur Tribunis pl. Cornuto uero pseudoCatone. Quid quaeris? num ad priuata redeam? τῶν ὑπερ promissa patrauit. tu mandata efficis, quae receperis. Quintus
ayguit clam frater, qui Argiletani aedificij reliquum dodrantem

emit HS DCCXXV. Tusculanum uenditat, ut si possit, emat Pacilianam domum. Cum Lucio in gratiam redi. uidero hominem. ualde petitur. renauabo operam. Tu, quid agas, ubi sis, cuiusmodi istæ res sint, fac me quamdiligentissime certiorem. Idibus Febr. Vale.

CICERO ATTICO S.

ASIAM Quinto suauissimo fratri obtigisse audisti: nõ enim dubito, quin celerius tibi hoc rumor, quàm ullius nostrum literæ nuntiarint. Nunc quoniam & laudis auidissimi semper fuimus, & præter cæteros φιλέλληνες & sumus, & habemur, & multorum odia atque inimicitias Reipub. causa suscepimus: παντοίης ἀρετῆς μιμήσιο: ciráque, & efficæ, ut ab omnibus & laudemur & amemur. his de rebus plura ad te in ea epistola scribam, quam ipsi Quinto dabo. Tu me uelim certiorem facias, quid de meis mandatis egeris, atque etiam, quid de tuo negotio. nam, ut Brundusio profectus es, nullæ mihi abs te sunt redditæ literæ. ualde aueo scire quid agas. Idib. Mart. Vale.

et laudemur et amemur, his de rebus plura in ea epistola scribam

CICERO ATTICO S.

QVAERIS ex me, quid acciderit de iudicio, quod tam præter opinionem omnium factum sit: & simul uis scire, quomodo ego minus, quàm soleam, præliatus sim. respondebo tibi ὕστερον πρότερον Ομηρικῶς. Ego enim, quandiu Senatus auctoritas mihi defendenda fuit, sic acriter & uehementer præliatus sum, ut clamor, concursúsque maxima cum mea laude fierent. quòd si tibi unquam sum uisus in Rep. fortis, certe me

in illa causa admiratus esses. cum enim ille ad conciones confugisset, in hisque meo nomine ad inuidiam uteretur: Dij immortales, *quas ego pugnas, & quantas strages edidi! quos impetus in* Pisonem, *in* Curionem, *in totam illam manum feci! quomodo sum insectatus leuitatem senum, libidinem iuuentutis! Sæpe, ita me* Dij iuuent, *te non solum auctorem consiliorum meorum, uerum etiam spectatorem pugnarum mirificarum desideraui. Postea uero quàm* Hortensius excogitauit, *ut legem de religione* Fusius Trib. pleb. *ferret, in qua nihil aliud à cõsulari rogatione differebat, nisi iudicum genus (in eo autem erant omnia) pugnauitque ut ita fieret, quòd & sibi & alijs persuaserat, nullis illũ iudicibus effugere posse: contraxi uela perspiciens inopiã iudicum, neque dixi quicquam pro testimonio, nisi quod erat ita notum, atque testatum, ut non possem præterire. Itaque si causam quæris absolutionis, ut iã πρὸς τὸ πρότερον reuertar, egestas iudicum fuit & turpitudo. id autem ut accideret, commissum est* Hortensij cõsilio: *qui dum ueritus est, ne* Fusius ei legi intercederet, *quæ ex* S. C. *ferebatur, nõ uidit illud, satius esse illum in infamiã relinqui, sordibus, quàm infirmo iudicio committi: sed ductus odio, properauit rem deducere in iudicium, cum illum plumbeo gladio iugulãtum iri tamen diceret.* Sed *iudicium, si quæris, quale fuerit, incredibili exitu: sic uti nunc ex euentu ab alijs, à me tamen ex ipso initio consilium* Hortensij *reprehendatur. nam ut reiectio facta est, clamoribus maximis, cum accusator, tanquam* Censor bonus, *homines nequissimos reijceret, reus, tanquam clemens lanista, frugalissimum quenque secerneret: ut*

primum iudices cõsederunt, ualde diffidẽre boni cœperunt. non enim unquam turpior in ludo talario cõsessus fuit. maculosi senatores, nudi equites, Tribuni non tam ærarij, ut appellantur, quàm ærati. pauci tamen boni inerant, quos reiectione & fugare ille non potuerat, qui mœsti inter sui dissimiles, & mœrentes sedebant, & contagione turpitudinis uehementer permouebantur. Hic ut quæque res ad cõsiliũ primus petitionibus referebatur, incredibilis erat seueritas nulla uarietate sententiarum: nihil impetrabat reus: plus accusatori dabatur, quàm postulabat: triumphabat (quid quæris?) Hortensius se uidisse tantum. nemo erat, qui illum reum, ac non millies condemnatum arbitraretur. me uero teste producto, credo te ex acclamatione Clodij aduocatorũm audisse, quæ cõsurrectio iudicum facta sit, ut me circunsteterint, ut aperte iugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarint. quæ mihi res multo honorificentior uisa est, quàm aut illa, cui iurare tui ciues Xenocratem testimonium dicentem prohibuerunt, aut cum tabulas Metelli Numidici, cum hæc (ut mos est) circunferrentur, nostri iudices aspicere noluerunt. multo hæc inquam nostra res maior. Itaque iudicum uocibus, cum ego sic ab his, ut salus patriæ, defenderer, fractus reus, & unà patroni omnes conciderunt. Ad me autem eadem frequentia postridie conuenit, quacum abiens Consulatu sum domum reductus. clamare præclari Ariopagitæ se non esse uenturos, nisi præsidio constituto. refertur ad cõsilium: una sola sententia præsidium non desiderauit. defertur res ad Senatum: grauissime, ornatissimèque decernitur. laudantur iudices. datur negotium magistratibus.

postulabat. b

referretur b

responsurum hominem nemo arbitrabatur. ἔοικε τεύτην μοι μοῦσα: ὅπως δ' ἠπρῶτον πῦρ ἔμπεσε. *nosti Caluum,* ex Nanneianis, *illum laudatorem meum: de cuius* a illum. b. *oratione erga me honorifica ad te scripseram. biduo per unum seruum, & eum ex ludo gladiatorio, con-fecit totum negotium: accersiuit ad se, promisit, in-teræsit, dedit. Iam uero (o Dij boni rem perditam)* et tam. b. *etiam noctes certarum mulierum, atque adolescentulo-rum nobilium introductiones nonnullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt. ita summo discessu bono-rum, pleno foro seruorum, X X X iudices ita sortes ta-men fuerunt, ut summo proposito periculo uel peri-re maluerint, quàm perdere omnia. X X X I fuerunt, quos fames magis, quàm fama commouerit. quorum Ca-tulus cum uidisset quendam, Quid uos (inquit) præsi-dium à nobis postulabatis? an, ne nimi uobis eriperen-tur, timebatis? Habes, ut breuissime potui, genus iudi-cij, & causam absolutionis.* Quæris deinceps, *qui nunc sit status Reip. & qui meus. Reip. statum illum, quem tu meo consilio, ego diuino confirmatum puta-bam, qui bonorum omnium coniunctione, & aucto-ritate Consulatus mei fixus, & fundatus uidebatur, nisi quis nos Deus respexerit, elapsum scito esse de manibus uno hoc iudicio: si iudicium est, triginta ho-mines populi R. leuissimos, ac nequissimos numulis ac-ceptis ius, & fas omne delere: & quod omnes non* tam *modo homines, uerum etiam pecudes factum esse scie-bant, id Caluum, & Plautum, & Spongiam, & cæ-* talnam. b. *teras huiusmodi quisquilias statuere nunquam esse fa-ctum. Sed tamen ut te de Repub. consoler, non ita, ut asperarint mali, tanto imposito Reipub. uulnere, ala-*

eris exultat improbitas in victoria. nam plane ita putauerunt, cum religio, cum pudicitia, cum iudiciorum fides, cum Senatus auctoritas concidisset, fore ut aperte uictrix nequitia, ac libido pœnas ab optimo quoque peteret sui doloris, quem improbissimo cuique inusserat seueritas Consulatus mei. Idem ego ille (non enim mihi uideor insolenter gloriari, cum de me apud te loquor, in ea præsertim epistola, quam nolo alijs legi) idem inquam, ego recreaui afflictos animos bonorum, unumquenque confirmans, & excitans. insectandis uero, exagitandisque numarijs iudicibus, omnem omnibus studiosis, ac fautoribus illius victoria παῤῥησίαν eripui. Pisonem Cos. nulla in re consistere unquam sum passus: desponsam homini iam Syriam ademi: Senatum ad pristinam suam seueritatem reuocaui, atque abiectum excitaui: Clodium præsentem fregi in Senatu cum oratione perpetua plenissima grauitatis, tum altercatione eiusmodi, ex qua licet pauca degustes. nam cætera non possunt habere eandem neque uim, neque uenustatem remoto illo studio contentionis, quem ἀγῶνα uos appellatis. Nam, ut Idib. Maij in Senatum conuenimus, rogatus ego sententiam, multa dixi de summa Repub. atque ille locus inductus est à me diuinitus, Ne una plaga accepta patres conscripti conciderent, ne deficerent: uulnus esse eiusmodi, quod mihi neque dissimulandum, neque pertimescendum uideretur, ne aut ignorando stultissimi iudicaremur: bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam, hunc tertiũ iam esse à iudicibus in Rempub. immissum. Erras Clodi: non te iudices urbi, sed carceri reseruarunt, neque retinere in ciuitate, sed

exilio priuare uoluerunt. Quamobrem Patres conscripti erigite animos, retinete uestram dignitatem: manet illa in Rep. bonorum consensio: dolor accessit bonis uiris, uirtus non est imminuta: nihil est damni factum noui, sed quod erat, muentum est in unius hominis perditi iudicio. plures similes reperti sunt. Sed quid ago? penè orationem in epistolam inclusi. Redeo ad altercationem. surgit pulchellus puer: objicit mihi, me ad Baias fuisse. Falsum: sed tamen quid huic simile est inquam? quasi in operto dicas fuisse. Quid, inquit, homini Arpinati cum aquis calidis? Narra inquam patrono tuo, qui Arpinates aquas concupiuit. nosti enim marinas. Quousque, inquit, hunc Regem feremus? Regem appellas inquã, cum Rex tui mẽtionem nullam fecerit? ille autem Regis hæreditatem spe deuorarat. Domum, inquit, emisti. Putas, inquam, dicere, iudices emisti? Iuranti, inquit, tibi non crediderunt. Mihi uero inquam X X iudices crediderunt: X X X I, quoniam numos ante acceperunt, tibi nil crediderunt. magnis clamoribus afflictus conticuit, & concidit. Noster autem status est hic. apud bonos ijdem sumus, quos reliquisti: apud sordem urbis, & fecem multo melius, quàm reliquisti. nam & illud nobis non obest, uideri nostrum testimonium non ualuisse: missus est sanguis inuidiæ sine dolore, atque etiã hoc magis, quòd omnes illi fautores illius flagitij rem manifestam illam redemptam esse à iudicibus confitentur. accedit illud, quòd illa concionalis hirudo ærarij, misera, & ieiuna plebecula, me ab hoc Magno unice diligi putat. & hercule multa, & iucunda consuetudine coniuncti inter nos sumus, usque eò, ut nostri isti come-

ſatores coniurationis, barbatuli iuuenes illum in ſermonibus Cneum Cicæronem appellent. itaque & ludis, & gladiatoribus mirandas ἐπισημασίας ſine ulla paſtoritia fiſtula auferebamus. Nunc eſt expectatio comitiorum, in quæ omnibus inuitis trudit noſter Magnus Auli filium, atque in eo neque auctoritate, neque gratia pugnat, ſed quibus Philippus omnia caſtella expugnari poſſe dicebat, in quæ modo aſellus onuſtus auro poſſet aſcendere. Conſul autē ille deterioris hiſtrionis ſimilis ſuſcepiſſe negotium dicitur, & domi diuiſores habere: quod ego non credo. ſed S.C. duo iam facta ſunt, odioſa, quòd in Conſulem facta putantur, Catone, & Domitio poſtulante: unum, ut apud magiſtratus inquiri liceret: alterum, cuiuſmodi diuiſores haberent, aduerſus Remp. Lurco autem Trib. pl. qui magiſtratum ſimul cum lege AElia iniit, ſolutus eſt & AElia, & Fuſia, ut legem de ambitu ferret, quam ille bono auſpicio claudus homo promulgauit. ita comitia in a.d. VI Cal. Sex. dilata ſunt. noui eſt in lege hoc, ut qui numos in tribu pronunciauerit, ſi non dederit, impune ſit: ſin dederit, ut, quoad uiuat, ſingulis tribubus HS ∞ ∞ ∞ debeat. dixi, hanc legem P. Clodium iam anteà ſeruaſſe. pronunciare enim ſolitum eſſe, & non dare. Sed heus tu, uidéſne Conſulatum illum noſtrum, quem Curio anteà ἀποθίωσιν uocabat, ſi hic factus erit, fabam mimum futurum. quare, ut opinor, φιλοσοφητέον, id quod tu facis: & iſtos Conſulatus non ἐλαφητέον? Quod ad me ſcribis, te in Aſiam ſtatuiſſe nō ire: equidē mallem, ut ires: ac uereor, nequid in iſta re minus commode fiat: ſed tamen non poſſum reprehendere conſilium tuum, præſertim cum egomet in

tuens

prouinciam non sim profectus. Epigrammatis tuis, quæ in Amaltheo posuisti, contenti erimus, præsertim cum & Chilius nos reliquerit, & Archias nil de me scripserit. ac uereor, ne Lucullus, quoniã Græcum poema condidit, nunc ad Cæcilianam fabulam spectet.

Antonio tuo nomine gratias egi, eámque epistolam Manlio dedi. ad te ideo antea rarius scripsi, quòd nõ habebam idoneum, cui darem, nec satis sciebam quid darem. tesualde undicaui. Cincius si quid ad me tui negotij detulerit, suscipiam: sed nunc magis in suo est occupatus, in quo ego ei non desum. tu, si uno in loco es futurus, crebras à nobis literas expecta, ast plures etiã ipse mittito. Velim ad me scribas, cuiusmodi sit Αμαλθεῖον tuum, quo ornatu, qua τοποθεσία: & quæ poemata, quáque historias de Αμαλθέᾳ habes, ad me mittas. lubet mihi facere in Arpinati. ego tibi aliquid de meis scriptis mittam. nihil erat absoluti. Vale.

CICERO ATTICO S.

MAGNA mihi uarietas uoluntatis, & dissimilitudo opinionis, & iudicij Quinti fratris mei demonstrata est ex literis tuis, in quibus ad me epistolarum illius exemplaa misisti: qua ex re & molestia sum tanta affectus, quantam mihi meus amor summus ergà utrumque uestrum afferre debuit, & admiratione, quidnam accidisset, quod afferret Quinto fratri meo aut offensionem tam grauem, aut commutationem tantam uoluntatis. Atq; illud à me iam ante intelligebatur, quòd te quoque ipsum discedentem à nobis suspicari uidebam, subesse nescio quid opinionis incommodæ, sauciúmque eius animum, & insedisse quasdam odiosas

ſuſpiciones: quibus ego mederi cum cuperem & antea ſæpe, & uehementius etiam poſt ſortitionem prouinciæ, nec tantum intelligebam ei eſſe offenſionis, quantum literæ tuæ declarant, nec tantum proficiebam, quantum uolebam. ſed tamen hoc me ipſe conſolabar, quòd non dubitabam, quin te ille aut Dyrrhachij, aut in iſtis locis uſpiam uiſurus eſſet. Quod cum accidiſſet, confidebam, ac mihi perſuaſeram fore, ut omnia placarentur inter uos non modo ſermone ac diſputatione, ſed conſpectu ipſo, congreſſúque ueſtro. nam quanta ſit in Quinto fratre meo comitas, quanta iucunditas, quàm mollis animus & ad accipiendam, & ad deponendam offenſionem, nihil attinet me ad te, qui ea noſti, ſcribere. Sed accidit perincommode, quòd eum nuſquam uidiſti. ualuit enim plus quod erat illi nonnullorum artificijs inculcatum, quàm aut officium, aut neceſſitudo, aut amor ueſter ille priſtinus, qui plurimum ualere debuit. Atque huius incommodi culpa ubi reſideat, facilius poſſum exiſtimare quàm ſcribere. uereor enim, ne dum defendam meos, non parcam tuis. nam ſic intelligo, ut nil à domeſticis uulneris factum ſit, illud quidem, quod erat, eos certe ſanare potuiſſe. ſed huiuſce rei uitium totius, quod aliquanto etiam latius patet, quàm uidetur, præſenti tibi commodius exponam. De his literis, quas ad te Theſſalonicam 6 cam miſit, & de ſermonibus, quos ab illo & Romæ apud amicos tuos, & in itinere habitos putas, ecquid tantum cauſæ ſit ignoro, ſed omnis in tua poſita eſt humanitate mihi ſpes huius leuandæ moleſtiæ. nam ſi ita eſſe ſtatueris, & irritabiles animos eſſe optimorum ſæpe hominum, & eoſdem placabiles, & eſſe hanc agili-

tatem, ut ita dicam, mollitiẽmque naturæ plerunque bonitati, & id quod caput est, nobis inter nos nostra siue incommoda, siue uitia, siue iniurias esse tolerãdas: facile hæc, quemadmodum spero, mitigabuntur. quod ego, ut facias, te rogo. nam ad me, qui te unicè diligo, maxime pertinet, neminem esse meorum, qui aut te nõ amet, aut abs te non ametur. Illa pars epistolæ tuæ minime fuit necessaria, in qua exponis, quas facultates aut prouincialium, aut urbanorũ commodorũ & aliis temporibus, & me ipso Consule prætermiseris. mihi enim perspecta est & integritas, & magnitudo animi tui: neque ego inter me, atque te quicquam interesse unquam duxi, præter uoluntatem institutæ uitæ: quòd me ambitio quædam ad honorum studium, te autem alia minime reprehendenda ratio ad honestum otium duxit: uera quidem laude probitatis, diligentiæ, religionis neque me tibi, neque quenquam antepono: amoris uero erga me, cum à fraterno amore, domesticóque discessi; tibi primas defero. uidi enim, uidi, penitúsque perspexi in meis uarijs temporibus & solicitudines, & lætitias tuas. fuit enim mihi sæpe & laudis nostræ gratulatio tua iucunda, & timoris consolatio grata. Quin mihi nunc te absente non solũ cõsilium, quo tu excellis, sed etiam sermonis communicatio, quæ mihi suauissima tecum solet esse, maxime deest. quid dicam, in publica re? quo in genere mihi negligenti esse non licet. an in forensi labore? quem antea propter ambitionem sustinebam, nunc ut dignitatem tueri gratia possim? an in ipsis domesticis negotijs? in quibus ego cum antea, tum uero post discessum fratris te, sermonésque nostros desidero? postremo non labor

meus, non requies: non negotium, non otium: non forenses res, non domesticæ: non publicæ, non priuatæ carere diutius tuo suauissimo, atque amantissimo consilio, ac sermone possunt. Atque harum rerum commemorationem uerecundia sæpe impediuit utriusque nostrum. nunc autem ea fuit necessaria propter eã partem epistolæ tuæ, per quam te ac mores tuos mihi purgatos, ac probatos esse uoluisti. Atque in ista incommodatione alienati illius animi, & offensi, illud mesti tamen commodi, quòd & mihi, & cæteris amicis tuis nota fuit, & abs te aliquando testificata tua uoluntas omittendæ prouinciæ, ut quod unà non estis, non dissensione, ac dissidio uestro, sed uoluntate ac iudicio tuo factum esse uideatur. quare & illa quæ uiolata expiabuntur: & hæc nostra, quæ sunt sanctissime conseruata, suam religionem obtinebunt. Nos hic in Rep. infirma, misera, commutabilique uersamur. credo enim te audisse, nostros equites penè à Senatu esse disiunctos. qui primum illud ualde grauiter tulerunt, promulgatum ex S.C. fuisse, ut de ijs qui ob iudicandũ pecuniam accepissent, quæreretur. qua in re decernenda cum ego casu non affuissem, sensissémque id eque-strem ordinem ferre molestè, neque aperte dicere, obiurgaui Senatum, ut mihi uisus sum, summa cum auctoritate, & in causa non uerecunda, admodum grauis, & copiosus fui. Ecce aliæ deliciæ equitum uix ferendæ, quas ego non solum tuli, sed etiam ornaui. Asiani, qui de Censoribus conduxerunt, questi, in Senatu, se cupiditate prolapsos, nimium magno conduxisse: ut inducæretur locatio, postulauerunt. ego princeps in adiutoribus, atque adeo secundus. nam, ut illi aude-

nostro. b.

con. b

visum. b.

sunt. b.

rent hoc postulare, Crassus eos impulit. inuidiosa res, turpis postulatio, & confessio temeritatis. summum erat periculum, ne si nihil impetrassent, planè alienarentur à Senatu. huc quoque rei subuentum est maxime à nobis, perfectúmq; ut frequentissimo Senatu, & libentissimo uterentur: multáque à me de ordinum dignitate, & cõcordia dicta sunt Cal. Dec. & postridie: neque adhuc res confecta est, sed uoluntas Senatus perspecta. unus enim cõtradixerat Metellus Cos. des. diu erat dicturus, ad quem propter diei breuitatem peruentum non est, heros ille noster Cato. sic ego conseruans rationem, institutionémque nostram, tueor ut possum, illam à me conglutinatam concordiã. sed tamen quoniã ista sunt infirma, munitur quædam nobis ad retinendas opes nostras tuta, ut spero, uia, quam tibi literis satis explicare non possum, significatione parua ostendam tamen. utor Pompeio familiarissime. uideo quid dicas. cauebo quæ sunt cauẽda, ac scribam aliàs ad te de meis consilijs cæpẽssendæ Reip. plura. Lucceiũ scito Consulatum habere in animo statim petere. duo enim soli dicũtur petituri. Cæsar cum eo coire per Arrium cogitat, & Bibulus cum hoc se putat per C. Pisonem posse coniungi. Rides? non sunt hæc ridicula, mihi crede. quid aliud scribã ad te? quid? multa sunt, sed in aliud tempus. te si expectari uelis, cures ut sciam. Iã illud molẽste rogo, quod maxime cupio, ut quãprimum uenias. Non. Dec. Vale.

se · b · — uteremur · b · — qui b — fides · b ·

CICERO ATTICO S.

NIHIL mihi nunc scito tam deesse, quàm hominem eũ, quicum omnia, quæ me cura aliqua afficiunt, unà

quo cum · b ·

communicem, qui me amet, qui sapiat, quicũ loquar, nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam. abest enim frater ἀφιλήτατος, & amantissimus Metellus. nõ homo, sed litus atque aer, & solitudo mera. Tu autem qui sæpissime curam, & angorem animi mei sermone, & consilio leuasti tuo: qui mihi & in publica re socius, & in priuatis omnibus conscius, & omniũ meorum sermonum, & consiliorum particeps esse soles: ubinam es? ita sum destitutus, ut tantum requietis habeam, quantum cum uxore, & filiola, & mellito Cicerone consumitur. nam illæ ambitiosæ nostræ, fucosæq; amicitiæ sunt in quodam splendore forensi, fructum domesticum non habent. itaque cum bene completa domus est, tempore matutino, cum ad forum stipati gregibus amicorum descendimus, reperire ex magna turba neminem possumus, quocum aut iocari libere, aut suspirare familiariter possimus. Quare te expectamus, te desideramus, te iam etiam accersimus. multa sunt enim, quæ me solicitant, angúntque: quæ mihi uideor, aureis nactus tuas, unius ambulationis sermone exhaurire posse. ac domesticarũ quidẽ solicitudinum aculeos omnes, & scrupulos occultabo, neque ego huic epistolæ, atque ignoto tabellario committam. atque hi (nolo enim te permoueri) non sunt permolesti, sed tamen insident & urgent, & nullius amãtis consilio, aut sermone requiescunt. In Rep. uero, quanquã animus est præsens, tamen uoluntas etiam atq; etiã ipsa me deficit. nam ut ea breuiter, quæ post tuum discessum acta sunt, colligã, iam exclames necesse est, res Romanas diutius stare non posse. etenim post profectionẽ tuam primus (ut opinor) introitus fuit in causam fabulæ Clo-

ego colloquar. b

a ab omnibus b

a. b. deest usque ad *

dianæ: in qua ego nactus, ut mihi uidebar, locum resecandæ libidinis, & cœrcendæ iuuentutis, uehemens fui, & omnes profudi uires animi, atque ingenij mei: non odio adductus alicuius, sed spe non corrigendæ, sed sanandæ ciuitatis. Afflicta Resp. est empto, constupratóque iudicio. uide quæ sint postea consecuta. Consul est impositus is nobis, quem nemo præter nos philosophos aspicere sine suspirio posset. Quãtum hoc uulnus: facto S. C. de ambitu, de iudicijs, nulla lex perlata: exagitatus Senatus, alienati equites Romani. sic ille annus duo firmamenta Reip. per me unum constituta euertit. nam & Senatus auctoritatem abiecit, & ordinum concordiam disiunxit. Instat hic nunc ille annus egregius. eius initium eiusmodi fuit, ut anniuersaria sacra iuuentutis non committerentur. nam M. Luculli uxorem Memmius suis sacris initiauit. Menelaus ægre id passus diuortium fecit: quanquam ille pastor Idæus Menelaum solum contempserit: hic noster Paris tam Menelaum, quàm Agamemnonem liberũ non putauit. Est autem C. Herennius quidam Trib. pl. quem tu fortasse ne nosti quidem, tametsi poteris nosse. tribulis enim tuus est, & Sextus pater eius numos uobis diuidere solebat. is ad plebem P. Clodium traduxit, idémque fert, ut uniuersus populus in campo Martio suffragium de re Clodij ferat. hunc ego accepi in Senatu, ut soleo: sed nihil est illo homine lentius. Metellus est Consul egregius, & nos amat, sed imminuit auctoritatem suam, quòd habere dicit causam promulgatam. illud idem de Clodio. Auli autem filius, ô Dij immortales, quàm ignauus ac sine animo, miliésque dignus, qui Pælicano, sicut facit, os ad male audiendum

quotidie præbeat! Agraria autem promulgata est à Flauio sanè leuis, eadem ferè, quæ fuit Plotia. sed interea πολιτικὸς ἀνὴρ, οὐδ' ἔνας quisquam inueniri potest: qui poterat, familiaris noster (sic est enim: uolo te hoc scire) Pompeius togulam illam pictam silentio tuetur suam. Crassus uerbum nullū contra gratiam. cæteros iam nosti: qui ita sunt stulti, ut amissa Rep. piscinas suas fore saluas sperare uideantur. unus est, qui caret, constantia magis & integritate, quàm (ut mihi uidetur) consilio, aut ingenio, Cato, qui miseros publicanos, quos habuit amantissimos sui, tertium iam mensem uexat, neque ijs à Senatu responsum dari patitur. ita nos cogimur reliquis de rebus nihil decernere ante, quàm publicanis responsum sit. quare etiam legationes reiectum iri puto. Nunc uides quibus fluctibus iactemur: & si ex ijs quæ scripsimus, tamen etiam à me nō scripta perspicis: reuise nos aliquando: & quāquam sunt hæc fugienda, quò te uoco, tamen fac ut amorem nostrum tanti æstimes, ut eò uel cum his molestijs peruenire uelis. nam ne absens cenſeare, curabo ediendum, & proponendum locis omnibus. sub lustrum autem censeri, germani negotiatoris est. Quare cura, ut te quamprimum uideamus. Vale. XI. Cal. Feb. Q. Metello, & L. Afranio Coss.

CICERO ATTICO S.

NON modo, si mihi tantum esset otij, quantum est tibi: uerum etiam, si tam breues epistolas uelim mittere: (quod tu soles facere) te superarem, & in scripto multo essem crebrior, quàm tu. sed ad summas, atque incredibiles occupationes meas accedit, quòd nullam à

me epistolam ad te sino absque argumento, ac sententia uenire. & primum tibi (ut æquum est) ciui amanti patriam, quæ sunt in Rep. exponam: deinde quoniã tibi amore nos proximi sumus, scribemus etiam de nobis ea, quæ scire te non nolle arbitramur. Atque in Rep. nunc quidem maxime Gallici belli uersatur metus. nam Edui fratres nostri pugnant: Sequani male pugnarũt: & Heluetij sine dubio sunt in armis, excursionésque in prouinciam faciunt. Senatus decreuit, ut Consules duas Gallias sortirẽtur, delectus haberetur, uacationes ne ualerent, legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliæ ciuitates, darẽntq; operam ne hæ cum Heluetijs se iungerent. Legati sunt Q. Metellus Creticus, & L. Flaccus, & τὸ ἐπὶ τῇ φαυῇ μύρον, Lentulus Clodiæ filius. Atque hoc loco illud non queo præterire, quod cum de consularibus mea prima sors exisset, una uoce Senatus frequens retinendũ me in Vrbe censuit. hoc idem post me Pompeio accidit: ut nos duo quasi pignora Reip. retineri uideremur. quid enim ego aliorum in me ἐπιφωνήματα expectem, cum hæc domi inuascantur? Vrbanæ autem res sic se habẽt. Agraria lex à Flauio Trib. pl. uehementer agitabatur auctore Pompeio: quæ nihil populare habebat, præter auctorem. Ex hac ego lege, secunda concionis uoluntate omnia illa tollebã, quæ ad priuatorum incõmodũ pertinebant: liberabam agrum eum, qui P. Mutio, L. Calphurnio Coss. publicus fuisset: Syllanorum hominum possessiones confirmabam: Volaterranos, & Artemitanos, quorum agrum Sylla publicarat, neque diuiserat, in sua possessione retinebam: unam rationem non reijciebam, ut ager hac aduentitia pecunia

emeretur, quæ ex nouis uectigalibus per quinquennium reciperetur. Huic toti rationi agrariæ Senatus aduersabatur, suspicans Pompeio nouam quandam potentiam quæri. Pompeius uero ad uoluntatem perferendæ legis imbuerat. Ego autem magna cum agrariorum gratia confirmabam omnium priuatorũ possessiones. is enim est noster exercitus, hominum, ut tute scis, locupletium. Populo autem, Pompeióque (nam id quoque uolebam) satisfaciebam emptione: qua constituta diligenter, & sentinam Vrbis exhauriri, & Italiæ solitudinem frequentari posse arbitrabar. Sed hæc tota res interpellata bello refrixerat. Metellus est Cõsul sanè bonus, & nos admodum diligit. ille alter ita nihil est, ut planè, quid erit, nesciat. Hæc sunt in Rep. nisi illud etiam ad Remp. putes pertinere: Herẽnium quendam Trib. pl. tribulem tuum, sanè hominem nequam, atq; egentem, sæpe iam de P. Clodio ad plebem traducendo agere cœpisse. huic frequenter interœditur. hæc sunt (ut opinor) in Rep. Ego autem, ut semel Nonarũ illarum Decembrium iunctam inuidiæ, ac multorum inimicitijs eximiam quandam, atq; immortalem gloriam consecutus sum: non desiti eadem animi magnitudine in Rep. uersari, & illã institutam, ac susceptam dignitatem tueri. sed postea quàm primum Clodij absolutione leuitatem, infirmitatémque iudiciorum perspexi: deinde uidi nostros publicanos facile à Senatu disiũgi, quanquam à meipso non diuellerentur: tum autẽ beatos homines (hos piscinarios dico, amicos tuos) non obscure nobis inuidere: putaui mihi maiores quasdam opes, & firmiora præsidia esse quærenda. itaque primum eum, qui nimium diu de rebus nostris tacuerat,

Aframius. s. quid emerit

Pompeium adduxi in eam uoluntatem, ut in Senatu non ſemel, ſed ſæpe, multiſque uerbis ſuis mihi ſalutem imperij, atque orbis terrarum adiudicarit: quod non tam interfuit mea (neque enim illæ res aut ita ſunt ob ſauræ, ut teſtimonium: aut ita dubiæ, ut laudationem deſiderent) quàm Reip. quòd erant quidam improbi, qui contentionem fore aliquam mihi cum Pompeio, ex illarum rerum diſſenſione, arbitrarentur. Cum hoc ego me tanta familiaritate coniũxi, ut uterque noſtrum in ſua ratione munitior, & in Rep. firmior hac coniũctione eſſe poſſit. odia autem illa libidinoſæ, & delicatæ iuuentutis, quæ erant in me incitata. ſic mitigata ſunt quadam comitate mea, me unum ut omnes illi colant. nihil iam denique à me aſperum in quenquam fit, nec tamen quicquam populare ac diſſolutum, ſed ita temperata tota ratio eſt, ut Reip. conſtantiam præſtem: priuatis rebus meis propter infirmitatem bonorum, iniquitatem malorum, odium in me improborũ adhibeam quandam cautionem, & diligentiam. atque ita tamen nouis amicitijs implicati ſumus, ut crebro mihi uafer ille Siculus inſuſurret Epicarmus cantilenam illam ſuam: νῆφε, καὶ μέμνασο ἀπιστᾶν, ἄρθρα τῶν τῶν φρενῶν. ac noſtræ quidem rationis, ac uitæ quaſi quandam formam (ut opinor) uides. De tuo autem negotio ſæpe ad me ſcribis, cui mederi nunc non poſſumus. eſt enim illud S.C. ſumma pedariorum uoluntate, nullius noſtrũ auctoritate factum. nam quòd me non eſſe adſcriptum uides, ex ipſo S.C. intelligere potes, aliam rem tum relatam. Hoc autem, De populis liberis, ſine cauſa additum, & ita factum eſt à P. Seruilio filio, qui in poſtremus ſententiam dixit: ſed im-

Vide Suidam in dictione προχόρ) et libellũ de petit Conſul.

mutari hoc tempore non potest. Itaque conuentus, qui initio celebrabantur, iandiu fieri desierunt. Tu si tuis blanditijs tamen à Sicyonijs numulorum aliquid expresseris, uelim me facias certiorem. Commentarium Consulatus mei Græce compositum misi ad te. in quo siquid erit, quod homini Attico minus Græcum, eruditumque uideatur, non dicam, quod tibi (ut opinor) Panormi Lucullus de suis historijs dixerat, se quo facilius illas probaret Romani hominis esse, iccirco barbara quædam & obsoleta dispersisse: apud me siquid erit eiusmodi me imprudente erit, & inuito. Latinum si perfecero, ad te mittam. tertium poema expectato, nequod genus à me ipso laudis meæ prætermittatur. Hic tu caue dicas, τίς πατὴρ αὐλήσει. si est enim apud homines quicquam, quod potius sit, laudetur, nos uituperemur, qui nõ potius alia laudemus: quanquã nõ ἐγκωμιαστικὰ sunt hæc, sed ἱστορικὰ quæ scribimus. Quintus frater purgat se mihi per literas, & affirmat nil à se cuiquam de te secus esse dictum. uerum hæc nobis coràm summa cura & diligentia sunt agenda. tu modo nos reuise aliquando. Cossinius hic, cui dedi literas, ualde mihi bonus homo, & non leuis, & amans tui uisus est, & talis, qualem esse eum tuæ mihi literæ nuntiarant. Vale. Idib. Martijs.

CICERO ATTICO S.

CVM è Pompeiano me Romam recepissem ad IIII. Id. Maij, Cincius noster eã mihi abs te epistolam reddidit, quam tu Idib. Febr. dederas. ei nunc epistolæ literis his respondebo. Ac primum tibi perspectum esse iudicium de te meum lætor. deinde te in ijs rebus, quæ

mihi asperius à nobis atque à nostris, & iniucundius actæ uidebantur, moderatissimum fuisse, uehementissime gaudeo: idque neque amoris mediocris & ingenij summi, ac sapientiæ iudico. qua de re cum ad me ita suauiter, diligenter, officiose, humaniter scripseris, ut non modo hortaristè amplius non debeam, sed ne expectare quidem abs te, aut ab illo homine tantum facilitatis ac mansuetudinis potuerim: nihil duco esse cõmodius, quàm de his rebus nihil amplius scribere. cum erimus congressi, tum siquid res feret, coràm inter nos conferemus. Quod ad me de Repub. scribis, disputas tu quidè & amanter, & prudèter, & à meis consilijs ratio tua non abhorret. nam neque de statu nobis nostræ dignitatis est recedendum, neque sine nostris copijs intra alterius præsidia ueniendum: & is de quo scribis, nihil habet amplum, nihil excelsum, nihil non summissum atque populare. ueruntamen fuit ratio mihi fortasse ad tranquillitatem meorum temporum non inutilis, sed meherculè Reip. multo etiam utilior, quàm mihi, ciuium improborũ impetus in me reprimi, cum hominis amplissima fortuna, auctoritate, gratia fluctuantem sententiam confirmassem, & à spe malorum ad mearum rerum laudem conuertissem. quod si cum aliqua leuitate mihi faciendum fuisset, nullam rem tanti æstimassem: sed tamen à me ita acta sunt omnia, non ut ego illi assentiens leuior, sed ille me probans grauior uideretur. reliqua sic à me agentur, & agentur, ut non committamus, ut ea quæ gessimus, fortuito gessisse uideamur. eos bonos uiros, illos quos significas, & eã quam mihi dicis obtigisse, ωαρτὰν, non modo nunquam deseram, sed etiam, si ego ab illa deserar, tamen in mea

priſtina ſententia permanebo. Illud tamen uelim exiſtimes, me hãc uiam optimatum poſt Catuli mortẽ nec præſidio ullo, nec cõmitatu tenere. nam ut ait Rhinton, ut opinor, οἱ μὲν παρ' ἡδέν εἰσιν, οἷς δ' ἡδὺν μέλα. mihi uero ut inuideant piſcinariȳ noſtri, aut ſcribam ad te aliàs, aut in cõgreſſum noſtrum reſeruabo. à curia autem nulla me res diuellet: uel quòd ita rectum eſt: uel quòd rebus meis maxime conſentaneum: uel quòd à Senatu quanti fiam, minime me pœnitet. De Sicyoniȳs (ut ſcripſi ad te antea) non multum ſpei eſt in Senatu. nemo eſt enim iam, qui queratur. quare, ſi id expectas, longum eſt: alia uia, ſiqua poteſ, pugna. cum eſt actum, neque animaduerſum eſt ad quos pertineret, & raptim in eam ſententiã pedariȳ concurrerunt. inducendi S. C. maturitas nondum eſt: quòd neque ſunt, qui querantur: & multi partim maleuolentia, partim opinione æquitatis delectantur. Metellus tuus eſt egregius Conſul. unum reprehendo, quòd otium è Gallia non magnopere nuntiari gaudet. cupit, credo, triumphare. hoc uellem mediocrius: cætera egregia. Auli filius uero ita ſe gerit, ut eius Conſulatus non Conſulatus ſit, ſed Magni noſtri ὑπώπιον.

De meis ſcriptis miſi ad te Græce perfectum Conſulatum meum. eum librum L. Coſſinio dedi. puto te Latinis meis delectari, huic autem Græcõ Græcum muidere. aliȳ ſi ſcripſerint, mittemus ad te: ſed, mihi crede, ſimulatque hoc noſtrum legerunt, neſcio quo pacto retardantur. Nunc (ut ad rem meam redeam) L. Papirius Pætus, uir bonus, amatórq; noſter, mihi libros eos, quos Ser. Clodius reliquit, donauit. cum mihi per legem Cinciã liære capere Cincius amicus tuus diceret,

libenter dixi me accepturum, si attuliſſet. nunc ſi me amas, ſi tẽ à mẽ amari ſcis, enitere per amicos, clientes, hoſpites, libertos denique ac ſeruos tuos, ut ſcheda nequa depereat. nam & Græcis his libris, quos ſuſpicor, & Latinis, quos ſcio illũ reliquiſſe, mihi uehementer opus eſt. Ego autem quotidie magis, quod mihi de forenſi labore temporis datur, in his ſtudijs conquieſco. Per mihi, per inquam gratum feceris, ſi in hoc tam diligens fueris, quàm ſoles in his rebus quas me ualde uelle arbitraris. ipſiúſque Pæti tibi negotia commendo: de quibus tibi ille aget maximas gratias. & ut iam inuitas nos, non ſolum rogo, ſed etiam ſuadeo. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T. POMPONIVM ATTICVM LIB. II.

CICERO ATTICO S.

C *AL. Iun. eunti mihi Antium, & gladiatores* M. *Metelli cupide relinquenti, uenit obuiam tuus puer. is mihi literas abs te, & commentarium Conſulatus mei Græcè ſcriptum reddidit. in quo lætatus ſum, me aliquanto ante de ijſdem rebus Græcè item ſcriptum libru̅* L. *Coſſinio ad te perferendum dediſſe. nam ſi ego tuum ante legiſſem, furatum me abs te eſſe dicères. quanquam illa tua (legi enim libenter) horridula mihi atque incompta uiſa ſunt: ſed tamen erant ornata hoc ipſo, quòd ornamen-*

ta neglexerant: &, ut mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, uidebantur. meus autem liber totum Isocratis μυροθήκιον, atque omnis eius discipulorum aulas, ac nonnihil etiã Aristotelica pigmenta consumpsit: quem tu Corcyræ, ut mihi alijs literis significas, strictim attigisti. post autem, ut arbitror, à Cossinio accepisti. quem tibi ego non essem ausus mittere, nisi eum lente ac fastidiose probauissem. quanquam ad me rescripsit iam Rhodo Possidonius, se nostrum illud ὑπόμνημα cum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de ijsdem rebus scriberet, miseram, non modo non excitatum esse ad scribendum, sed etiam planè perterritum. Quid quæris? conturbaui Græcam nationem. ita, uulgo qui instabant, ut darem sibi quod ornarent, iam exhibere mihi molestiam desiterunt. tu, si tibi placuerit liber, curabis, ut & Athenis sit, & in cæteris oppidis Græciæ. uidetur enim posse aliquid nostris rebus lucis afferre. Oratiũculas autem & quas postulas, & plures etiam mittam, quoniã quidem ea quæ nos scribimus adolescentulorum studijs excitati, te etiam delectant. fuit enim mihi commodum, quod in eis orationibus quæ Philippicæ nominantur, enituerit ciuis ille tuus Demosthenes, & quòd se ab hoc refractãriolo iudiciali dicẽdi genere abiũxerit, ut σεμνότερός τις καὶ το λιτικώτερος uideretur, curare ut meæ quoque essent orationes, quæ consulares nominarentur. quarum una est in Senatu Calend. Ian. altera ad populum de lege agraria, tertia de Othone, quarta pro Rabirio, quinta de proscriptorum filijs, sexta cum prouinciam in concione deposui: septima, qua Catilinam emisi: octaua, quam habui ad populũ postridie, quàm Catilina pro-

ordinarent. b.

at. b.

at. b.

fugit: nona in concione quo die Allobroges inuocarunt: decima in Senatu Non. Decemb. sunt præterea duæ breues, quasi ἀποσκομάτια legis agrariæ. hoc totum σῶμα curabo ut habeas. & quoniam te cum scripta, tum res meæ delectant, ijsdem ex libris perspicies, & quæ gesserim, & quæ dixerim. at ni prospicies, ego me tibi non offerebam. Quod quæris, quid sit, quò te accersam: ac simul impeditum te negotijs esse significas: neque recusas, quin non modo si opus sit, sed etiam si uelim, accurras: nihil sane est necesse, ueruntamen uidebare mihi tempora peregrinationis commodius posse distribuere. nimis abes diu, præsertim cum sis in propinquis locis. neque nos te fruimur, & tu nobis cares. ac nunc quidem otium est. sed si paulo plus furor Pulchelli progredi posset, ualde tē ego istinc excitarem. uerū præclare Metellus impedit, & impediet. Quid quæris? est Consul φιλόπατρις, & (ut semper iudicaui) natura bonus. ille autem non simulat, sed planè Tribunus pleb. fieri cupit. qua de re cum in Senatu ageretur, fregi hominem, & inconstantiam reprehendi, qui Romæ Tribunatum pl. peteret, cum in Sicilia AEdilitatem sæpe dictitasset. sed neque magnopere dixi esse nobis laborandum, quòd nihilo magis ei liciturum esset plebeio Rempub. perdere, quàm similibus eius me Consule patricijs esset licitum. Iam cum se ille septimo die uenisse à freto, neque sibi obuiam quenquam prodire potuisse, & noctu se introisse dixisset, in eóque se in concione iactasset: nihil ei noui dixi accidisse: ex Sicilia septimo die Romam, tribus horis Roma Interamnam noctu introisse, item ante: non esse itum obuiam, ne tum quidem, cum iri maxime debuit. quid quæ-

aut ne poposciſſes .b — quæ .b — ego me .b — gnare .b — eius .b — esse .b — idem .b — quo iri .b . quo .b

ris? hominem petulantem modestum reddo, non solum perpetua grauitate orationis, sed etiam hoc genere dictorum. Itaque iam familiariter cum ipso cauillor etiam, ac iocor. quin etiam cum candidatum deducerē, is quærit ex me, Num consuessem Siculis locum gladiatoribus dare. Negaui. At ego, inquit, nouos patronos instituam. sed soror, quæ tantum habeat consularis loci, unum mihi solum pedem dat. Noli, inquam, de uno pede sororis queri, licet etiam alterum tollas. Non consulare inquies dictum: Fateor. sed ego odi illam male consularem. ea est enim seditiosa, ea cum uiro bellum gerit, neque solum cum Metello, sed etiam cum Fabio, quòd eos mihi esse amicos molestè fert. Quod de agraria lege quæris, sanè iam uidetur refrixisse. Quod me quodammodo molli brachio de Pōpeij familiaritate obiurgas, nolim ita existimes, me mei præsidij causa cum illo coniunctum esse: sed ita res erat instituta, ut si inter nos esset aliqua forte dissensio, maximas in Repub. discordias uersari esset necesse: quod à me ita præcautū, atque ita prouisum est, non ut ego de optima illa mea ratione decederem, sed ut ille esset melior, & aliquid de populari lenitate deponeret. quem de meis rebus, in quas eum multi incitarant, multo scito gloriosius, quàm de suis prædicare. sibi enim bene gestæ, mihi conseruatæ Reipub. dat testimonium. hōc facere illum, mihi quàm prosit, nescio, Reipub. certe prodest. Quid si etiam Cæsarem, cuius nunc uenti ualde sunt secundi, reddo meliorem? num tantum obsum Reipub? quin etiam si mihi nemo inuideret, si omnes, ut erat æquum, fauerent, tamen non minus esset probanda medicina, quæ sanaret uitiosas partes Reip. quàm quæ

execaret. Nunc uero cum equitatus ille, quem ego in cli uo Capitolino te signifero ac principe collocaram, Senatum deseruerit: nostri autem principes digito se cælum putent attingere, si muli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant: alij autem negligant: nónne tibi satis prodesse uideor, si perficio, ut nolint obesse, qui possunt? nam Catonem nostrũ non tu amas plus quàm ego: sed tamen ille optimo animo utens, & summa fide, nocet interdum Reip. dicit enim tanquam in Platonis πολιτείᾳ, non tanquam in Romuli fœce sententiam. Quid uerius quàm in iudiciũ uenire, qui ob rem iudicandam pecuniam acceperit? œnsuit hoc Cato. assensit Senatus. equitẽs curiæ bellum, non mihi: nam ego dissensi. Quid impudẽtius publicanis renuntiãtibus? fuit tamen retinendi ordinis causa facienda iactura. restitit, & pernicit Cato. itaque nunc Consule in carcere incluso, sæpe item seditione commota, aspirauit nemo eorum, quorum ego concursu, itémque Consules, qui post me fuerunt, Remp. defendere solebãt. Quid ergo istos, inquies, mercede cõductos habebimus? Quid faciemus, si aliter non possumus? an libertinis, atque etiã seruis seruiamus? sed, ut tu ais, ἄλις σπουδῆς. Fauonius meã tribum tulit honestius, quàm suam, Lucëij perdidit. accusauit Nasicam inhoneste, ac modeste tamen dixit, ut Rhodi uideretur molis potius quàm Moloni operam dedisse. mihi, quòd defendissem, leuiter sucœnsuit. nunc tamen petit iterum Reipub. causa. Lucius quid agat, scribam ad te, cum Cæsarem uidero, qui aderit biduo.

Quòd Sicyonij te lædunt, Catoni, & eius æmulatori attribuãs Seruilio. Quid? ea plaga nónne ad multos bonos uiros pertinet? sed si ita placuit, laudemus, de-

inde in dissensionibus soli relinquamur. Amalthea mea te expectat, & indiget tui. Tusculanum, & Pompeianum ualde me delectant, nisi quòd me illum ipsum uindicem æris alieni ære non Corinthio, sed hoc abargentary ex sumpto circunforaneo obruerunt. In Gallia speramus esse otium. Prognostica mea cum oratiũculis propediem expecta. & tamen, quid cogites de aduẽtu tuo, scribe ad nos. nã mihi Pomponia nuntiari iussit, te mense Quintili Romæ fore. id à tuis literis, quas ad me de accessu tuo miseras, discrepabat. Pætus, ut antea ad te scripsi, omnes libros quos frater suus reliquisset, mihi donauit. hoc illius munus in tua diligentia positum est. si me amas, cura ut cõseruentur, & ad me perferantur. hoc mihi nil potest esse gratius. & tũm Græcos, tũm uero Latinos diligenter ut cõserues, uelim. tuũ esse hoc munusculum putabo. Ad Octauium dedi literas: cum ipso nil erã locutus. neque enim ista tua negotia prouincialia esse putabam: neque te in Toculionibus habebam. sed scripsi, ut debui, diligenter. Vale.

ne

versus ex prognostics posuit in 1. de Diumat.

tuus. b.

& b

*

CICERO ATTICO S.

CVRA, amabo te, Ciceronem nostrum. ei nos θᾶοι uidemur. πελινσίων in manibus tenebam. & hercule magnum ærugo Dicæarchi mihi ante pedes extruxeram. O magnum hominem, & à quo multò plura didicèris, quàm de Procillio. Κορινθίων, καὶ Αθηναίων puto me Romæ habere. mihi hæredes. lege. hoc doceo. mirabilis uir est. Ηρώδης si homo esset, eum potius legeret, quàm unam literam scriberet: qui me epistola petiuit: ad te, ut uideo, comminus accessit. coniurasse mallem, quàm restitisse cõiurationi, si illum mihi au-

ep. b. plurima. b.

tum. b.

qui m b

diendum putassem. De lolio sanus non es. de uino laudo. sed heus tu, ecquid uides Cal. uenire, Antoniũ non uenire? iudices cogi? nam ita ad me mittunt: Nigidium minari in concione, se iudicem, qui non affuerit, compellaturum. uelim tamen, siquid est de Antonij aduentu, quod audieris, scribas ad me. & quoniam huc non uenis, cœnes apud nos utique prid. Cal. caue aliter facias. Cura ut ualeas.

CICERO ATTICO S.

Flaccus

PRIMVM, ut opinor εὐαγγέλια. Valerius absolutus est Hortẽsio defendente. id iudicium Atilio condonatum putabatur. & Epicratem suspicor, ut scribis, lasciuum fuisse. etenim mihi cæligæ eius, ut fasciæ cretatæ, non placebant. quid sit sciemus, cũ ueneris. Fenestrarum angustias quòd reprehendis, scito te Κύρου παιδάριον reprehendere. nam cum ego idem istuc dicerem, Cyrus aiebat, radiorum τὰς διαφάσεις latis luminibus, non tam esse suaues. etenim ἔσω ὄψις μὲν, ἡ α: τὸ δὲ ὁρώμενον β, γ: ἀντῖνες δὲ δ, καὶ ε: uides enim cætera. nam si κατὰ ἀδύλων ἐμπτώσεις uideremus, nalde laborarent ἄδυλα in angustijs. nunc fit lepide illa ἔκχυσις radiorum. cætera si reprehenderis, non feres tacitum, nisi siquid erit eiusmodi, quod sine sumptu corrigi possit. Venio nunc ad mensem Ianuarium, & ad ὑπόσασιν nostram, ac πολιτάρχην, in qua σωφρατικῶς ἂν ἐκάτερον, sed tamen ad extremum, ut illi solebant, τὴν ἀρίστευσαν Est res sanè magni consilij: nam aut fortiter resistendum est legi agrariæ, in quo est quædam dimicatio, sed plena laudis: aut quiescẽdum, quod est non dissimile atque ire in Solonium,

Haciliõ condemnatum. b.

Cyrus. b.

Salus

ad. b

aut Antium: aut etiam adiuuandum, quod à me aiũt Cæsarem sic expectare, ut non dubitet: nam fuit apud me Cornelius: hũc dico Balbum Cæsaris familiarem: is affirmabat illũ omnibus in rebus meo & Pompeij consilio usurum, daturúmque operam, ut cum Pompeio Crassum coniungeret. Hîc sunt hæc, coniunctio mihi summa cum Pompeio, si placet, etiam cum Cæsare, et tam. 6. reditus in gratiam cum inimicis, pax cum multitudine, senectutis otium. sed me ἀκατάπαυστος meã illa commouet, quæ est in libro III,

Interea cursus, quos prima à parte iuuentæ,
Quósque adeo Consul uirtute, animóque petisti,
Hos retine, atque auge famam, laudésque bonorum.

hæc mihi cum in eo libro, in quo multa sunt scripta ἀριστουργικῶς, Calliope ipsa præscripserit, non opinor esse dubitandum, quin semper nobis uideatur ὡς ὀμονοοῦσι ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. sed hæc ambulationibus compitalitijs reseruemus. Tu pridie Cõpitalia memento. balneum calfieri iubebo: & Pomponiam Terentia rogat: matrem adiungemus. θεοφράστου περὶ φιλομαθίας affer mihi de libris Quinti fratris. Vale.

CICERO ATTICO S.

FECISTI mihi pergratum, quòd Serapionis librum ad me misisti: ex quo quidem ego (quod inter nos licæat dicere) millesimam partem uix intelligo. pro eo tibi præsentem pecuniam solui imperaui, ne tu expensum muneribus ferres. At quoniam numorum mentio facta est, amabo te, cura ut cum Ticinio, quoquomodo poteris, transigas. si in eo, quod ostende-

rat non ſtat, mihi maxime placet ea, quæ male empta ſunt, reddi, ſi uoluntate Pomponiæ fieri poterit: ſi ne id quidem, nummi potius reddantur, quàm ullus ſit ſcrupulus. ualde hoc uelim antequam proficiſcare, amanter, ut ſoles, diligentérque conficias. Clodius ergo, ut ais, ad Tigranem? uelim, Syriæ conditione: ſed facile patior. accommodatius enim nobis eſt ad liberam legationem tempus illud, cum & Quintus noſter iam, ut ſperamus, in otio conſederit, & iſte ſacerdos Bonæ Deæ cuiuſmodi futurus ſit, ſciri poſſit. interea quidem cum muſis nos delectabimus animo æquo, immo uero etiam gaudẽti, ac libenti. neque mihi unquam ueniet in mentem Craſſo inuidere, neque pœnitere, quòd à me ipſe non deſciuerim. De geographia, dabo operam, ut tibi ſatisfaciam: ſed nihil ærti pollicẽor. magnum opus eſt: ſed tamen, ut iubes, curabo, ut huius peregrinationis tibi opus extet. tu quicquid indagaris de Rep. & maxime quos Conſules futuros putes, facito ut ſciam. tametſi nimis ſum curioſus: ſtatui enim nihil iam de Rep. cogitare. Terentiæ ſaltum perſpeximus. quid quæris? præter queraĩ Dodonæam nihil deſideramus, quo minus Epeirum ipſam poſſidere uideamur. Nos circiter Cal. aut in Formiano erimus, aut in Pompeiano. tu ſi in Formiano non erimus (ſi nos amas) in Pompeianum uenito. id & nobis erit periucũdum, & tibi non ſanè deuium. De muro, imperaui Philotimõ, ne impediret quo minus id fieret, quod tibi uideretur, cenſeo tamen, adhibeas Vectium. his temporibus, tam dubia uita optimi cuiuſque, magni æſtimo unius æſtatis fructũ palæſtræ Palatinæ, ſed ita tamen, ut nihil minus uelim, quàm Põponiam,

& puerum uersari in timore ruinæ. Vale.

CICERO ATTICO S.

CVPIO equidem, & iampridem cupio Alexãdriam, reliquámque AEgyptum uisere, & simul ab hac hominum satietate nostri discedere, & cum aliquo desiderio reuerti. sed hoc tempore, & ijs mittentibus, ἀλλέομαι τρῶας καὶ τρωάδας ἑλκεσιπέπλους. quid enim nostri optimates, siqui reliqui sunt, loquentur? an me aliquo præmio de sententia esse deductũ? πολυλλίτας μοι πρῶτος ἐλεγχᾶιν ἀνάθησα Cato ille noster, qui mihi unus est pro centum millibus? quid uero historiæ de nobis ad annos D C. prædicarint? quas quidẽ ego multo magis uereor, quàm eorum hominum, qui hodie uiuunt, rumusculos. sed opinor excipiamus, & expectemus. si enim deferetur, erit quædam nostra potestas, & tum deliberabimus. & iam hercule est in nõ accipiendo nonnulla gloria. Quare siquid θεοφάνης tecum forte contulerit, ne omnino repudiaris. de istis rebus expecto tuas literas, quid Arrius narret, quo animo se destitutum ferat, & qui Consules parentur, utrum (ut populi sermo) Pompeius, & Crassus, an ut mihi scribitur, cum Gabinio Ser. Sulpitius, & num quæ nouæ leges, & num quid noui omnino: & quoniam Nepos proficiscitur, cuinam Auguratus deferatur: quo quidẽ uno ego ab istis capi possum uidere ciuitatem meã. Sed quid ego hæc, quæ cupio deponere, & toto animo, atque omni cura φιλοσοφᾶν? sic inquam in animo. sic uellẽm ab initio. Nunc uero, quoniam quæ putaui esse præclara, expertus sum quàm essent inania: cum omnibus musis rationem habere cogito. tu tamen de Cur-

tio ad me reſcribe ærtius. & nũm quis in eius locum
fratre: b. paretur & quid de P. Clodio fiat, & omnia, quemadmodũ tu pollicæris, ἐπὶ σχολῆς ſcribe. & quo die Roma te exiturum putes, uelim ad me ſcribas, ut ærtiorem te faciã, quibus in locis futurus ſim: epiſtolámque ſtatim des de his rebus, de quibus ad te ſcripſi. ualde enim expecto literas tuas. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVOD tibi ſuperioribus literis pronũſeram, fore ut opus extaret huius peregrinationis: nihil iam magnopere confirmo. ſic enim ſum complexus otium, ut ab eo diuelli non queã. itaque aut libris me delecto, quorum habeo Antij feſtiuam copiam: aut fluctus numero: nam ad lacertas captandas tẽpeſtates non ſunt idoneæ. à ſcribendo prorſus abhorret animus. etenim γεωγραφικὰ quæ conſtitueram, magnũ opus eſt: ita ualde Eratoſthenes, quem mihi propoſueram, à Serapione, & ab Hipparcho reprehẽditur. quid cenſes, ſi Tyrannio accẽſerit? & hercule ſunt res difficiles ad explicãdum, & ὁμοιοσχήμονες, nec tam poſſunt ἀνθηρογραφεῖσθαι, quàm uidebãtur: & quod caput eſt, mihi quæuis ſatis iuſta cauſa ceſſandi eſt. Quimetiã dubitẽ, an hic Antij cõſidam, & hoc tempus omne conſumam: ubi quidem ego mallem diu nimirum, quàm Romæ fuiſſe. tu uero ſapiẽtior Buthroti domũ paraſti. ſed mihi crede, proxima eſt illi municipio hæc Antiatũ ciuitas. eſſe locum tam propè Romã, ubi multi ſint, qui Vatiniũ nunquã uiderint? ubi nemo ſit, præter me, qui quẽquam ex uigintiuiris unũ eſſe ſaluum uelit? ubi mẽ interpellet nemo, diligãt omnes? hic, hic nimirũ πολιτευτέον. nã iſtic
uiuam ſæginum b

non solũ non licet, sed etiam tædet. itaque ἀνυπόστατα: à nobis, quæ tibi uni legamus, Theopompino genere, *aut etiam asperiore multo pãgentur. neque aliud iã quicquã* πολιτεύομαι, *nisi odisse improbos, & id ipsũ nullo cũ stomacho, sed potius cũ aliqua scribẽdi uoluptate. Sed ut ad rẽ, scripsi ad Quæstores urb. de Quinti fratris negotio. uide quid narrent, ecquæ spes sit denarij, an ἐπιστοφόρο* Pompeiano iacẽamus. *Prætereà de muro, statue quid faciendum sit. Aliud quid? etiam. quando tẽ profici sci isthinc putes, fac ut sciam. Vale.*

CICERO ATTICO S.

DE GEOGRAPHIA *etiam atque etiam deliberabimus. Orationes ad me autem duas postulas: quarum alteram non libebat mihi scribere, quia absciderã: alteram, ne laudarem eum, quem non amabam. sed id quoque uidebimus. denique aliquid extabit, ne tibi planè cessasse uideamur.* De Publiõ *quæ ad me scribis, sanè mihi iucunda sunt: eáque etiam uelim omnibus uestigijs indagata ad me afferas, cũ uenies: & interea scribas, siquid intelliges, aut suspicabere, & maxime de legatione quid sit acturus. equidem antè quàm tuas legi literas, in hominem ire cupiebam, non mehercule ut differrem cum eo uadimonium. nam mira sum alacritate ad litigandum: sed uidebatur mihi, siquid esset in eo populare, quòd plebeius factus esset, id amissurus. Quid enim? ad plebẽ transisti, ut Tigranem ires salutatũ? narra mihi, Reges Armenij patritios salutare non solent? quid quæris? acueram me ad exagitandam hanc eius legationem. quam si ille contemnit, & si (ut scribis) bilem id commouet &*

curitates b latoribus, & auſpicibus legis curiatæ: ſpectaculũ egregium. hercule, uerum ut loquamur, ſubcontumelioſe tractatur noſter Publius: primũ qui cum in domo Cæ
Vnuſuir ſaris quondam unus uir fuerit, nunc ne in uiginti quidem eſſe potuerit: deinde alia legatio dicta erat, alia data eſt: illa opima ad exigendas pecunias Druſio: ut
neptilom opinor, Piſaurẽſiſ nebuloni Vatinio reſeruatur: hæc ieiuna, ac bella relegatio datur ei, cuius Tribunatus ad iſtorum tempora reſeruatur. mœnde hominem, amabo te, quoad poteſ. Vna ſpes eſt ſalutis, iſtorum inter iſtos diſſenſio, cuius ego quædã initia ſenſi ex Curione. iam uero Arrius Conſulatum ſibi ereptum fremit. Megabocchus, & hæc ſanguinaria iuuẽtus inimiciſſima eſt. acœdãt uero, acœdat etiam iſta rixa Auguratus. ſpero me præclaras de iſtis rebus epiſtolas ad te ſæpe miſſurum. Sed illud quid ſcit, ſcire cupio, quod ia
n cis obſcure, iam etiã ex ipſis quinque uiris loqui quoſdam. quidnam id eſt? ſi eſt enim aliquid, plus eſt boni, quam putaram. atque hæc ſic uelim exiſtimes non me abs te κατὰ τὸ πραγτικὸν quærere, quòd geſtiat animus aliquid agere in Rep. Iam pridem gubernare me tædebat, etiam cum licebat. nunc uero, cum cogar
receptis b exire de naui non abiectis, ſed ereptis gubernaculis, cupio iſtorũ naufragia ex terra intueri: cupio, ut ait tuus amicus Sophocles, καὶ ὑπὸ στέγῃ. πυνθὰς ἀκουῦσαι ψιλάδος εὖ δουσαν φρενί. De muro, quid opus ſit, uidebis. Caſtritianum mendum nos corrigemus, & tamen ad me Quintus CLↃ. CCLↃↃ. LↃↃↃ. ſcripſerat, non ad ſororem tuam HSXXX. Terentia tibi ſalutem dicit. Cicero tibi mandat, ut Ariſtodemo idem de ſe reſpondeas, quod de fratre ſuo ſororis tuæ

filio respondisti. De Amalthea quod me admones, non negligemus. Cura ut ualeas.

CICERO ATTICO S.

EPISTOLAM *cum à te auide expectarem ad uesperum, ut soleo, ecce tibi nuntius, pueros uenisse Roma. uoco, quæro, Ecquid literarum? negat. Quid ais, in quam, nihilne à Pomponio? perterriti uoce, & multu, confessi sunt se accepisse, sed excidisse in uia. quid quæris? permoleste tuli. nulla enim abs te per hos dies epistola manis aliqua re utili, & suaui, nunc siquid in ea epistola, quam ante diem XVI Calẽd. Maij dedisti, fuit historia dignum, scribe quamprimum, ne ignoremus. sin nihil præter iocationem, redde id ipsum. & scito Curionem adolescentem uenisse ad me salutatũ: ualde eius sermo de Publio cum tuis literis cõgruebat. ipse uero mirandum in modum Reges odisse superbos. peræque narrabat mœnsam esse iuuentutem, neque hæc ferre posse. bene habemus. nos, si in ijs spes est, opinor, aliud agamus. Ego me do historiæ. quanquam licet me Saufeiũ putes esse. nihil me est mertius. Sed cognosce itinera nostra, ut statuas, ubi nos uisurus sis. In Formianum uolumus uenire Parilibus, inde (quoniam putas prætermittendum nobis esse hoc tempore cratera illum delicatum) Cal. Maijs de Formiano proficiscemur, ut Antij simus ad V Non. Maij. ludi enim Antij futuri sunt à IIII Cal. ad prid. Non. Maij; eos Tullia spectare uult. inde cogito in Tusculanum, deinde Arpinum, Romam ad Cal. Iun. te aut in Formiano aut Antij, aut in Tusculano, cura ut uideamus. Epistolam superiorem restitue nobis, & appinge aliquid*

noui. Vale.

CICERO ATTICO S.

SVBITO *cum mihi dixisset* Cæcilius Quæstor *puerum se* Romam *mittere, hæc scripsi raptim, ut tuos elicerem mirificos cum* Publio *dialogos, cum eos, de quibus scribis, tum illum, quem addis, & ais longum esse quæ ad ea respõderis, perscribere: illum uero, qui nondum habitus est, quem illa βοώπις, cum è* Solonio *redierit, ad te est relatura: sic uelim putes, nihil hoc posse mihi esse iucundius. si uero quæ de me pacta sunt, ea non seruantur, in cælo sum, ut sciat hic noster* Hieroso*lymarius traductor ad plebem, quam bonam meis putissimis orationibus gratiam retulerit: quarum expecta diuinam* παλιγῳδίαν. *etenim quantum coniectura auguramur, si erit nebulo iste cũ ijs dynastis in gratia, non modo de* Cynico *cõsulari, sed ne de istis quidem piscinarũ* Tritonibus *poterit se iactare. non enim poterimus ulla esse in inuidia spoliati opibus, & illa senatoria potentia. sin autẽ ab ijs dissentiet, erit absurdum in nos inuehi. ueruntamen inuehatur.* Festiue, *mihi crede, & minore sonitu, quàm putaram, orbis hic in* Rep. *est conuersus: citius omnino quàm potuit: id culpa* Catonis, *sed rursus improbitate istorum, qui auspicia, qui* AEliam *legem, qui* Iuniam, *& Liciniam,* miniam. 6. *qui* Cæciliam, *& Didiam neglexerunt, qui omnia remedia* Reip. *effuderunt: qui regna, qui prædia tetrarchis, qui immanes pecunias paucis dederunt. Video iã quò inuidia transeat, & ubi sit habitatura. nihil me existimaris neque usu, neq; à* Theophrasto *didicisse, ni-* sed *si breui tempore desiderari nostra illa tempora uide-*

ris. etenim si fuit inuidiosa Senatus potentia: cum ea non ad populum, sed ad treis homines immoderatos redacta sit, quidnam censes fore? proinde isti licet faciant, quos uolent, Consules, Tribunos pl. denique etiã Vatinij strumam sacerdotij διβάφῳ uestiant: uidebis breui tempore magnos non modo eos, qui nihil tubarunt, sed etiam illum ipsum, qui peccauit, Catonem. nãnos quidem, si per istum tuum sodalem Publium licebit, σοφισέυαν cogitamus, si ille cogitat, tantum dũtaxat nos defendere, & quod est propriũ artis huius, ἐπαγγέλλομαι ἄνδρα ἀπαμύνεσθαι ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ. patria propitia sit: habet à nobis etiam si non plus, quàm debitum est, plus certe, quàm postulatum est. Male uebi malo alio gubernante, quàm tam ingratis uectoribus bene gubernare. sed hæc coràm commodius. nũc audi quod quæris. Antium me ex Formiano recipere cogito ad V. Non. Maias. Antio uolo Non. Maijs profiscar in Tusculanum, sed cum è Formiano rediero (ibi esse uolo usque ad prid. Calend. Maias) faciam statim te certiorem. Terentia tibi salutem. Κικέρων ὁ μικρὸς ἀποστόλου Τίτου Ἀθηναίου.

CICERO ATTICO S.

VOLO ames constantiam meam. ludos Antij spectare non placet: est enim ὑποσόλοικον, cum uelim uitare omnium deliciarum suspitionem, repente ἀναφώνεσθαι non solum delicate, sed etiam inepte peregrinantem. quare usque ad Non. Maias te in Formiano expectabo. nunc fac ut sciam, quo die te uisuri simus. Ab Appij foro hora quarta: dederam aliã paulo ante à Tribus Tabernis. Vale.

CICERO ATTICO S.

NARRO tibi: planè relegatus mihi uideor, posteaquã in Formiano fum. dies enim nullus erat, Antij cum essem, quo die non melius scirem Romæ quid ageretur, quàm ij, qui erant Romæ. etenim literæ tuæ, nõ solum quid Romæ, sed etiam quid in Rep. neque solum quid fieret, uerum etiam quid futurum esset, indicabant. nunc nisi siquid ex præcedente uiatore exceptum est, scire nihil possumus. quare quanquã iam te ipsum ex pecto, tamen isti puero, quẽ ad me statim iussi recurrere, da ponderosam aliquam epistolam, plenam omniũ non modo actorum, sed etiam opinionum tuarum: ac diem, quo Roma sis exiturus, cura ut sciam. Nos in Formiano esse uolumus usque ad prid. Non. Maias, eò si ante eam diem nõ ueneris, Romæ te fortasse uidebo. nam Arpinum quid ego te inuitem? τρηχᾶ ἀλλ' ἀγαθὴ πουροτρόφος οὔτι ἔγωγε ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι. Hæc igitur. Cura ut ualeas.

CICERO ATTICO S.

NEGENT illi Publium Trib. pl. factum esse. hoc uero regnum esse, ferri nullo pacto potest. emittat ad me Publius, qui obsignent. iurabo Cneum nostrum, collegam Balbi Antij mihi narrasse, in auspicio fuisse. O suaues epistolas tuas uno tempore mihi datas duas: quibus εὐαγγέλια quæ reddam, nescio, deberi quidem planè fateor. sed uide συγγνώμην. emerseram commode ex Antio in Appiã ad Tres Tabernas, ipsis Cerealibus, cum in me incurrit Roma ueniens Curio meus. ibidem illico puer abs te cum epistolis. ille ex me, nihilne saudis

sem nouiſ ego negare. Publius inquit, Tribunatum pl. petit. Quid aiſ? & inimiciſſimus quidē Cæſaris, & ut omnia, inquit, iſta reſcindat. Quid Cæſar, inquam? Negat ſe quicquā de illius adoptione tuliſſe. deinde ſuum, Memmij, Metelli Nepotis exprompſit odium. complexus iuuenem dimiſi, properans ad epiſtolas. Vbi ſunt, qui aiunt ξώσης φωνῆς μάλλον ἐνέργειαν ἅπαντα? quanto magis uidi ex tuis literis, quàm ex illius ſermone, quid ageretur, de ruminatione quotidiana, de cogitatione Publij, de lituis βοώπιδος, de ſignifero Athenione, de literis miſſis ad Cneum, de Theophanis, Memmij que ſermone. quantam porrò mihi expectationem dediſti conuiuij iſtius ἀσειλογοῦς? ſum in curioſitate ὀξύπαννος. ſed tamen facile patior te id ad me συμπόσιον non ſcribere: præſentem audire malo. Quod me, ut ſcribam aliquid, hortaris: creſcit mihi quidem materies, ut dicis: ſed tota res etiam nunc fluctuat κατὰ ὀπώραν τραχὺς: quæ ſi deſederit, magis erunt iudicata, quæ ſcribam: quæ ſi ſtatim à me ferre non potueris, primus habebis tamen, & aliquandiu ſolus. Dicæarchum recte amas: luculentus homo eſt & ciuis haud paulo melior, quàm iſti noſtri ἀδιαφάρχοι. Literas ſcripſi hora decima Cerealibus, ſtatim ut tuas legerā: ſed eas erā daturus, ut putaram, poſtridie ei, qui mihi primus obuiam uenisſet. Terentia delectata eſt tuis literis, & impertit tibi multū ſalutis. καὶ Κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν τίτον ἀσπάζεται.

CICERO ATTICO S.

FACINVS indignum: epiſtolam ἀνθωρὰ tibi à Tribus Tabernis reſcriptam ad tuas ſuauiſſimas epiſtolas-

neminem reddidisse? at scito eum fasciculũ, quò illam conieceram, domum eo ipso die latum esse quo ego dederam, & ad me in Formianum relatum esse. itaque tibi tuã epistolã iussi referri, ex qua intelligeres, quàm mihi tum illæ gratæ fuissent. Romæ quod scribis sileri, ita putabam: at hercule in agris non sileatur: nec iam ipsi agri regnum uestrum ferre possunt. si uero in hac ΤΗΛΕΠΥΛΟΝ ueneris λαισρυγονίην, (Formias dico) quis fremitus hominum? quàm iratis animis quanto in odio noster amicus Magnus? cuius cognomen unà cũ Crassi Diuitis cognomine conseneſcit. credas mihi uelim: nemine adhuc offendi, qui hæc tam lente, quàm ego ferro, ferret. quare, mihi crede, φιλοσοφῶμεν. iuratus tibi possum dicere, nihil esse tanti. Tu si literas ad Sicyonios habes, aduola in Formianum: unde nos prid. Non. Maij cogitamus. Vale.

vero silothio

ꝑ hunc locum present. a pirtis veneris .b.

CICERO ATTICO S.

QVANTAM tu mihi moues expectationem de sermone Bibuli? quantam de colloquio βοώπιδος? quantã etiam de illo delicato conuiuio? proinde ita face uenias ad sitientes aures. quanquam nihil est iam quod magis timendum nobis putem, quàm ne ille noster Sampsicæramus, cum se omnium sermonibus sentiet uapulare, & cum has actiones ἐναγατρίπους uidebit, ruere incipiat. ego autẽ usq; eò sum eneruatus, ut hoc otio, quo nunc tabescimus, malim ἐντυραννεῖσθαι, quàm optima spe dimicare. De pãgendo quod me cribro adhortaris, fieri nihil potest. basilicam habeo, non uillam, frequentia Formianorũ. at comparem basilicæ tribum AEmiliã. sed omitto uulgus. post horã quartam

quam .b.

cum .b.

ad quam partem .b.

moleſti cæteri non ſunt. C. Arrius proximus eſt uicinus, immo ille quidē iam cōtubernalis, qui etiā ſe iccirco Romam ire negat, ut hic mecū totos dies philoſophetur. Ecce ex altera parte Seboſus ille Catuli familiaris. quò me uertam? ſtatim mehercule Arpinum irem, ni te in Formiano commodiſſime expectari uiderē, duntaxat ad prid. Non. Mai. uide enim quibus hominibus aures ſint deditæ meæ. occaſionē mirificam, ſiquis nūc,
* dum ij apud me ſunt, emere de me fundum Formianum uelit. & tamen illud probem. magnum quid aggrediamur, & multæ cogitationis, atque otij. ſed tamē ſatisfiet à nobis, neque parcetur labori. Vale.

CICERO ATTICO S.

VT SCRIBIS, ita uideo, non minus incerta in Rep. quàm in epiſtola tua, ſed tamen iſta ipſa me uarietas ſermonū, opinionúmque delectat. Romæ enim uideor eſſe, cū tuas literas lego, & ut ſit in tantis rebus, modo hoc, modo illud audire. illud tamē explicare non poſſū, quidnam inueniri poſſit, nullo recuſante, ad facultatem agrariam. Bibuli autem iſta magnitudo animi in comitiorum dilatione, quid habet niſi ipſius iudicium ſine ulla correctione Reip? nimirum in Publio ſpes eſt. fiat, fiat Tribunus pl. ſi nihil aliud, ut eo citius tu ex Epeiro reuertare. nā ut illo tu careas, nō uideo poſſe fieri, præſertim ſi mecum aliquid uolet diſputare, ſed id quidem non dubium eſt, quin, ſiquid erit eiuſmodi, ſis
* aduolaturus. uerum ut hoc non ſit, tamen ſeruet Rēp. ſine ruet
præclarum ſpectaculū mihi propono, modo te conſeſſore ſpectare liceat. Cum hæc maxime ſcriberem, ecce tibi Seboſus. nondum planè ingemueram, Salue, inquit Arrius. hoc eſt Roma decēdere? quos ego homines

effugi, cum in hos incidi? ego uerò in montes patrios, & ad mapalia nostra pergam, denique si solus nõ potuero, cum rusticis potius, quàm cum ijs perurbanis, ita tamen, ut quoniam tu certi nihil scribis, in Formiano tibi præstoler usque ad III Non. Maias. Terentiæ pergrata est assiduitas tua, & diligentia in controuersia Muluiana. nescit omnino te communem causam defendere eorum, qui agros publicos possideant. sed tamen tu aliquid publicanis pendis: hæc etiam id recusat. ea tibi igitur, & ὑμέρων ἀριστοπρατικώτατος πᾶς salutem dicunt.

CICERO ATTICO S.

COENATO *mihi, & iam dormitanti prid. Cal. Maias epistola est illa reddita, in qua de agro Cãpano scribis. quid quæris? primùm ita me pupugit, ut somnum mihi ademerit, sed id cogitatione magis, quàm molestia. Cogitãti autem hæc ferè succurrebant. primum ex eo, quod superioribus literis scripseras ex familiari te illius audisse, prolatum iri aliquid, quod nemo improbaret, maius aliquid timueram: hoc mihi eiusmodi nõ uidebatur. deinde, ut me ego consoler, omnis expectatio largitionis agrariæ in agrum Campanum uidetur esse deriuata. qui ager, ut dena iugera sint, non amplius hominũm quinque millia potest sustinere. reliqua omnis multitudo ab illis abalienetur, necesse est. præterea, si ulla res est, quæ bonorũ animos, quos iam uideo esse commotos, uehementius possit incendere, hæc certe est, & eo magis, quòd portorijs Italiæ sublatis, agro Cãpano diuiso, quod uectigal supereſt domestici, præter uicesimã? quæ mihi uidetur una conciuncula,*

clamore pediſequorum noſtrorũ eſſe peritura. Cneus quidem noſter iam planè quid cogitet, neſcio. φυσᾷ γὰρ ἐ σμικροῖσιν ὠλίσθοις ἔτι, ἀλλ' ἀγρίως φύσωσι φορβάς ἄτερ, qui quidem etiam iſtuc adduci potuerit. nam adhuc hoc ἐσοφίζετο, ſe leges Cæſaris probare, actiones ipſum præſtare debere: agrariam legem ſibi placuiſſe: potuerit intercedi nec ne, nihil ad ſe pertinere: de Regge Alexandrino placuiſſe ſibi aliquando confici: Bibulus de cælo tum ſeruaſſet nec ne, ſibi quærendũ non fuiſſe: de publicanis, uoluiſſe illi ordini cõmodare: quicquid futurum fuerit, ſi Bibulus tum in forum deſcendiſſet, ſe diuinare nõ potuiſſe. Nunc uero Sampſicerame quid dices? uectigal te nobis in monte Antilibano conſtituiſſe, agri Campani abſtuliſſe? quid, hoc quemadmodum obtinebis? Oppreſſos uos, inquit, tenebo exercitu Cæſaris: non mehercule me tu quidẽ tam iſto exercitu, quàm ingratis animis eorum hominum, qui appellantur boni: qui mihi non modo præmiorum, ſed ne ſermonum quidem unquam fructum ullum, aut gratiam retulerunt. Quòd ſi in eam me partem incitarem, profectò iam aliquam reperirem reſiſtendi uiam. nunc prorſus hoc ſtatui, ut quoniam tanta controuerſia eſt Dicæarcho familiari tuo cum Theophraſto amico meo, ut ille τὸν πρακτικὸν βίον lõge omnibus anteponat, hic autem τὸν θεωρητικὸν, utrique à me mos geſtus eſſe uideatur. puto enim me Dicæarcho affatim ſatisfeciſſe: reſpicio nunc ad hanc familiam, quæ mihi non modo ut requieſcam, permittit, ſed reprehendit quia non ſemper quierim. quare incumbamus ò noſter Tite ad illa præclara ſtudia, & eò unde diſcedere non oportuit, aliquãdo reuertamur. Quod de Quinti fratris epiſto

la scribis, ad me quoq; fuit πρόσωπον λέων, ὅπιθεν δ'ε. Quid dicam, nescio. nam ita deplorat primis uersibus mansionem suam, ut quemuis mouere possit: ita rursus remittit, ut me roget ut annales suos emendē, & edam. illud tamen quod scribit animaduertas uelim, de portorio circunuectionis. ait se de cōsilij sententia rem ad Senatum reiecisse. nondum uidelicet meas literas legerat: quibus ad eum re consulta, & explorata perscripseram, nō deberi. uelim siqui Græci ἰᾶμ Romam ex Asia de ea causa uenerunt, uideas, & (si tibi uidebitur) ijs demonstres quid ego de ea re sentiam. si possum discedere, ne causa optima in Senatu pereat, ego satisfaciam publicanis: ἀ δὲ μή, (uere tecum loquar) in hac re malo uniuersæ Asiæ, & negotiatoribus. nam eorū quoque uehemēter intæreſt. hoc ego sentio ualde nobis opus esse. sed tu id uidebis. Quæstores autem, quæso, num etiam de cistophoro dubitant? nam si aliud nihil erit, cum erimus omnia experti, ego illud ne quidē contemnam quod extremum est. Te in Arpinati uidebimus, & hospitio agresti accipiemus, quoniam maritimum hoc contempsisti. Vale.

consulis -b

se -b

-re-b

CICERO ATTICO S.

PRORSVS, ut scribis, ita sentio. turbatur Sampsiceramus. nihil est, quod non timendum sit. ὁμολογεμένως τυραννίδα συνοικάξεται. quid enim ista repentina affinitatis cōiunctio, quid ager Campanus, quid effusio pecuniæ significant? quæ si essent extrema, tamen

-b

esset nimium mali: sed ea natura rei est, ut hæc extrema esse non possint. quid enim eos hæc ipsa per se delectare possunt? nunquam huc uenissent, nisi ad alias

res pestiferas aditus sibi compararet. Dij immortales. uerum, ut scribis, hæc in Arpinati ad VI idus Id. Maias non deflebimus, ne & opera, & oleum philologiæ nostræ perierit sed conferemus tranquillo animo. dij immortales
neq; tam me ἀνιλπίστως cõsolatur, ut antea, quàm ἀδίκως φορίως, qua nulla in re tam utor, quàm in hac ciuili & publica. quinetiam quod est subinane in nobis, & non ἀφιλόδοξον, (bellum est enim sua uitia nosse) id afficitur quadam delectatione. solebat enim me pungere, ne Sampsicerami merita in patriã ad annos DC maiora uiderentur, quàm nostra. Hac quidem cura certe sex centos. b
est * iam uacuus sum. iacet enim ille sic ut Phocis Curiana sicut b
hac b stare uideatur. Sed hæc corám. tu tamen uideris mihi Romæ fore ad nostrum aduentum. quod sanè facile patiar, si tuo commodo fieri possit. sin ut scribis, ita uenies: uelim è Theophane expiscere, quonam in me animo sit Arabarches. quæ res scilicet κατὰ τὸ μηδεμόνιον, & ad me ab eo quasi ὑποθήκας afferes, quemadmodum me gerã. aliquid ex eius sermone poterimus περὶ τῶν ὅλων suspicari. Vale. res. b

CICERO ATTICO S.

ACCEPI aliquot epistolas tuas ex quibus intellexi quàm suspenso animo & solicito scire aueres, quid esset noui. Tenemur undique, neque iam quo minus seruiamus, recusamus: sed mortem, & eiectionem, quasi maiora, timemus: quæ multo sunt minora. atque hic status, qui una uoce omnium gemitur, neque uerbo cuiusquam subleuatur: σιωπὸς est, ut suspicor illis, qui timent tenent nullam cuiusquam largitionem relinquere. unus loquitur, & palàm aduersatur adolescens Curio. Huic maiora. b

plausus maximi, consalutatio forensis perhonorifica, signa præterea benevolentiæ permulta à bonis impertiuntur. Fusiũ clamoribus, & conuitijs, & sibilis consectantur. his ex rebus non spes, sed dolor est maior, cum uideas ciuitatis uoluntatem solutam, uirtutem alligatam. Ac ne fortè quæras κατὰ λεπτὸν de singulis rebus, uniuersa res est eò deducta, spes ut nulla sit, aliquando non modo priuatos, uerũ etiam magistratus liberos fore. attamen in oppressione sermo in circulis dũtaxat, & in conuiuijs est liberior, quàm fuit. uincere incipit timorem dolor, sed ita, ut omnia sint plenissima desperationis. Habet etiam Campana lex execrationem in coitione candidatorum, si mentionem fecerint, quo aliter ager possideatur, atque ut ex legibus Iulijs. non dubitant iurare cæteri. Laterensis existimatur rectè fecisse, quòd Tribunatum pl. petere destitit ne iuraret. sed de Licet 6 Repub. non libet plura scribere. Displiceo mihi, nec sine summo scribo dolore. me tueor, ut oppressis omnibus, non demisse: ut tantis rebus gestis, parum fortiter. λ c. 6. A Cæsare ualde liberaliter inuitor in legationem illã, sibi ut sim Legatus: atque etiam libera legatio uoti causa datur. sed hæc & præsidia apud furorem Pulchelli pudorem 6 non habet satis, & à fratris aduentu me ablegat: illa & munitior est, & non impedit quo minus adsim, cui & 6 uelim: & hanc ego teneo, sed usurũ me non puto. neq; tamen scit quisquam. non libet fugere. aueo pugnare. magna sunt hominum studia. sed nihil affirmo. tu hæc silebis. De Statio manumisso, & nonnullis alijs rebus angor equidem, sed iam prorsus occalui. tu, uellẽ ego nr & auperem, adesses: nec mihi consilium nec consolatio deesset. sed ita te para, ut si inclamaro, aduoles. Vale.

CICERO ATTICO S.

MVLTA *me solicitant, & ex Reip. tanto motu, & ex his periculis, quæ mihi ipsi imminentur: & sexcenta sunt: sed mihi nil est molestius, quàm Statium manumissum. nec meum imperiũ, ac mitto imperium, non simultatem meam reuereri saltem? nec quid faciã scio: neque tantum est in re, quantus est sermo. Ego autem ne iraſci quidem possum ijs, quos ualde amo. tantum doleo, ac mirificè quidẽ. cætera in magnis rebus, minæ Clodij, contentionésque quæ mihi proponuntur, modicæ me tangunt. etenim uel subire eas uideor, mihi summa cum dignitate, uel declinare nulla cum molestia posse. Dicæs fortasse, Dignitatis ἄλις tãquam ἁρυός: saluti, si me amas, consule. Me miserum, cur non ades? nihil te profecto præteriret. ego fortasse τυφλώττω, & nimium τῷ κακῷ προσπίπτω. scito nihil unquam fuisse tam infame, tam turpe, tam peræque omnibus gentibus, ordinibus, ætatibus offensum, quàm hunc statum, qui nunc est, magis mehercule, quàm uellem, non modo quàm putarã. populares isti iam etiam modestos homines sibilare docuerunt. Bibulus in cælo est: nec quare, scio: sed ita laudatur, quasi unus homo nobis cunctando restituit rem. Pompeius, nostri amores, quod mihi summo dolori est, ipse se afflixit. neminem tenet. uolũtate, an mẽtu necesse sit ijs uti, uereor. Ego autem neq; pugno cum illa causa propter illam amicitiam: neque approbo, ne omnia improbem, quæ antea gessit. utor uia. populi sensus maxime in theatro, & spectaculis perspectus est. nã gladiatoribus quà dominus, quà aduocati sibilis consciſſi: ludis Apollinaribꝰ Diphi-*

demigne.6.

lus tragœdus in nostrum Pompeium petulãter inuectus est. Nostra miseria tu es Magnus: millies coactus est dicere eadẽ.—Virtutem istam, ueniet tempus, cum grauiter gemes: totius theatri clamore dixit, itémque cætera. nam eiusmodi sunt ij uersus, uti in tempus ab inimico Põpeij scripti esse uideantur. Si neque leges, neque mores cogunt, & cætera, magno cum fremitu & clamore sunt dicta. Cæsar cum uenisset mortuo plausu, Curio filius est insecutus. huic ita plausum est, ut salua Rep. Pompeio plaudi solebat. tulit Cæsar grauiter. literæ Capuam ad Pompeium uolare dicebantur. inimici erant equitibus, qui Curioni stantes plausérãt: hostes omnibus: Rosciæ legi, etiã frumentariæ minitabantur. sanè res erat perturbata. equidẽ maluerã quod erat susceptum ab illis, silentio transirẽ. sed uereor ne non licæat. nõ ferunt homines, quod uidetur esse tamen ferendum. sed est iam una uox omnium magis odio firmata, quàm præsidio. Noster autem Publius mihi minitatur, inimicus est. impẽdet negotiũ: ad quod tu scilicet aduolabis. Videor mihi nostrũ illum cõsularem exercitum bonorũ omnium, etiam satis bonorum, habere firmissimum. Pompeius significat studium erga me non mediocre. Idem affirmat uerbum de me illum non esse facturũ. in quo non me ille fallit, sed ipse fallitur. Cosconio mortuo, sum in eius locum mutatus. id erat uocari in locũ mortui. Nil me turpius apud homines fuisset: neque uero ad istam ipsam ἀσφάλειαν quicquã alienius. sunt enim illi apud bonos inuidiosi: ego apud improbos meam retinuissem inuidiam, alienam assumpsissem. Cæsar me sibi uellet esse legatum. honestior hæc declinatio periculi. sed ego hoc non

repudio. Quid ergo est? pugnare malo, nihil tamen certi. iterum dico, Vtinam adesses: sed tamē, si erit necesse, arcessemus. Quid aliud? quid? hoc, opinor. certi sumus certissimus. b
perisse omnia. quid enim ἀνυπόμεθα tandiu? sed hæc scripsi properans, & mehercule timide. posthac ad te aut si perfidelem habebo cui dem, scribam plane omnia: aut si obscure scribam, tu tamen intelliges. in his epistolis me Lælium, te Furium faciam. cætera erunt ἐν αἰνίγμασιν. Hic Cæciliū colimus & obseruamus diligenter. Edicta Bibuli audio ad te missa. ijs ardet dolore & ira noster Pompeius. Vale.

CICERO ATTICO S.

ANICATO, ut te uelle intellexeram, nullo loco defui. Numestium ex literis tuis studiose scriptis, libenter in amicitiam recepi. Cæciliū quibus rebus possum tueor parum diligēter. Varro satisfacit nobis. Pōpeius amat nos, charósque habet. Credis? inquies. Credo: prorsus mihi persuadet. sed quia, ut uideo, pragmatici homines omnibus historicis præceptis, uersibus deniq; cauere iubent, & uetant credere: alterū facio, ut caueam: alterum, ut non credam, facere non possum. Clodius adhuc mihi denuntiat periculū. Pompeius affirmat non esse periculum: adiurat: addit etiam se prius occisurū iri ab eo, quàm me uiolatum iri. tractatur res. simul quid erit certi, scribam ad te. si erit pugnandum, arcessam ad societatem laboris. si quies dabitur, ab Amalthea te non commouebo. De Rep. breuiter ad te scribam: iam enim, charta ipsa ne nos prodat, pertimesco. itaque posthac, si erunt mihi plura ad te scribenda, ἀλλαχοῦ obscurabo. nunc quidem nouo quodam morbo ci

uitas moritur: ut cum omnes ea quæ sunt acta improbent, querantur, doleant, uarietas in re nulla sit, aperte
etiam
que loquatur, & iam clare gemant: tamen medicina nulla afferatur. neque enim resisti sine internecione posse arbitramur: nec uidemus, qui finis cædendi, præter exitiũ futurus sit. Bibulus hominum admiratione
contentiones. b
& beneuolentia in cælo est. edicta eius & conciones describunt & legunt. nouo quodã genere in summam gloriam uenit. populare nũc nil tam est, quàm odium popularium. hæc quò sint eruptura timeo. sed si dispice re quid cœpero, scribam ad te apertius. tu si me amas tantum, quãtum profecto amas: expeditus facito ut sis, si inclamaro ut accurras. sed do operam, & dabo, ne sit necesse. Quod scripseram, tẽ Furium scripturũ: nil necesse est tuũ nomen mutare. me faciam Lælium, & te Atticum, neq; utar meo chirographo, neque signo, si modo erunt eiusmodi literæ, quas in alienum incidere nolim. Diodotus mortuus est: reliquit nobis HS fortasse centies. Comitia Bibulus cum Archilochio edicto in ante diem XV Cal. Nou. distulit. A Vibio li
et
bros accepi. poeta ineptus: nec tamen scit nihil, & est sed
non mutilis. describo, & remitto. Vale.

CICERO ATTICO S.

DE Rep. quid ego tibi subtiliter? tota periit: atque hoc
cum
est miserior, quàm reliquisti, quòd tum uidebatur, eiusmodi dominatio ciuitatem oppressisse, quæ iucunda esset multitudini, bonis autem ita molesta, ut tamen sine pernicie: nunc repente tanto in odio est omnibus, ut quorsum eruptura sit, horreamus. nam iracundiam atque intemperantiam illorum sumus experti,

qui Catoni irati, omnia perdiderunt. sed ita lenibus uti uidebantur uenenis, ut posse uideremur sine dolore interire. nunc uero sibilis vulgi, sermonibus honestorum, fremitu Italiæ, uereor ne exarserint. Equidē sperabam, ut sæpe etiam loqui tecum solebam, sic orbem Reip. esse conuersum, ut uix sonitum audire, uix impressam orbitam uidere possemus: & fuisset ita, si homines transitum tempestatis expectare potuissent: sed cum diu occultæ suspirassent, postea iam gemere, ad extremum uero loqui omnes, & clamare cœperunt. Itaque ille amicus noster insolens infamiæ, semper in laude uersatus, circunfluens gloria, deformatus corpore, fractus animo, quò se conferat, nescit: progressum præcipitem, inconstantem reditum uidet: bonos inimicos habet, improbos ipsos non amicos. ac uide molliciem animi: non tenui lacrymas, cum illū ante VIII Cal. Sext. uidi de edictis Bibuli concionantem, qui antea solitus esset iactare se magnificentissime illo in loco, summo cum amore populi, cunctis fauentibus. Vt ille tum humilis, ut demissus erat: ut ipse etiam sibi, non ijs solum qui aderant, displiceat. O spectaculum uni Crasso iucundum, cæteris non item. nam quia decederat ex astris, lapsus potius, quàm progressus uidebatur. & ut Apelles si Venerem, aut si Protogenes Ialysum illum suum cœno oblitum uideret, magnum, credo, acciperet dolorem: sic ego hunc, omnibus à me pictum, & politum artis coloribus, subito deformatum non sine magno dolore uidi. quanquam nemo putabat propter Clodianum negotium me illi amicum esse debere. tamen tantus fuit amor, ut exhauriri nulla posset iniuria. itaque Archilochia in illum edicta Bi-

omnino b

o speculum b

Ialysum b

buli populo ita sunt iucunda, ut eum locum, ubi pro- tibi
ponuntur, præ multitudine eorum qui legunt, transi-
re nequeamus: ipsi ita acerba, ut tabescat dolore: mihi
mehercule molesta, quòd & eum quem semper dilexi-mus 6
nimis excruciant: & timeo, tam uehemens uir, támque
acer in ferro, & tam insuetus contumeliæ ne omni a-
nimi impetu, dolori & iracundiæ pareat. Bibuli qui
sit exitus futurus, nescio. ut nunc res se habet, admi-
rabili gloria est. qui cum omnia in mensem Oct. dis-
tulisset: quòd solet ea res populi uoluntatem offende-
re, putarat Cæsar oratione sua posse impelli concionẽ,
ut iret ad Bibulum. multa cum seditiosissime diceret,
uocem exprimere non potuit. Quid quæris? sentiunt sed
nullam ullius partis uoluntatem tenere. eo magis uis
nobis est timenda. Clodius inimicus est nobis. Pom
peius confirmat, eum nil esse facturum contra me.
lum. b mihi periculosum est credere. ad resistendum me pa-
ro. studia spero me summa habiturum omnium ordi-
num. te cum ego desidero, tum uero res ad tempus il-
lud uocat. plurimum consilij, animi, præsidij denique
mihi, si te ad tempus uidero, accesserit. Varro satis mi-
hi facit. Pompeius loquitur diuinitus. spero nos aut cum
summa gloria, aut certe sine molestia esse discessuros.
Tu quid agas, quemadmodum te oblectes, quid cum
Sicyonijs egeris, ut sciam cura. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVAM uellem Romæ mansisses. quod egisses profecto,
si hæc fore putassemus. nam Pulchellum nostrum fa-
cillime teneremus, aut certe, quid esset facturus, scire
possemus. nunc se res sic habet. uolitat, furit, nil ha-

bet certi, multis denuntiat: quod sors obtulerit, id actu rus uidetur. cum uidet, quo sit in odio status hic rerum: in eos, qui haec egerunt, impetum facturus uidetur. cum autem rursus opes, & uim exercitus recordatur, conuertit se in nos. nobis autem ipsis tum uim, tum iudicium minatur. cum hoc Pompeius egit, & ut ad me ipse referebat (alium enim habeo neminem testem) uehementer egit, cum diceret, in summa se perfidiae, & scaeleris infamia fore, si mihi periculum crearetur ab eo, quem ipse armasset, quem plebeium fieri passus esset: sed fidem recepisse sibi & ipsum, & Appium de me, hanc si ille non seruaret, ita laturũ ut omnes intelligerẽt, nihil sibi antiquius amicitia nostra fuisse. haec, & in eam sententiam cum multa dixisset, aiebat illum primo sanè diu multa contra, ad extremum autem manus dedisse, & affirmasse nil se contra eius uoluntatem esse facturum. sed postea tamen ille non destitit de nobis asperrime loqui. quod si non faceret, tamen ei nihil crederemus, atque omnia, sicut facimus, pararemus. Nunc ita nos gerimus, ut in dies singulos & studia in nos hominum, & opes nostrae augeantur. Remp. nulla ex parte attingimus. in causis, atque in illa opera nostra forensi, summa industria uersamur. quod egregie non modo ijs qui utuntur opera, sed etiam in uulgus gratum esse sentimus. domus celebratur: occurritur: renouatur memoria Consulatus: studia significantur: in eam spem adducimur, ut nobis ea contentio quae impendet, interdum non fugienda uideatur. nunc mihi & consilijs opus est tuis, & amore, & fide. quare aduola. expedita mihi erunt omnia, si te habebo. Multa per Var- cum.b

ronem nostrum agi possunt, quæ te urgente erunt firmiora: multa ab ipso Publio elici, multa cognosci, quæ tibi occulta esse non poterunt: multa etiam: sed absurdum est singula explicare, cum ego te requiram ad omnia. unum illud tibi persuadeas uelim, omnia mihi fore explicata, si te uidero. sed totum est in eo, si ante quàm ille meat magistratum. puto, Pompeium Crasso urgente, si tu aderis, qui per βοώπιδα ex ipso intelligere possis, qua fide ab illis agatur, nos aut sine molestia, aut certe sine errore futuros. precibus nostris, & cohortatione non indiges. quid mea uoluntas, quid tempus, quid rei magnitudo postulet, intelligis. De Rep. nihil habeo ad te scribere, nisi summum odium omnium hominum in eos qui tenent omnia. mutationis tamen spes nulla. sed quod facile sentias, tædet ipsum Pompeium, uehementérque pœnitet. non prouideo satis, quem exitum futurum putem. sed certo uidentur hæc aliquo eruptura. Libros Alexandri, negligentis hominis, & non boni poetæ, sed tamen non inutilis, tibi remisi. Numerium Numestium libenter accepi in amicitiam, & hominem grauem, & prudentem, & dignum tua commendatione cognoui. Vale.

tantum. b

sententias

CICERO ATTICO S.

NVNQVAM ante arbitror te epistolam meam legisse, nisi mea manu scriptam. ex eo colligere poteris, quanta occupatione distinear. nam cum uacui temporis nil haberem, & cum recreandæ uoculæ causa necesse esset mihi ambulare, hæc dictau ambulans. Primum igitur illud te scire uolo, Sampsiceramum nostrum amicum uehementer sui status pœnitere, resti-

tuíque in eum locum cupere, ex quo decidit, dolorémq; suum impertire nobis, & medicinam interdũ apertæ quærere, quam ego possũm inuenire nullam: deinde omnes illius partis auctores, ac socios nullo aduersario conseneſcere: consensionem uniuersorũ nec uolũtate, nec sermone maiorem unquam fuisse. Nos autem (nam id te scire cupere certo scio) publicis consilijs nullis interſumus, totósque nos ad forense operam, laborémque contulimus. ex quo, quod facile intelligi possit, in multa commemoratione earum rerum, quas gessimus, desiderióque uersamur. sed βούταδος nostri consanguineus non mediocres terrores iacit, atque denũciat, & Sampſiceramo negat, cæteris præ ſe fert, & ostentat. Quãobrem ſi me amas tantum, quantum profecto amas: ſi dormis, expergiſcere: ſi ſtas, ingredere: ſi ingrederis, curre: ſi curris, aduola. credibile non eſt, quantum ego in conſilijs, & prudentia tua, quódque maximum eſt, quantum in amore, & fide ponam. magnitudo rei longam orationem fortaſſe deſiderat: coniunctio uero noſtrorum animorum breuitate contenta eſt. permagni noſtra intereſt, te ſi comitijs non potueris, at declarato illo, eſſe Romæ. Cura ut ualeas.

CICERO ATTICO S.

QVAS Numeſtio literas dedi, ſic te his euocabam, ut nihil acrius, neque incitatius fieri poſſet. ad illam celeritatem adde etiam ſiquid potes, ac ne ſis perturbatus. noui enim te, & non ignoro, quàm ſit amor omnis ſolicitus atque anxius. ſed res eſt, ut ſpero, non tam exitu moleſta, quàm auditu. Vectius ille, ille noſter index, Cæſari ut perſpicimus, pollicitus eſt, ſeſe curaturũ,

ut in aliquam ſuſpicionem facinoris Curio filius ad-
atque b ducæretur. Itaque inſinuatus in familiaritatem adole-
ſcentis, & cum eo, utres indicat, ſæpe congreſſus, rem est
in eum locum deduxit, ut diceret ſibi certum eſſe cum
ſuis ſeruis in Pompeium impetum facere, eúmque oc-
cidere. Hoc Curio ad patrē detulit, ille ad Pompeium.
Res delata ad Senatum eſt. introductus Vettius, primo
negabat ſe unquam cum Curione reſtitiſſe, neque id ſa
nè diu. nam ſtatim fidem publicam poſtulauit. recla-
matum eſt. tum expoſuit manum fuiſſe iuuentutis duc
Curione, in qua Paulus initio fuiſſet, & Cn. Cepio hic
Brutus, & Lētulus Flaminis filius conſcio patre: poſt-
ea C. Septimium ſcribam Bibuli pugionem ſibi à Bibu
lo attuliſſe. quod totum irriſum eſt: Vettio pugionem
defuiſſe, niſi ei Conſul dediſſet. eóque magis id eſe-
dici b ctum eſt, quòd ad IIII Id. Maij Bibulus Pompeium
fecerat certiorem, ut caueret inſidias. in quo ei Pompe-
ius gratias egerat. introductus Curio filius, dixit ad
ea quæ Vettius dixerat: maximéque in eo tum quidē
adolentium b Vettius eſt reprehenſus, quòd dixerat adoleſcentum
aut b conſilium, ut in foro cum gladiatoribus Gabinij Pom-
peium adorirentur, in eo principem Paulum fuiſſe,
quem conſtabat eo tempore in Macedonia fuiſſe. ſit S.
C. ut Vettius, quòd confeſſus eſſet ſe cum telo fuiſſe, in
uincula coniiceretur: qui eum emiſiſſet, contra Remp.
eſſe facturum. Res erat in ea opinione, ut putarent id
eſſe actum, ut Vettius in foro cū pugione, & item ſer-
ui eius comprehenderentur cum telis: deinde ille ſe di-
ceret indicaturum. idque ita actum eſſet, niſi Curio-
nes rem ante ad Pompeium detuliſſent. tum S.C. in
concione recitatum eſt. Poſtero autem die Cæſar, is qui

olim Prætor cum esset, Q. Catulum ex inferiore loco iusserat dicere, Vectiũ in Rostra produxit, eúmque in eo loco constituit, quò Bibulo Cos. aspirare non licèret. hic ille omnia quæ uoluit, de Rep. dixit, ut qui illuc fa et. b.
ctus, institutúsque uenisset. primum Cepionẽ de oratione sua sustulit, quem in Senatu acerrime nominarat: ut appareret noctem, & nocturnam deprecationem intercessisse. deinde quos in Senatu ne tenuissima quidẽ suspicione attigerat, eos nominauit: Lucullum, à quo solitum esse ad se mitti C. Fannium, illum qui in P. Clodium subscripserat: L. Domitium, cuius domum cõstitutam fuisse, unde eruptio fieret. me non nominauit: sed dixit, consularem disertum, uicinum Consuli, sibi dixisse, Ahalam Seruiliũ aliquem, aut etiam Brutum & b
opus esse reperiri. Addidit ad extremum, cum iam dimissa concione reuocatus à Vatinio fuisset, se audisse à Curione, his de rebus conscium esse Pisonem generũ meum, & M. Laterensem. nunc reus erat apud Crassum Diuitem, de ui: & cum esset damnatus, erat iudi- ∧ vectius. b.
cium postulaturus: quod si impetrasset, iudicia fore ui debantur. ea nos, utpote qui nihil contẽnere solemus, non pertimescebamus. hominum quidem summa erga nos studia significabantur: sed prorsus uitæ tædet: ita sunt omnia omnium miseriarũ plenissima. modo cædem timueramus, quam oratio fortissimi senis Q. Considij discusserat: ea quam quotidie timere potueramus, miquam. b.
subito exorta est. Quid quæris? nil me infortunatius, & Catulo, cum splendore uitæ, tum hoc tempore. nos tamen in his etiam miserijs erecto animo, & minime perturbato sumus, honestissimèque dignitatem nostrã, ſ et
& magna cura tuemur. Pompeius de Clodio iubet

nos esse sine cura, & summam in nos beneuolentiam omni ratione significat. te habere consiliorum auctorem, solicitudinum socium, omnisum cogitatione coniunctum cupio. Quare ut Numestio mandaui, tecum ut ageret, item atque eo, si potest, acrius te rogo, ut planè ad nos aduoles. respiramus, si te uidero. Vale.

CICERO ATTICO S.

CVM aliquem apud te laudaro tuorum familiarium, uolam illum scire ex te me id fecisse, ut nuper me scis scripsisse ad te de Varronis erga me officio, te ad me rescripsisse eam rem summæ tibi uoluptati esse. sed ego
1 sed ut faceret. b malle ad illum scripsisses, mihi illum satisfacere, mirabiliter enim moratus est, sicut nosti, ἐλιπτὰ, καὶ οὐδὲν. sed nos tenemus præceptum illud, τὰς τῶν πρατέντων. At hercule alter tuus familiaris Hortensius quàm plena manu, quàm ingenue, quàm ornate nostras laudes in astra sustulit, cum de Flacci Prætura, & de illo tempore Allobrogum diceret. sic habeto, nec amantius, nec honorificentius, nec copiosius potuisse dici. ei te hoc scribere à me tibi esse missum sanè uolo. sed quid tu scribas, quæ iam ego uenire, atque adesse arbitror? ita enim ego tecum superioribus literis. ualde te expecto, ualde desidero, neq; ego magis quàm ipsa res, & tempus poscit. his de negotijs quid scribam ad te, nisi idem quod sæpe? Rep. nil desperatius: his, quorum opera, nihil maiore odio. Nos ut opinio, & spes, & coniectura nostra fert, firmissima beneuolentia hominum muniti sumus. quare aduola, aut expedies nos omni molestia, aut eris particeps. Ideo sum breuior, quòd ut spero, coram breui conferre, quæ uolumus, licebit. Vale.
1 tempore. b

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T. POMPONIVM ATTICVM LIB. III.

CICERO ATTICO S.

CVM antea maxime nostra interesse arbitrabar, te esse nobiscum: tum uero ut legi rogationē, intellexi aditer quod cōstituī, nil mihi optatius cadere posse, quàm ut tu me quā primum cōsequare, ut cum ex Italia profecti essemus, siue per Epeirum iter esset faciundum, tuo, tuorúmque præsidio uteremur: siue aliud quid agendum esset, certum cōsilium de tua sententia capere possemus. Quamobrem te oro, des operam ut me statim cōsequare. facilius potes, quoniam de prouincia Macedonia perlata lex est. Pluribus uerbis tecum agerem, nisi pro me apud te res ipsa loqueretur. Vale.

CICERO ATTICO S.

ITINERIS nostri causa fuit, quòd non habebam locum, ubi pro meo iure diutius esse possem, quàm in fundo Sicæ, præsertim nondum rogatione correcta. & simul intelligebam, ex eo loco, si iter haberem, posse me Brundusium referre: sine te autem non esse nobis illas partes tenendas propter Antroniū. Nunc, ut ad te antea scripsi, si ad nos ueneris, cōsilium totius rei capiemus. iter esse molestum scio: sed tota calamitas omneis molestias habet. Plura scribere non possum, ita

sum animo perculso, & abiecto. Cura ut ualeas. D. VI. Id. Apr. *Naryci Locridis.*

CICERO ATTICO S.

VTINAM *illum diem uideam, cum tibi agam gratias quòd me uiuere coegisti. adhuc quidem ualde me pœnitet. sed te oro, ut ad me Vibonem statim ueniας, quò ego multis de causis conuerti iter meum. sed eò si ueneris, de toto itinere, ac fuga mea consilium capere potero. si id non feceris, mirabor. sed confido te esse facturum.* Vale.

CICERO ATTICO S.

MISERIAE *nostræ potius uelim, quàm inconstantiæ tribuas, quòd à Vibone, quò te arcessebamus, subito discesserimus. allata est enim nobis rogatio de pernicie mea: in qua quod confectum esse audieramus, erat huiusmodi, ut mihi ultra quadringenta millia licëret esse. illò cum peruenire non licëret, statim iter Brundusium uersus contuli ante diem rogationis, ne & Sicca, apud quem eram, periret, & quòd Melitæ esse non licëbat. Nunc tu propera ut nos consequare, si modo recipiemur. adhuc inuitamur benigne: sed quod superest, timemus. Me mi Pomponi ualde pœnitet uiuere. qua in re apud me tu plurimum ualuisti. sed hæc coràm. fac modo ut ueniας.* Vale.

CICERO ATTICO S.

TERENTIA *tibi & sæpe, & maximas gratias agit. id est mihi gratissimum. ego uuo miserrimus, & maximo dolore conficior. Ad te quid scribam, nescio. si*

enim es Romæ, iam me assequi non potes: sin es in uia: cum eris me assecutus, coràm agemus quæ erunt agenda. tantum te oro, ut quoniam me ipsum semper amasti, eodem amore sis: ego enim idem sum. Inimici mei mea mihi, non me ipsum ademerunt. Cura ut ualeas. VIII. Id. Apr. Thurÿ.

CICERO ATTICO S.

NON fuerat mihi dubium, quin te Tarenti, aut Brunduſij uiſurus eſſem: ídque ad multa pertinuit, in eis, ut & in Epeiro conſiſteremus, & de reliquis rebus tuo conſilio uteremur. quoniam id non contigit, erit hoc quoque in magno numero noſtrorum malorum. Nobis iter eſt in Aſiam, maxime Cyzicum. tibi meos commendo. me uix, miſeréque ſuſtento. Vale. D. XIIII. Cal. Maÿ. Tarenti.

CICERO ATTICO S.

BRVNDVSIVM ueni ad Cal. Maias. eo die pueri tui mihi à te literas reddiderunt: & alij pueri poſt diem tertiũ eius diei literas alias attulerunt. Quod me rogas, & hortaris, ut apud te in Epeiro ſim: uolũtas tua mihi ualde grata eſt, & minime noua, & conſilium mihi quidem optatũ, ſi licèret ibi omne tempus conſumere (odi enim cœlebritatem, fugio homines, lucem aſpicere uix poſſum: eſſet mihi iſta ſolitudo, præſertim tã familiari in loco, non amara) ſed itineris cauſa, ut diuertãr, primum eſt deuium, deinde ab Antronio, & cæteris quatridui: deinde ſine te. nam caſtellum munitum habitanti mihi prodeſſet, tranſeunti non eſt neceſſarium. Quod ſi audérem, Athenas pe-

terem. sanè ita cadebat, ut uellem. nunc & nostri hostes ibi sunt, & te non habemus: & ueremur ne interpretentur, illud quoque oppidum ab Italia non satis abesse: nec scribis, quam ad diem te expectemus.

Quod me ad uitã uocas: unum efficis, ut à me manus abstineam: alterum non potes, ut me non nostri consilij utique pœniteat. quid enim est, quod me retineat, præsertim si spes ea non est, quæ nos proficiscentes prosequebatur? Nõ faciam ut enumerem miserias omnes, in quas incidi per summam iniuriam, & scelus non tam inimicorum meorum, quàm inuidorum: ne & meum mœrorem exagitem, & te in eundem luctum uocem. hoc confirmo, neminem unquam tanta calamitate esse affectum, nemini mortem magis optandam fuisse, cuius oppetendæ tẽpus honestissimum prætermissum est. Reliqua tempora non sunt tam ad medicinam, quàm ad finem doloris. De Rep. uideo te colligere omnia, quæ putes aliquam spẽ mihi posse afferre mutandarũ rerum. quæ quanquam exigua sunt: tamen quoniam placet, expectemus. Tu nihilo minus, si properaris, nos consequere. nam aut accedemus in Epeirum, aut per Candauiam tarde ibimus. dubitationem autem de Epeiro non inconstantia nostra afferebat, sed quòd de fratre, ubi eum uisuri essemus, nesciebamus. quem quidem ego nec quomodo uisurus, & nec ubi dimissurus sim, scio. id est maximum, & miserrimum mearum omnium miseriarum. Ego & sæpius ad te, & plura scriberem, nisi mihi dolor meus cum omneis parteis mentis, tum maxime huius generis facultatem ademisset. uidere te cupio. Cura ut ualeas. Prid. Cal. Maij, Brundusij, proficiscens.

CICERO ATTICO S.

SCRIPSERAM ad te, quas ob causas in Epeirum non essemus profecti: quòd & Achaia propè esset plena audacissimorum inimicorum: & exitus difficiles haberet. Cũ inde proficiscæremur, accessit, ut Dyrrhachij essemus, ut duo nuncij afferrentur: unus, classe fratrem Ephesо Athenas: alter, pedibus per Macædoniam uenire. Itaque illi obuiam misimus Athenas, ut inde Thessalonicam ueniret. ipsi processimus, & Thessalonicam ad X. Cal. Iun. uenimus. neque de illius itinere quicquam certi habebamus, nisi eum ab Ephesо ante aliquanto profectum. Nunc, istic quid agatur, magnopere timeo. quanquam tu altera epistola scribis Idib. Maijs, audire, fore ut acrius postularet: altera, iam esse mitiora. sed hæc pridie data, quàm illa: quo conturbor magis. Itaque cum meus me mœror quotidianus lacerat, & conficit: tum uero hæc addita cura uix mihi uitam reliquam facit. sed & nauigatio perdifficilis fuit: & ille mœrtus, ubi ego essem, fortasse alium cursum petiuit. nam Phaeto libi eum non uidit: uento reiectus ab illo in Macædoniam, Pellæ mihi præsto fuit. Reliqua quàm mihi timenda sint, uideo. nec quid scribam, habeo: & omnia timeo. nec tam miserum est quicquam, quod non in nostram fortunam cadere uideatur. Equidem adhuc miser in maximis meis erumnis, & luctibus hoc metu adiecto maneo Thessalonicæ suspẽsus, nec audeo quicquam. Nunc ad ea quæ scripsisti. Tryphonem Cæcilium non uidi. Sermonem tuum, & Pompeij cognoui ex tuis literis. Motum in Rep. non tantum ego uideo, quantum tu

aut uides, aut ad me consolandum affers. Tigrane enim neglecto, sublata sunt omnia. Varroni me iubes agere gratias: faciam: item Hypsæo. Quod suades, ne longius discedamus, dum acta mensis Maij ad nos perferantur: puto me ita esse facturum, sed ubi, nondum statui: atque ita perturbato sum animo de Quinto, ut nihil queam statuere. sed tamen statim te faciam certiorem. Ex epistolarum mearum inconstantia puto te mentis meæ motum uidere. qui, etsi incredibili, & singulari calamitate afflictus sum, tamẽ non tã est ex miseria, quàm ex culpæ nostræ recordatione commotus. cuius enim scelere impulsi ac proditi sumus, iam profecto uides: atque utinam iam ante uidisses, neque totum animum tuum mœrori mecum simul dedisses. Quare, cum me afflictum, & confectum luctu audies, existimato me stultitiæ meæ pœnam ferre grauius, quàm euenti, quòd ei crediderim quem esse nefarium non putarã. Me & meorũ malorum memoria, & metus de fratre inscribendo impedit. tu ista omnia uide & guberna. Terentia tibi maximas gratias agit. literarum exemplum, quas ad Pompeium scripsi, misi tibi. Vale. D. IIII. Cal. Maij, Thessalonicæ.

CICERO ATTICO S.

QVINTVS frater cum ex Asia discessisset ante Cal. Maias, & Athenas uenisset Idibus, ualde fuit ei properandum, nequid absens acciperet calamitatis, si quis fortè fuisset qui contentus nostris malis non esset. itaque malui eum properare Romam, quàm ad me uenire. & simul (dicam enim quod uerum est, ex quo

magnitudinem miseriarum mearum perspicere possis) animum inducere non potui, ut aut illum amantissimum mei, mollissimo animo, tanto in mœrore aspicerem, aut meas miserias luctu afflictas, & perditam fortunam illi offerrem, aut ab illo aspici paterer. Atque etiam illud timebam, quod profecto accidisset, ne à me digredi non posset. uersabatur mihi tempus illud ante oculos, cum ille aut lictores dimitteret, aut ui a euelleretur ex complexu meo. huius acerbitatis euentum altera acerbitate non uidendi fratris uitaui. in hunc me casum uos uiuendi auctores impulistis. itaq; mei peccati luo pœnas. Quanquam tuæ me literæ sustentant, ex quibus, quantum tu ipse speres, facile perspicio. quæ quidem tamẽ aliquid habebant solatij ante quàm eò ueni, AD POMPEIO. nunc Hortensiũ alliciẽ, & eiusmodi uiros. Obsecro mi Pomponi non dum perspicis, quorum opera, quorum insidijs, quorũ scelere perierimus? sed tecum hæc coràm agemus. tantum dico, quod scire te puto: nos non inimici, sed inuidi perdiderũt. nunc si ita sunt, quæ speras, sustinebimus nos, & spe qua iubes, nitemur. sin ut mihi uidẽtur, infirma sunt: quod optimo tempore facere non licuit, minus idoneo fiet. Terẽtia tibi sæpe gratias agit. Mihi etiam unum de malis in metu est, fratris miseri negotium: quod si sciam cuiusmodi sit, sciam quid agendum mihi sit. Me etiam nunc istorum beneficiorũ, & literarum expectatio, ut tibi placet, Thessalonicæ tenet. si quid erit noui allatum, sciam de reliquo quid agendum sit. Tu, si ut scribis, Cal. Iun. Roma profectus es, propediẽ nos uidebis. literas quas ad Pompeiũ scripsi, tibi misi. Vale. Idib. Iun. Thessalonicæ.

CICERO ATTICO S.

XIII

ACTA quæ essent usque ad VIII. Cal. Iun. cognoui ex tuis literis. reliqua expectabam (ut tibi placebat) Thessalonicæ. quibus allatis, facilius statuere potero ubi sim. nam si erit causa. siquid agetur, si spem uidero, aut ibidem operiar, aut me ad te conferam: sin ut tu scribis, ista euanuerint, aliud aliquid uidebimus. omnino adhuc nihil mihi significatis, nisi discordiam istorum, quæ tamen inter eos de omnibus potius rebus est, quàm de me. Itaq; quid ea mihi prosit, nescio. sed tamen, quoad me uos sperare uultis, uobis obtemperabo. Nam quod me tam sæpe, & tam uehementer obiurgas: & animo infirmo esse dicis: quæso, ecquod tantum malum est, quod in mea calamitate non sit? Ecquis unquam ex tam amplo statu, in tam bona causa, tantis facultatibus ingenij, consilij, gratiæ, tantis præsidijs bonorum omnium concidit? Possum obliuisci qui fuerim, non sentire qui sim? quo caream honore? qua gloria? quibus liberis? quibus fortunis? quo fratre? quem ego (ut nouum calamitatis genus attendas) eum pluris facerem, quàm me ipsum, semperque feci ssem, utaui ne uiderem: ne aut illius luctum, squalorémque aspicerẽ: aut me, quem ille florentissimum reliquerat, perditum illi, afflictúmque offerrem. mitto cætera intolerabilia: etenim fletu impedior. Hic utrum tandem sum accusandus, quòd doleo, an quòd commisi, ut hæc aut nõ retinerem (quod facile fuisset, nisi intra parietes meos de mea pernicie consilia inirentur) aut certe uiuus amitterẽ? Hæc eo scripsi, ut potius releuares me, quod facis: quàm aut castigatione, aut obiur

gatione dignum putares. eóque ad te minus multa scribo, quòd & mœrore impedior: & quid expectẽ istinc, magis habeo, quàm quid ipse scribam. quæ si erunt allata, faciam te nostri consilij certiorem. tu ut adhuc feceris, quamplurimis de rebus ad me uelim scribas, ut prorsus nequid ignorem. Vale. XIIII. Cal. Quint. Thessalonicæ.

CICERO ATTICO S.

ME ET tuæ literæ, & quidam boni nuntij, non optimis tamen auctoribus, & expectatio uestrarum literarum, & quòd tibi ita placuerat, adhuc Thessalonicæ tenebant. si accepero literas, quas expecto: si spes erit ea quæ rumoribus afferebatur, ad te me cõferam: si non erit, faciam te certiorem quid egerim. Tu me, ut facis, opera, consilio, gratia iuua: consolari iam desine: obiurgare uero noli. quod cum facis, ut ego tuum amorem & dolorem desidero: quem ita affectum mea erumna esse arbitror, ut te ipsum consolari nemo possit. Quintum fratrem optimum humanissimúmque sustenta. Ad me, obsecro te, ut omnia certa perscribas. Vale. D. IIII. Cal. Quint.

CICERO ATTICO S.

TV quidem sedulo argumentaris, quid sit sperãdum, & maxime per Senatum: idémque caput rogationis proponi scribis, quare in Senatu dici nihil liceat: itaque sileatur. Hic tu me accusas, quòd me afflictem, cum ita sim afflictus, ut nemo unquam: quod tute intelligis. spem ostendis secundum comitia. quæ ista est eodem Tribuno pleb. & inimico Consule Des? Peraussisti autem me

etiam de oratione prolata. cui uulneri, ut scribis, medere, siquid potes. scripsi equidem olim eiratus, quòd illeprior scripserat. sed ita compresseram, ut nunquam emanaturā putarē: quomodo exciderit, nescio. sed quia nunquam accidit, ut cum eo, uerbo uno concertarem, & quia scripta mihi uidetur negligentius, quàm cæteræ: puto posse probari, non esse meam. id, si putas me posse sanari, cures uelim. sin planè perij, minus laboro. Ego etiam nunc eodem in loco iaceo sine sermone ullo, sine cogitatione ulla. Licet tibi (ut scribis) significarem, ut ad me uenires Sidona: tamen intelligo te istic prodesse, hic ne uerbo quidem leuare me posse. Nō queo plura scribere: nec est quod scribam. uestra magis expecto. Vale. XVI. Cal. Sext. Thessalonicæ.

CICERO ATTICO S.

QVOD ad te scripseram, me in Epeiro futurum: postea quam extenuari spem nostram, & euanescere uidi, mutaui consiliū, nec me Thessalonica cōmouit, ubi esse constitueram, quoad aliquid ad me de eo scriberes, quod proximis literis scripseras, fore, uti secundū comitia aliquid de nobis in Senatu ageretur. id tibi Pompeium dixisse. Qua de re, quoniam comitia habita sunt, túque nil ad me scribis: perinde habebo, ac si scripsisses nihil esse, méque temporis non longinqui spe ductum esse moleste feram. Quem autem motum te uidere scripseras, qui nobis utilis fore uideretur, eum nuntiant, qui ueniunt nullum fore. In Trib. pl. Dess. reliqua spes est. quam si expectaro, non erit quòd putes me causæ meæ, ac uoluntati meorum defuisse. Quòd me sæpe accusas, cur hunc meum casum tam grauiter ferā:

debes ignoscere, cum ita me afflictum uideas, ut neminem unquam nec uideris, nec audieris. Nam quòd scribis te audire, me etiam mentis errore ex dolore affici: mihi uero mens integra est, atque utinam tam in periculo fuisset, cum ego ijs quibus meam salutem charissimam esse arbitrabar, inimicissimis, crudelissimúsque usus sum: qui ut me paulũ inclinari timore uiderunt, sic impulerunt, ut omni suo scelere, & perfidia abutentur ad exitium meum. Nũc, quoniam est Cyzicum nobis eundũ, quo rarius ad me literæ perferẽtur, hoc uelim diligẽtius omnia, quæ putaris me scire opus esse, perscribas. Quantum fratrem meum fac diligas. quem ego miser si mœlumem relinquo, non me totum periisse arbitrabor. Vale. Non. Sext.

CICERO ATTICO S.

EX TVIS literis plenus sum expectatione de Pompeio, quidnam de nobis uelit, aut ostendat. comitia enim credo esse habita: quibus absolutis, scribis illi placuisse agi de nobis. Si tibi stultus esse uideor, qui sperem, facio tuo iussu, & scio te meis ijs epistolis potius, & meas spes solitum esse remorari. nũc uelim mihi planè perscribas, quid uideas. Scio nos nostris multis peccatis in hanc erũnam incidisse. ea si qui casus ex parte correxerint, minus moleste feremus nos uixisse, & adhuc uiuere. Ego propter uiæ celebritatem, & quotidianam expectationem rerum nouarũ non commouui me adhuc Thessalonicæ, sed iam extrudimur, non à Plancio (nam is quidem retinet) uerũ ab ipso loco minime apposito ad tolerandam in tanto luctu calamitatem. In Epeirum ideo, ut scripseram, non iui, quòd subiti mihi

uniuersi nuntij uenerant, & literæ, quare nihil esset necesse quam proxime Italiam esse. hinc si aliquid à comitijs audierimus, nos in Asiam conuertemus: neque adhuc stabat, quò potissimum: sed scies. Vale. XII. Calend. Sext. Thessalonicæ.

CICERO ATTICO S.

ACCEPI Idib. Sext. quatuor epistolas à te missas: unam qua me obiurgas, & rogas ut sim firmior: alterã, qua Crassi libertum ais tibi de mea solicitudine maciéque narrasse: tertiam, qua demõstras acta in Senatu: quartam, de eo quod à Varrone scribis tibi esse cõfirmatum de uoluntate Pompeij. Ad primam tibi hoc scribo, me ita dolere, ut non modo à mente non deserar, sed id ipsum doleam, me tam firma mente ubi utar, & quibuscum, non habere. nam si tu me uno non sine mœrore cares, quid me cœnses, qui & te & omnibus? & si tu incolumis me requiris, quomodo à me ipsam incolumitatem desiderari putas? Nolo commemorare quibus rebus sim spoliatus, non solum quia non ignoras, sed etiam ne scindam ipse dolorem meum. hoc confirmo, neque tantis bonis esse priuatum quẽquam, neque in tantas miserias incidisse. Dies autem non modo non leuat luctum hunc, sed etiam auget. nam cæteri dolores mitigantur uetustate, hic non potest non & sensu præsentis miseriæ, & recordatione præteritæ uitæ quotidie augeri. desidero enim non mea solum, neque meos, sed me ipsum. quid enim sum? sed non faciam ut aut tuum animum angam querelis, aut meis uulneribus sæpius manus afferam. Nam quòd purgas eos, quos ego mihi scripsi inuidisse, & in eis Catonem:

ego uero tantum illum puto ab isto scelere abfuisse, ut maxime doleã plus apud me simulationem aliorum, quàm istius fidem ualuisse. cæteri quos purgas, debent mihi purgati esse, tibi si sunt. sed hæc sero agimus.

Crassi libertum nihil puto sinære locutum. In Senatu rem probe scribis actam. sed quid Curio? an illã orationem non legit? quæ unde sit prolata, nescio. sed Axius eiusdem diei scribens ad me actu, non ita laudat Curionem. at potest ille aliquid prætermittere: tu nisi quod erat, profecto nõ scripsisti. Varronis sermo facit expectationem Cæsaris. atque utinam ipse Varro incumbat in causam. quod profecto cum sua sponte, tum te instante faciet. Ego, si me aliquando uestri, & patriæ compotem fortuna fecerit, certe efficiã, ut maxime lætere unus ex omnibus amicis: meáq; officia & studia, quæ parũ antea luxerunt (fatendum est enim) sic exequar, ut me æq; tibi, ac fratri, & liberis nostris, restitutum putes. Siquid in te peccaui, ac potius quoniã peccaui, ignosce. in me enim ipsum peccaui uehementius. neque hæc eo scribo, quo te non meo casu maximo dolore esse affectum sciam: sed profecto, si quantum me amas & amasti, tantum amare deberes ac debuisses, nunquam esses passus me, quo tu abundas, egere consilio: nec esses passus mihi persuaderi, utile nobis esse, legem de collegijs perferri. Sed tu tantum lachrymas præbuisti dolori meo, quod erat amoris, tanquam ipse ego: quod meritis meis perfectum esse potuit, ut dies & noctes quid mihi faciendum esset, cogitares, id abs te meo, nõ tuo scelere prætermissum est. Quod si non modo tu, sed quisquam fuisset, qui me Pompeij minus liberali responso perterritum à turpissimo consilio re-

uocaret, quod unus tu facere maxime potuisti: aut occubuissem honeste, aut uictores hodie uiueremus. Hic mihi ignoscas. me enim ipsum multo magis accuso: deinde te quasi me alterum: & simul meæ culpæ socium quæro. si restituor, etiam minus uidebimur deliquisse: absteque certe quoniam nullo nostro, tuo ipsius beneficio diligemur. Quòd te cum Culleone scribis de priuilegio locutum: est aliquid, sed multo est melius abrogari. si enim nemo impediet, sic est firmius: sin erit, qui ferri nõ sinat, idem S.C. intercedet. nec quicquam aliud opus est, quàm abrogari. nam prior lex nos nihil lædebat. quam si, ut est promulgata, laudare uoluissemus: aut ut erat negligenda, negligere: nocere omnino nobis non potuisset. Hic mihi, primum nõ modo consilium defuit, sed etiam obfuit. cæci, cæci inquam fuimus in uestitu mutando, in populo rogando. quod, nisi nominatim mecum agi cœptum esset, fieri perniciosum fuit. Sed pergo præterita: ueruntamen ob hanc causam, ut siquid ageretur, legem illam, in qua popularia multa sunt, ne tangatis. uerum est stultum me præcipere quid agatis, aut quomodo. utinam modo agatur aliquid. Multa occultant tuæ literæ, credo ne uehementius desperatione perturber. quid enim uides agi posse, aut quomodo? per Senatúmne? ast tute scripsisti ad me, quoddã caput legis Clodium in curiæ poste fixisse, ne referri, néue dici liceret. Quomodo igitur Domitius se dixit relaturum? quomodo autem ijs, quos tu scribis, & de re dicentibus, & ut referretur postulantibus, Clodius tacuit? At si per populum, poteritne nisi de omnium Tribunorum pleb. sententia? quid de bonis? quid de domo? poteritne restitui? aut, si non poterit, ego-

met quomodo potero? hæc nisi uides expediri, quam in spem me uocas? si autem spei nihil est, quæ est mihi uita? Itaque expecto Thessalonicæ acta Calend. Sext. ex quibus statuam, in tuósne agros confugiam, ut neque uideam homines, quos nolim, & te, ut scribis, uideam, & propius sim, siquid agatur: idque intellexi cum tibi, tum Quinto fratri placere: an abeã Cyzicum. Nunc Pomponi, quoniam nil impertisti tuæ prudentiæ ad salutem meam, quòd aut in me ipso satis esse consilij decreueras: aut te nil mihi plus debere, quàm ut præsto esses: quandoquidem ego proditus, inductus, conie ctus in fraudem, omnia mea præsidia neglexi, totam Italiam in me erectam ad me defendendum destitui, & reliqui: me meis tradidi inimicis, inspectante & ta cente te: quì si non plus ingenio ualebas quàm ego, cer te timebas minus: si potes erige afflictos, & in eo nos iuua. sin omnia sunt obstructa, id ipsum fac ut sciamus: & nos aliquando aut obiurgare, aut communiter consolari desine. Ego si tuam fidem accusarem, non me potissimum tuis tectis crederem. meam amentiam accuso, quòd à te tantum amari, quantum ego uellem, putaui. quod si fuisset, fidem eandem, curam maiorem adhibuisses, me certe ad exitium præcipitantem retinuisses, istos labores, quos nunc in naufragijs nostris suscipis, non subisses. Quare fac ut omnia ad me perspecta & explorata perscribas, néque ut facis, uelis esse aliquem, quoniam qui fui, & qui esse potui, iam esse non possum: & ut his literis, nõ te, sed me ipsum à me esse accusatum putes. Siqui erunt, quibus putes opus esse meo nomine literas dari, uelim conscribas, curéque dandas. Vale. D.XIIII.Cal.Sept.

CICERO ATTICO S.

TOTVM iter mihi incertum facit expectatio literarũ tuarum Cal.Sext.datarum, nõ aliud aliquid.si spes erit,Epeirum: sin minus,Cyzicum, aut aliud quid sequemur.Tuæ quidem literæ,quo sæpius à me legũtur, * hoc spem faciunt mihi minorem,quàm cum lectæ sunt. tum id,quod attulerũt ad spem,infirmant: ut facile appareat te & consolationi seruire,& ueritati.ídque te rogo planè,ut ad me,quæ scis,ut erunt:quæ putabis,ita scribas. Vale. D.XII Cal.Sept.

CICERO ATTICO S.

DE Quinto fratre nuncij nobis tristes, nec uarij uenerant ex ante diem Non.Iun. usque ad prid.Cal.Sept. eo autem die Liuius M. Reguli lib. ad me à Regulo missus uenit,is omnino mentionem nullam factam esse nuntiauit,sed fuisse tamen sermonem de C.Clodij filio,ísque mihi tum à fratre literas attulit. sed postridie Sestij pueri uenerunt, qui à te literas attulerunt, non tam exploratas à timore, quàm sermo Liuini fuerat. sanè sum in meo infinito mœrore solicitus,& eo magis, quòd Appij quæstio est. Cætera quæ ad me eisdem literis scribis de nostra spe, intelligo esse languidiora, quàm alij ostendunt. Ego autem, quoniam non longe ab eo tẽpore absumus,in quo res dijudicabitur, aut ad te cõferam me,aut etiam nunc circum hæc loca commorabor. Scribit ad me frater omnia sua per te unum sustineri.quid te aut horter,quod facis:aut agam gratias,quod non expectas? tantum uelim fortuna det nobis potestatem,ut incolumes amore nostro perfruamur

Tuas literas semper maxime expecto. in quibus caue ne aut diligentia tua mihi molesta, aut ueritas aerba sit. Vale. D. prid. Non. Sept.

CICERO ATTICO S.

EXPECTATIONEM nobis non paruam attuleras, cum scripseras Varronem tibi pro amicitia confirmasse, causam nostram Pompeium certe suscepturū, & simul à Cæsare ei literæ, quas expectaret, remissæ essent, auctorem etiam daturum. Vtrum id nihil fuit, an aduersatæ sunt Cæsaris literæ? an est aliquid in spe? etiam illud scripseras eundem, secundum comitia, dixisse. fac (si uides quantis in malis iaceam, & si putas esse humanitatis tuæ) me, fac de tota causa nostra certiorem. nam Q. frater homo mirus, qui me tam ualde amat, omnia mittit spei plena, metuens credo defectionem animi mei. tuæ autem literæ sunt uariæ: neq; enim me desperare uis: nec temere sperare. Fac, obsecro te, ut omnia, quæ prospici à te possunt, sciamus. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVOD eiusmodi mihi literæ à uobis afferebãtur, ut aliquid ex ijs esset expectandum: spe, & cupiditate Thessalonicæ detẽtus sum. Posteaquam omnis actio huius anni cõfecta nobis uidebatur, in Asiã ire nolui. quòd & celebritas mihi odio est, & si fieret aliquid à nouis magistratibus, abesse longe nolebam. itaque in Epeirũ ad te statui me conferre: non quo mea interesset loci natura, qui lucẽ omnino fugerem: sed aut ad salutẽ libentissime ex tuo portu proficiscar: aut si ea præcisa erit, nusquam facilius hanc miserrimam uitam uel su-

sſentabo,uel,quod multo eſt melius, abiecero. ergo cum paucis, multitudinem dimittam. me tuæ literæ nunquam in tantam ſpem adduxerunt, quantam aliorũ. attamen mea ſpes etiã tenuior ſemper fuit, quàm tuæ literæ. ſed tamen,quoniã cœptum eſt,age,quoquo modo cœptũ eſt, & quacunque de cauſa, non deſeram neque optimi, atque unici fratris miſeras,atq; luctuoſas preces,nec Seſtij,cæterorúmque promiſſa,nec ſpem erumnoſiſſimæ mulieris Terentiæ, nec miſerrimæ mulieris Tulliolæ obſecrationẽ,& fideles literas tuas. Mihi Epeirus aut iter ad ſalutem dabit,aut,quod ſcripſi ſupra. Te oro,& obſecro Põponi,ſi me omnibus ampliſſimis,chariſſimis, iucundiſſimíſque rebus perfidia hominum ſpoliatum, ſi me à meis conſiliarijs proditũ, & proiectum uides, ſi intelligis me coactũ,ut ipſe me & meos perderem: ut me tua miſericordia iuues, & Quintum fratrẽ,qui poteſt eſſe ſaluus,ſuſtentes: Terẽtiam,liberóſque meos tueare. me, ſi putas te iſtic uiſurum,expectes: ſi minus, inuiſas. ſi potes,mihique ex agro tuo tantum aſſignes,quantũ meo cõrpore occupari poteſt,& pueros ad me cum literis quamprimum,& quamſæpiſſime mittas. Vale. XVI. Cal. Oct.

CICERO SALVTEM Q. CAECILIO Q. F. POMPONIANO ATTICO.

QVOD quidem ita eſſe,& auunculum tuum functum eſſe officio,uehementiſſime probo: gaudere me tum dicam,ſi mihi hoc uerbo licebit uti. Me miſerum, quàm omnia eſſent ex ſententia,ſi nobis animus,ſi conſiliũ, ſi fides eorum,quibus credidimus, non defuiſſet: quæ colligere nolo, ne augeam mœrorem. Sed tibi uenire in

mentem certo scio, quæ uita esset nostra, quæ suauitas, quæ dignitas. ad quæ recuperanda per fortunas incibe, ut facis, diémque natalē reditus mei cura ut in tuis ædibus amœnissimis agam tecum, & cum meis. Ego huic spei, & expectationi, quæ nobis proponitur, maxime tamen uolui præstolari apud te in Epeiro. sed ita ad me scribitur, ut putem esse cōmodius nos eisdem in locis esse. De domo, & Curionis oratione, ut scribis, ita est. in uniuersa salute, si ea modo nobis restituetur, imerunt omnia. ex quibus nihil malo, quàm domū. sed tibi nihil mādo nominatim. me totū tuo amori, fideique cōmendo. Quòd te in tanta hæreditate ab omni occupatione expedisti, ualde mihi gratū est. Quòd facultates tuas ad meā salutē pollicēris, ut omnibus rebus à te præter cæteros iuuer: id quantū sit præsidiū, uideo: intelligóq;, te multas partes meæ salutis & suscipere, & posse sustinere: neque, ut ita facias, rogandum esse.

Quòd me uetas quicquā suspicari accidisse ad animum tuū, quod secus à me erga te cōmissum, aut prætermissum uideretur: gerā tibi morē, & liberabor ista cura: tibi tamē eo plus debebo, quo tua in me humanitas fuerit excælsior, quàm in te mea. Velim, quid ui deas, quid intelligas, quid agatur, ad me scribas, omneisque ad nostrā salutem adhortere. Rogatio Sestij neque dignitatis satis habet, nec cautionis: nā & nominatim ferre oportet, & de bonis diligētius scribi. & id animaduertas uelim. Vale. IIII. Non. Octob. Thessalonicæ.

CICERO ATTICO S.

TRIGINTA dies erant ipsi, cum has dabā literas, per quos nullas à uobis acceperam. mihi autem erat

in animo, iam, ut antea ad te scripsi, ire in Epeirum, & ibi omnem casum potissimum expectare. Te oro ut, si quid erit, quod perspicias, quamcunque in partem, quamplenissime ad me scribas, & meo nomine, ut scribis, literas, quibus putabis opus esse, ut des. Vale. V. Calend. Non.

CICERO ATTICO S.

ETSI diligenter ad me Quintus frater, & Piso, quæ essent acta, scripserant: tamen uellem tua te occupatio non impedisset, quo minus, ut consueras, ad me, quid ageretur, & quid intelligeres, perscriberes. Me adhuc Plantius liberalitate sua retinet iam aliquoties conatum ire in Epeirum. Spes homini est iniecta non eadem, quæ mihi, posse nos unà decedere. quam rem sibi magno honori sperat fore. Sed iam, cum aduentare milites dicentur, faciendum nobis erit, ut ab eo discedamus. quod cum faciemus, ad te statim mittemus, ut scias ubi simus. Lentulus suo in nos officio, quod & re, & promissis, & literis declarat, spem nobis nonnullam affert Pompeij uoluntatis: sæpe enim tu ad me scripsisti, eum totum esse in illius potestate. De Metello scripsit ad me frater, quatum speraret, profectum esse per te. mi Pomponi pugna, ut tecum, & cum meis mihi liceat uiuere: & scribe ad me omnia. premor cū luctu, tum desiderio omnium rerum, quæ mihi me chariores semper fuerant. Cura ut ualeas.

CICERO ATTICO S.

EGO, quòd, per Thessaliam si irem in Epeirum, perdiu nihil eram auditurus, & quòd mei studiosos habeo Dyrrhachinos, ad eos per rexi, cū illa superiora Thessalonicæ scripsissem. inde cum ad te me conuertā,

faciam ut scias. túque ad me uelim omnia quamdiligentissime, cuiusmodi sunt, scribas. ego iam aut rem, aut ne spem quidem expecto. Vale. VI. Cal. Decemb. Dyrrachij.

CICERO ATTICO S.

A D V. Cal. Dec. treis epistolas à te accepi. unam datam ad VIII. Cal. Nou. in qua me hortaris ut forti animo mensem Ian. expectem: eáque quæ ad spem putas pertinere, de Lentuli studio, de Metælli uoluntate, de tota Pompeij ratione perscribis. In altera epistola præter consuetudinem tuam, diem non adscribis, sed satis significas tempus. lege enim ab octo Tribunis pl. promulgata, scribis te eas literas eo ipso die dedisse, id est ad IIII. Cal. Nou. & quid putes utilitatis eam promulgationem attulisse, scribis. in quo si etiam nostra salus cũ hac lege desperata erit, uelim pro tuo in me amore hanc inanem meam diligentiam miserabilem potius, quàm ineptam putes. sin est aliquid spei, des operam, ut maiore diligentia posthac à nostris magistratibus defendamur. Nam ea ueterum Tribunorum pl. rogatio tria capita habuit: unum de reditu meo, scriptum incaute. nihil enim restituitur præter ciuitatem, & ordinem, quod mihi pro meo casu satis est: sed quæ cauenda fuerint, & quomodo, te non fugit. alterum caput est tralatitium de impunitate, siquid contra alias leges eius legis ergò factum sit. tertium caput, mi Pomponi, quo consilio, & à quo sit inculcatum, uide: scis enim Clodium sanxisse, ut uix, aut omnino non posset nec per senatum, nec per populũ infirmari sua lex. Sed uides nunquam esse obseruatas sanctiones ea-

rum legum, quæ abrogarentur. nã si id esset, nulla ferè abrogari posset: neque enim ulla est, quæ nõ ipsa se sepiat difficultate abrogationis. sed cum lex abrogatur, illud ipsum abrogari debet, quomodo eam abrogari oporteat. hoc cum re uera ita sit: cum semper ita habitum, obseruatúmque sit: octo nostri Tribuni pl. caput posuerũt hoc, SI QVID IN HAC ROGATIONE SCRIPTVM EST, QVOD PER LEGES, PLEBI'SVE SCITA, (HOC EST QVOD PER LEGEM CLODIAM) PROMVLGARE, ABROGARE, DEROGARE, OBROGARE SINE FRAVDE SVA NON LICEAT, NON LICVERIT, QVOD, VEL QVI PROMVLGAVIT, DEROGAVIT, OB EAM REM POENAE, MVLTAE' VE SIT EH. INR. atque hoc in illis Tribunis pl. nõ lædebat: lege enim collegij sui nõ tenebantur: quo maior est suspicio malitiæ alicuius, cui id, quod ad ipsos nihil pertinebat, erat autem cõtra me, scripserunt, ut noui Tribuni pl. si essent timidiores, multo magis sibi eo capite utendũ putarẽt, neq; id à Clodio prætermissum est: dixit enim in cõcione. ad III. Non hoc caput designatis Tribunis pl. præscriptũ esse quid licæret. tamẽ, in lege nulla esse eiusmodi caput, te nõ fallit. quod si opus esset, omnes in abrogãdo uterẽtur. Numium ac cæteros fugerit. Inuestiges uelim & quis attulerit, & quare octo Tribuni pl. ad Senatũ de me referre non dubitarint. siue, quòd obseruandũ illud caput nõ putabant, ij dem in abrogando tã cauti fuerunt, ut id metuerẽt, soluti cum essent, quod ne ijs quidẽ, qui lege tenentur, est curandum. Id caput

ſanè nolim nouos Tribunos pl. ferre: ſed perferant modo quidlibet: uno capite, quo reuocabor (modo res conficiatur) ero contentus. Iandudum pudet tam multa ſcribere: uereor enim, ne re iã deſperata legas: ut hæc mea diligẽtia miſerabilis tibi, alijs irridenda uideatur. ſed ſi eſt aliquid in ſpe, uide legem, quam T. Fabio ſcripſit T. Viſellius. ea mihi perplacet. nam Seſtij noſtri, quam tu tibi probari ſcribis, mihi non placet. Tertia eſt epiſtola prid. Id. Nou. data: in qua exponis prudenter & diligenter, quæ ſint, quæ rem diſtinere uideantur, de Craſſo, de Põpeio, de cæteris. quare oro te, ut ſiqua ſpes erit poſſe ſtudijs bonorum, auctoritate, multitudine comparata rẽ confici, des operã ut uno impetu perfringatur, in eam rẽ incumbas, cæteróſque tu excites. ſin ut ego perſpicio tum tua coniectura, tum etiã mea, ſpei nihil eſt: oro, obtęſtórque te, ut Quintum fratrem ames, quem ego miſerum miſere perdidi, néue quid eum patiare grauius conſulere de ſe, quàm expediat ſororis tuæ filio. meum Ciceronem, cui nihil miſello relinquo præter inuidiam, & ignominiã nominis mei, tueare, quoad poteris: Terentiam unam omniũ erumnoſiſſimam ſuſtentes tuis officijs. Ego in Epeirũ proficiſcar, cum primorum dierum nuntios exœpero.

Tu ad me uelim proximis literis, ut ſe initia dederint, perſcribas. Dat. ~~Vale.~~ prid. Cal. Dec.

CICERO ATTICO S.

ANTEA, cum ad me ſcripſiſſetis ueſtro conſenſu Conſulares prouincias ornatas eſſe, etſi uerebar quorſum id caſurum eſſet, tamen ſperabam uos aliquid aliquãdo uidiſſe prudentius. Poſtquam mihi & dictum eſt,

& scriptum, uehementer consilium uestrum reprehendi: grauiter sum cõmotus, quòd illa ipsa spes exigua, quæ erat, uidetur esse sublata. nam si Tribuni pl. nobis succensent, quæ potest spes esse? ac uidentur iure succensere, cum & expertes cõsilij fuerint, qui causam nostrã susceperant, & nostra concessione omnem uim sui iuris amiserint: præsertim cũ ita dicant, se nostra causa uoluisse suam potestatem esse de Consulibus ornandis, non ut eos impedirent, sed ut ad nostram causam adiungerent. nunc si Consules à nobis alienores esse uelint, posse id libere facere. sin uellent nostra causa, nihil posse se inuitis. Nam quod scribis, ni ita nobis placuisset, illos hoc idem per populum assecuturos fuisse: inuitis Tribunis pl. fieri nullo modo potuit. ita uereor, ne & studia Tribunorum amiserimus: &, si studia maneant, uinculum illud adiungendorum Cõsulum amissum sit. accedit aliud non paruum incommodum, quòd grauis illa opinio, ut quidẽ ad nos perferebatur, Senatum nihil decernere ante quàm de nobis actum esset, amissa est: præsertim in ea causa, quæ non modo necessaria non fuit, sed etiam inusitata, ac noua. neque enim unquam arbitror ornatas esse prouincias designatorum: ut, cũ in hoc illa cõstantia, quæ erat mea causa susceptа, immutata sit, nihil iam possit nõ decerni. iã his, ad quos relatum est, amicis placuisse non mirum sit: erat enim difficile reperire, qui cõtra tanta commoda duorũ Consulum palàm sententiã diceret: & fuit omnino difficile nõ obsequi uel amicissimo homini Lẽtulo, uel Metello, qui simultatẽ humanissime deponeret. sed uereor, ne hos cũ tenere potuerim, famẽ Trib. pl. amiserimus. hæc res quẽadmodũ ceciderit, &

tota res quo loco sit, uelim ad me scribas, & ita ut instituisti: nam ista ueritas, etiam si iucunda non est, mihi tamen grata est. Vale. D. IIII. Id. Dec.

CICERO ATTICO S.

POST *tuum à me discessum literæ mihi Roma allatæ sunt, ex quibus prospicio nobis in hac calamitate tabescendum esse. neque enim (sed bonam in partem accipies) si ulla spes salutis nostræ subesset, tu pro tuo amore in me hoc tempore discessisses. Sed ne ingrati, aut ne omnia uelle nobiscum unà interire uideamur, hoc omitto. Illud abs te peto, des operam, id quod mihi affirmasti, ut te ante Cal. Ian. ubicunque erimus, sistas.* Vale.

CICERO ATTICO S.

LITERAE *mihi à Quinto fratre cum S. C. quod de me est factum, allatæ sunt. mihi in animo est, legum lationem expectare, si obtrectabitur, utar auctoritate senatus: & potius uita, quàm patria carebo. Tu quæso festina ad nos uenire.* Vale. VI. Cal. Ian.

CICERO ATTICO S.

EX TVIS *literis, & ex re ipsa nos funditus periisse uideo. Te oro ut, quibus in rebus mei tui indigebũt, nostris miserijs ne desis. Ego te, ut scribis, cito uidebo. plura non scribo.* Cura ut ualeas.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T. POMPONIVM ATTICVM LIB. IIII.

CICERO ATTICO S.

C Vmprimum Romam ueni, fuitque cui recte ad te literas darem, nil prius faciendum mihi putaui, quàm ut tibi absenti de reditu nostro gratularer. cognorã enim (ut uere scribam) te in cõsilijs mihi dandis nec fortiorem, nec prudentiorem, quàm me ipsum: nec etiam propter tuam in me obseruantiam nimium in custodia salutis meæ diligentem, eundémque te, qui primis temporibus erroris nostri, aut totius furoris particeps, & falsi rumoris socius fuisses, acerbissime dissidium nostrũ tulisse: plurimúmque operæ, studij, diligentiæ, laboris ad cõficiendũ reditum meum cõtulisse. Itaque hoc tibi uere affirmo, in maxima lætitia, & exoptatissima gratulatione unum ad cumulandum gaudium cõspectum, aut potius cõplexum mihi tuum defuisse. quem semel nactus, nunquã dimisero. ac nisi etiam prætermissos fructus tuæ suauitatis præteriti temporis omnes exegero, profecto hac restitutione fortunæ me ipse non satis dignum iudicabo. Nos adhuc in nostro statu, quod difficillime recuperari posse arbitrati sumus, splendorem nostrum illum forẽsem, & in senatu auctoritatem, & apud uiros bonos gratiam magis quàm optaramus, cõsecuti sumus. in re autem familiari, quæ quemadmodum fra-

ēta, dissipata, direpta sit, non ignoras, ualde laboramus: tuarúmque non tam facultatum, quas ego nostras esse iudico, quàm consiliorum ad colligendas, & constituēdas reliquias nostras indigemus. Nūc, etsi omnia aut scripta esse à tuis arbitror, aut etiam nuntijs, ac rumore perlata, tamen ea inscribam breui, quæ te puto potissimum ex meis literis uelle cognoscere. Prid. Non. Sext. Dyrrhachio sum profectus, ipso illo die, quo lex est lata de nobis. Brunduſiū ueni Non. Sext. ibi mihi Tulliola mea fuit præsto natali suo ipso die, qui casu idem natalis erat & Brūdusinæ coloniæ, & tuæ uicinæ Salutis. quæ res animaduersa, multitudine summa Brundusinorū gratulatione celebrata est. Ante diē VI. Id. Sext. cognoui literis Quinti fratris, mirificō studio omnium ætatum, atque ordinum, incredibili cōcursu Italiæ legem comitijs centuriatis esse perlatam. inde à Brundusinis honestissimis ornatus, iter ita feci, ut undique ad me cum gratulatione legati cōuenerint. ad Vrbem ita ueni, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obuiam non uenerit, præter eos inimicos, quibus id ipsum non licēret aut dissimulare, aut negare. Cū ueniſsem ad portā Capenam, gradus templorum ab imſima plebe completi erant. à qua plausu maximo cum esset mihi gratulatio significata, similis & frequētia, & plausus me usque ad Capitoliū celebrauit. in foro, & in ipso Capitolio miranda multitudo fuit. Postridie in Senatu, qui fuit dies Nō. Sept. Senatui gratias egimus. eo biduo cum esset annonæ summa caritas, & homines ad theatrum primo, deinde ad Senatum concurrissent impulsu Clodij, mea opera frumēti inopiam esse clamarent: cū per eos dies

Senatus de annona haberetur, & ad eius procurationem sermone non solum plebis, uerũ etiam bonorum Pompeius uocaretur, ídque ipse cuperet, multitudóque à me nominatim, ut id decernerem, postularet: feci, & accurate sententiã dixi, cum abessent consulares, quòd tutò se negarent posse sententiam dicere, præter Messalam, & Afranium. factum est S.C. in meam sententiam, ut cum Pompeio ageretur, ut eam rem susciperet, léxque ferretur. quo S.C. recitato, cum concio more hoc insulso, & nouo, plausum, meo nomine recitando, dedisset: habui concionem: omnes magistratus præsentes, præter unum Prætorem, & duos Tribunos pl. dederunt. postridie Senatus frequens, & omnes consulares nihil Pompeio postulãti negarunt. Ille legatos quindecim cum postularet, me principem nominauit, & ad omnia me alterum se fore dixit. legem Coss. conscripserunt, qua Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariæ toto orbe terrarum daretur. alteram Messius, qui omnis dat pecuniæ potestatem, & adiunxit classem, & exercitum, & maius imperiũ in prouincijs, quàm sit eorum, qui eas obtineant. Illa nostra lex consularis nunc modesta uidetur, hæc Messiũ non ferenda. Pompeius illam uelle se dicit, familiares hanc: consulares ducæ Fauonio fremunt. nos tacemus, & eo magis, quòd de domo nostra nihil adhuc Põtifices respõderant. qui si sustulerint religionem, areã præclaram habebimus. superficiem Consules ex S. C. æstimabũt: sin aliter, demolientur, suo nomine locabũt, rem totam æstimabunt. ita sunt res nostræ, ut in secundis, fluxæ: ut in aduersis, bonæ. In re familiari ualde sumus, ut scis, perturbati. præterea sunt quædam do-

meſticæ, quæ literis non cõmitto. Quintum fratrem insigni pietate, uirtute, fide præditum ſic amo, ut debeo.

Te expecto, & oro ut matures uenire: eóque animo uenias, ut me tuo cõſilio egere non ſinas. alterius utæ quoddã initium ordimur. Iam quidã, qui nos abſentes defenderunt, incipiunt præſentibus occultè iraſci, aperte inuidere. uehementer te requirimus. Vale.

CICERO ATTICO S.

SI FORTE rarius tibi à me, quàm à cæteris, literæ redduntur, peto à te, ut id non modo non negligentiæ
a meæ, ſed ne occupationi quidẽ tribuas. quæ etſi ſumma eſt, tamen nulla eſſe poteſt tanta, ut interrumpat iter amoris noſtri, & officij mei. nam ut ueni Romam, iterum nunc ſum certior factus, eſſe cui darem literas. itaque has alteras dedi. Prioribus tibi declaraui, aduentus noſter qualis fuiſſet, & quis eſſet ſtatus, atque omnes res noſtræ quẽadmodum eſſent, ut in ſecundis, fluxæ: ut in aduerſis, bonæ. Poſt illas datas, ſecuta eſt ſumma cõtẽtio de domo. diximus apud Põtifices prid. Cal. Oct. acta res eſt accurate à nobis. & ſi unquã in dicẽdo fuimus aliquid, aut etiam ſi nunquam aliàs fuimus, tum profecto doloris magnitudo uim quãdam nobis dicendi dedit. Itaque oratio iuuentutis noſtræ deberi non poteſt: quam tibi, etiam ſi non deſideras, tamẽ mittam cito. Cum Põtifices decreſſent ita, Si neque populi iuſſu, neque plebiſcito, qui ſe dedicaſſe diceret, nominatim ei rei præfectus eſſet, neque populi iuſſu, aut plebiſcito id facere iuſſus eſſet, uideri poſſe ſine religione iam partẽ areæ mihi reſtitui: mihi facta ſtatim eſt gratulatio. nemo enim dubitat quin domus no-

bis esset adiudicata. tum subito ille in concionem ascendit, quam Appius ei dedit. nuntiat iam populo, Pontifices secundū se decreuisse, me autem ui conari in possessionem uenire. hortatur ut se, & Appium sequantur, & suam libertatem ut defendāt. Hic cum etiam illi infimi partim admirarētur, partim irriderent hominis amētiam, ego statueram illuc non accedere, nisi cum Consules ex S. C. porticum Catuli restituendam locassent. Cal. Oct. habetur Senatus frequens: adhibentur omnes Pōtifices, qui erāt senatores. à quibus Marcellinus, qui erat cupidissimus mei, sententiam primus rogatus, quaesiuit, quid essent in decernendo secuti. tum Lucullus de omnium collegarum sentētia respōdit, religionis iudices Pōtifices fuisse, legis Senatum: se, & collegas suos de religione statuisse, in Senatu de lege statuturos. quisque horum loco sententiā rogatus, multa secūdum causam nostram disputauit. cum ad Clodium uētum est, cupit diem consumere: neque ei finis est factus: sed tamen, cū horas tres ferè dixisset, odio, & stre pitu Senatus coactus est aliquando perorare. Cum fieret S. C. in sententiam Marcellini, omnibus præter unum assentientibus, Serranus intercessit. de interces-sione statim ambo Consules referre cœperunt. cum sententiæ grauissimæ diicerētur, Senatui placere mihi domum restitui, porticum Catuli locari, auctoritatem ordinis ab omnibus magistratibus defendi: si quæ uis esset facta, Senatū existimaturum eius opera factū esse, qui S. C. intercessisset: Serranus pertimuit, & Cornicinus ad suam ueterem fabulam redijt, abiecta toga se ad generi pedes abiecit. ille noctem sibi postulauit: non concedebant: reminiscebantur enim Cal. Ian. uix

tamen sibi de mea uoluntate concessum est. postridie S. C. factum est id, quod ad te misi. deinde Consules porticum Catuli restituendam locarunt. illam porticum Redemptores statim sunt demoliti libentissimis omnibus. nobis superficiem ædium Consules de consilij sententia æstimarunt HS uicies, cætera ualde illiberaliter, Tusculanam uillam quingentis millibus, Formianum HS ducentis quinquaginta millibus. quæ æstimatio nō modo uehemēter ab optimo quoque, sed etiam à plebe reprehēditur. Dicæs, Quid igitur causæ fuit? Dicāt illi quidem, pudorem meum, quòd neque negarim, neque uehementius postularim. sed non est id: nam hoc quidem etiam profuisset. Verum ijdem mi T. Pōponi, ijdem inquam illi, quos ne tu quidem ignoras, qui mihi pennas inciderant, nolunt eas dē renasci: sed, ut spero, iam renascuntur. tu modo ad nos ueni: quod uereor ne tardius interuentu Varronis tui, nostríque facias. Quoniam acta quæ sint, habes, de reliqua nostra cogitatione cognosce. Ego me à Pompeio legari ita sum passus, ut nulla re impedirer, quin, si uellem, mihi esset integrū, aut si comitia Cēsorum proximi Consules haberent, petere posse, aut uotiuam legationē susscipere propè omnium fanorum, ac sacrorum locorū. sic enim nostræ rationes postulabant. sed uolui meam potestatem esse uel petendi, uel ineunte æstate exeundi. & interea me esse in oculis ciuium de me optime meritorum, non alienum putaui. ac forensium quidem rerum hæc nostra consilia sunt, domesticarum autem ualde impedita. Domus ædificatur, scis quo sumptu, qua molestia. reficitur Formianum: quod ego nec relinquere possum, nec uidere. Tusculanum proscripsi.

suburbano non facile careo. amicorum benignitas exhausta est in ea re, quæ nihil habuit præter dedecus, quod sensisti tu absens, præsentes. quorum studijs ego, & copijs, si esset per meos defensores licitum, facile essem omnia consecutus: quo in genere nunc uehementer laboratur. cætera, quæ me solicitant, μυσιπώτερα sunt. amamur à fratre, & à filia. te expectamus. Vale.

CICERO ATTICO S.

AVERE te certo scio, tu scire quid hic agatur, tum à me scire. non quo certiora sint ea, quæ in oculis omnium geruntur, si à me scribantur, quàm cum ab alijs aut scribuntur tibi, aut nũtiantur; uerum ut perspicias ex meis literis, quo modo ea ferã, quæ geruntur, & qui sit hoc tẽpore aut mẽtis meæ sensus, aut omnino uitæ status. Armatis hominibus ante diem tertium Non. Nou. expulsi sunt fabri de area nostra, disturbata porticus Catuli, quæ ex S.C. Consulum locatione reficiebatur, & ad tectum penè peruenerat. Quinti fratris domus primo fracta coniectu lapidum ex area nostra, deinde inflammata, iussu Clodij, inspectante urbe, cõiectis ignibus, magna querela, & gemitu, non dicam bonorum, qui nescio an ulli sint, sed planè hominum omnium. ille uehemens furere. post hunc uero furorem nil nisi cædem inimicorum cogitare, uicatim ambire, seruis apertè spem libertatis ostendere. etenim antea cum iudicium nolebat, habebat ille quidẽ difficilẽ, manifestámque causam, sed tamen causam. id poterat inficiari, poterat in alios deriuare, poterat etiã aliquid iure factũ defendere. Post has ruinas, incendia, rapinas, desertus à suis, uix iam Decimum Desi-

gnatorem, uix Gellium retinet. seruorum cõsilijs utitur. uidet, si omneis quos uult, palàm occiderit, nihilo suam cãusam difficiliorem, quàm adhuc sit, in iudicio futuram. Itaque ante diem tertium Id. Nouẽb. cum sacra uia discederem, insecutus est me cum suis. clamor, lapides, fustes, gladij: hæc improuisa omnia. Discessimus in uestibulum M. Tetij Damionis. qui erant mecum, facile operas aditu prohibuerũt. ipse occidi potuit. sed ego dieta curari incipio. chirurgiæ tædet. ille, omnium uocibus cum se non ad iudicium, sed ad supplicij præsens trudi uideret, omneis Catilinas Acidinos postea reddidit. nam Milonis domum meámque in Ceramio prid. Id. Nouemb. expugnare eo incendere ita conatus est, ut palàm hora V. cum scutis homines eductis gladijs, alios cum accensis facibus adduxerit. ipse domum P. Syllæ pro castris sibi ad eam impugnationem sumpserat. tum ex Anniana Milonis domo Q. Flaccus eduxit uiros acreis, occidit homines ex omni latrocinio Clodiano notissimos: ipsum capiuit, sed ille se in interiorem partem ædiũ abdidit. Sylla se in Senatu postride Id. domi Clodius: egregius Marcellinus, omnes acres. Metellus calumnia dicendi tempus exemit, adiuuante Oppio, etiam hercule familiari tuo, de cuius constantia, uirtute ueriſſimæ literæ. Sestius furere. ille postea, si comitia sua non fierent, urbi minari. Proposita Marcellini sententia, quam ille de scripto ita dixerat, ut totam nostram cãusam areæ, incendiorum, periculi mei iudicio complecteretur, eáque omnia comitijs anteferret: proscripsit se per omnes dies comitiales de cælo seruaturum. conciones turbulentæ Metelli, temerariæ Appij, furioſiſſimæ Publij. hæc

tamen ſumma. niſi Milo in campum obnuntiaſſet, comitia futura. Ante diem XII. Cal. Decemb. Milo media nocte cum magna manu in campũ uenit. Clodius cum haberet fugitiuorum deiectas copias, in campum ire non eſt auſus. Milo permanſit ad meridiem, mirifica hominum lætitia, ſumma cum gloria. contentio fratrum trium turpis, fracta uis, contemptus furor. Metellus tamen poſtulat, ut ſibi poſtero die in foro obnuntietur: nihil eſſe, quod in campum nocte ueniretur: ſe hora prima in comitio fore. Itaque ante diem XI. Calend. Ian. in comitium Milo de nocte uenit. Metellus cum prima lucè furtim in campum itineribus propè deuijs currebat. aſſequitur inter lucos hominem Milo, obnuntiat, ille ſe recipit magno turpique Q. Flacci conuitio. ante diem X. Calend. nundinæ. concio biduo nulla. Ante diem VIII. Calend. hæc ego ſcribebam, hora noctis nona. Milo campum iam tenebat. Marcellus candidatus ita ſtertebat, ut ego uicinus audirem. Clodij ueſtibulum uacuum ſanè mihi nuntiabatur, paucis pãnoſis ſine laterna. meo conſilio illi omnia fieri querebantur, ignari quantum in illo heroe eſſet animi, quantum etiam conſilij. mirãda uirtus eſt. Noua quædam diuina mitto. ſed hæc ſumma eſt: comitia fore non arbitror. Publium reum (niſi ante occiſus erit) à Milone fore puto. ſi ſe inter uiam obtulerit, occiſum iri ab ipſo Milone uideo. non dubitat facere: præſe fert: caſum illum noſtrum non extimeſcit. nunquam enim cuiuſquam inuidi & perfidi conſilio eſt uſus, nec inerti nobili creditur us. Nos animo duntaxat uigemus, etiam magis, quàm cum florebamus. re familiari comminuti ſumus. Quinti fratris tamen liberalitati pro ſa

cultatibus nostris, ne omnino exhaustus essem, illo recusante subsidijs amicorum respondemus. Quid consilij de omni nostro statu capiamus, te absente nescimus. quare appropera.

CICERO ATTICO S.

PERIVCVNDVS mihi Cincius fuit ante diem tertium Calend. Febr. ante lucem: dixit enim mihi te esse in Italia, seseque ad te pueros mittere: quos sine meis literis ire nolui: non quo haberem quod tibi, præsertim iam propè præsenti, scriberem: sed ut hoc ipsum significarem, mihi aduentum tuum suauissimum, expectatissimumque esse. quare aduola ad nos, eo animo, ut nos ames, & te amari scias. cætera cordi agemus. Hæc properates scripsimus. quo die uenies, utique cum tuis apud me sis. perbelle feceris, si ad nos ueneris. offendes designationem Tyrannionis, mirificam librorum meorum bibliothecam: quorum reliquiæ multo meliores sunt, quàm putaram. Etiam uelim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus, ad cætera administris, iisque imperes, ut sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos uos Græci (ut opinor) συλλάβους appellatis. Sed hæc, si tibi erit commodum. ipse uero utique fac uenias, si potes in his locis adhærescere, & Piliam adducere. ita enim & æquum est, & cupit Tullia. Mediusfidius næ tu emisti locum præclarum. Gladiatores audio pugnare mirificè. si locare uoluisses, duobus his muneribus liberasses. sed hæc posterius. Tu fac uenias, & de librarijs, si me amas, diligenter. Vale.

CICERO ATTICO S.

AIN TV? existimas ab ullo malle mea legi, probarique, quàm à te? cur igitur cuiquam misi prius? urgebar ab eo ad quem misi, & non habebam exemplar. Sed quid? etiam (dudum enim circumrodo, quod deuorandum est) subturpicula mihi uidebatur esse παλινῳδία. sed ualeant recta, uera, honesta consilia. non est credibile, quæ sit perfidia in istis principibus, ut uolũt esse, & ut essent, si quicquam haberent fidei. Senseram, noram, inductus, relictus, proiectus ab ijs: tamen hoc erat in animo, ut cum ijs in Rep. consentirem. ijdem erant, qui fuerant. uix aliquando te auctore resipiui. Dicis, ea te monuisse, suasisse quæ facerem, non etiam ut scriberẽ. ego mehercule mihi necessitatem uolui imponere huius nouæ coniunctionis, ne quà mihi liceret labi ad illos, qui etiam tum, cum misereri mei debent, non desinunt inuidere. sed tamen modici fuimus ὑποθέσεα ut scripsi: erimus uberiores, si & ille libenter accipiet, & ij subringentur, qui illam me molestè ferunt habere, quæ Catuli fuerat, aut etiam emisse non cogitant. qui domum negant oportuisse me ædificare, uendere aiũt oportuisse. Sed quid ad hoc? quibus sententijs dixi quod & ipsi probarent, lætati sunt tamen me & contra Pompeij uoluntatem dixisse. Sed quoniam qui nihil possunt, ij me nolunt amare: demus operã, ut ab ijs qui possunt diligamur. Dicis, Vellem iampridem. Scio te uoluisse, & me. ast nugigeram manum, fuisse. iam tempus est me ipsum à me amari, quando ab illis nullo modo possum. Domum meam quòd crebro inuisis, est mihi ualde gratũ. Viaticum Crassipes præ-

ripit. Tu de uia rectà in hortos uidetur cõmodius ad te: postridie scilicet. quid enim tua? sed uiderimus. bibliothecam mihi tui pinxerunt constructione, & sic tybis. eos uelim laudes. Vale.

CICERO ATTICO S.

DE Lentulo scilicet sic fero, ut debeo. uirum bonum & magnum hominem, & in summa magnitudine animi multa humanitate temperatum perdidimus, nósque malo solatio, sed non multo, tamen consolamur, quòd ipsius uicem minime dolemus, non ut Saufeius, & uestri, mehercule quia sic amabat patriam, ut mihi aliquo Deorum beneficio uideatur ex eius mœndio esse ereptus. Nam quid fœdius nostra uita, præcipue mea? nam tu quidem, etsi es natura πολιτικὸς, tamen nullam habes propriam seruitutem: communi seruieris nomine. Ego uero, qui si loquor de Repub. quod oportet, insanus: si quod opus est, seruus existimor: si taceo, oppressus & captus: quo dolore esse debeo? quo sum scilicet, hoc etiam acriore, quòd nè dolere quidē possum, ut non ingratus uidear. Quid, si cæsare libet, & in otij portum confugere? nequicquam, immo etiam in bellum & in castra. Ergo erimus ὀπαδοί, qui ταχὺ esse uolumus? Sic faciendum est. tibi enim ipsi (cui utinam semper paruissem) sic uideo placere. Reliqui est, σπάρταν ἔλαχες, τὼ σπάρτα κόσμει. non mehercule possum, & Philoxeno ignosco, qui reduci in carcerem maluit. ueruntamen id ipsum mecum in his locis commentor, ut ista improbem: ídque tu cum unà erimus, confirmabis.

A te literas crebro ad me scribi uideo: sed omnes uno tempore accepi. quæ res etiam auxit dolorem

meum: casu enim trinas ante legeram, quibus meliuscule Lētulo esse scriptum erat. ecce quartæ fulmen. sed ille, ut scripsi, non miser: nos uero serui. Quòd me admones, ut scribam illa Hortensiana: in alia incidi, non immemor istius mandati tui: sed mehercule incipiendo refugi, ne quòd uideor stultæ illius amici non intemperiem tulisse, rursus stultæ iniuriā illius faciam illustrem, siquid scripsero: & simul ne βαθύτης mea, quæ in agendo apparuit, in scribendo sit occultior, & aliquid satisfactio leuitatis habere uideatur. Sed uiderimus. tu modo quamsæpissime ad me aliquid. Epistolam, Lucio quam misi, qua res mea ut scribat, rogo, fac ut ab eo sumas: ualde bella est: eúmque ut approperet, adhorteris: & quòd mihi se ita facturum rescripsit, agas gratias. Domum nostram, quoad poteris, inuisas. Vestorio aliquid significes. ualde enim est in me liberalis: nihil εὐκαιρότερον. Vale.

CICERO ATTICO S.

NIHIL εὐκαιρότερον epistola tua, qua EPISTOLA tua, me solicitum de Quinto nostro, puero optimo, ualde leuauit: uenerat horis duabus ante Cherippus: mera monstra nuntiarat. De Apollonio quod scribis, qui illi Diratiat, homini Græco, qui conturbare quidem putat sibi licere, quod equitibus Rom. nam Terentius suo iure. De Metello, ἐκ τῶν ῥαιμένοισιν. sed tamen multis annis ciuis nemo erat mortuus. Quid quidem tibi? numi meo periculo sint. quid enim uereris, quencunque hæredem fecit nisi Publium fecit. uerum fecit non improbe, quanquam fuit ipse. quare in hoc thecam nūmariam non retexeris: in alijs eris cautior. Mea mandata de domo cu-

rabis: præsidia locabis: Milonem admonebis. Arpinatum fremitus est incredibilis de Laterio. quid quæris? equidem dolui. ὀδὲ ἐμπάσσετο μύθων. Quod superest, etiam puerum Ciceronem curabis, & amabis ut facis. Vale.

CICERO ATTICO S.

MVLTA me in epistola tua delectarunt, sed nihil magis, quàm patina tyrotarichi. nam de Rauduscalo quod scribis, μήπω μέγαν ἄπνις πρὶν τελευτήσαντ' ἰδεῖν, ædificati tibi in agris nihil reperio. in oppido est quiddam de quo est dubium, sitne uænale: ac proximum quidem nostris ædibus. Hoc scito, Antium Bythrotum esse Romæ, ut Corcyræ illud tuum. nihil quietius, nihil alsius, nihil amœnius. ΕΙΜΗΙCΗΤΩΦΙΔΟC ΚΟC, postea uero quàm Tyrannio mihi libros disposuit, mens addita uidetur meis ædibus. qua quidem in re mirifica opera Dionysij, & Menophili tui fuit. nihil uenustius, quàm illa tua pægmata. postquam misisti, libros illustrarunt ualde. & scribas ad me uelim de gladiatoribus, sed ita, bene si rem gerunt: non quæro male si egisse. Apenas uix discesserat, quum epistola. Quid ais? putásne fore, ut legem non ferat? Dic, oro te, clarius: uix enim mihi exaudisse uideor. uerum statim fac ut sciam, si modo est commodum. Ludis quidem quoniam dies est additus, eo etiam melius hic eum diem cum Dionysio conteremus. De Trebonio prorsus tibi assentior. De Domitio, σύνω μὰ τὴν θήμητρα σύνον, ἔδεεν ὅτω ὅμοιον γίγονεν quam est ista περίσασις nostra? uel quòd ab ijsdem: uel quòd præter opinionem: uel quòd uri boni nusquam: unum dissi-

mile, quòd huic merito. nam de ipso casu nescio, an illud melius. quid enim hoc miserius, quàm eum qui tot annos, quot habet, Des. Consul fuerit, fieri Consulem non posse, præsertim cum aut solus, aut certe non plus quàm cum altero petat? Si uero id est, quod nescio an sit, ut non minus longas iam in codicillorum fastis futurorum Consulum pagunulas habeat, quàm factorũ: quid illo miserius? nisi Respub. in qua ne speratur quidem melius quicquam. De Natta ex tuis primum scitui literis. oderam hominem. De poemate quod quæris, quid si cupiat effugere? quid si sinat? De Fabio Lusco quod eram exorsus, homo peramans semper nostri fuit, nec mihi unquam odio. satis enim acutus & permodestus, ac bene frugi. eum quia nõ uidebam, abesse putabam. Audiui ex Gauio hoc Firmano, Romæ esse hominem, & fuisse assiduum, percussit animum. Dices, Tătulane causa? Permulta ad me detulerat non dubia de Firmanis fratribus. quid sit. quòd se à me remouit, si modo remouit, ignoro. De eo quod me mones, ut & me geram πολιτικῶς & in eo γραμμὴν teneam: ita faciam: sed opus est maiore prudentia, quam à te ut soleo, petam. Tu uelim & Fabium, siquem habes aditum, odorere: & istum conuiuam tuum degustes, & ad me de istis rebus, & de omnibus quotidie scribas. ubi nihil erit quod scribas, id ipsum scribito. Cura ut ualeas.

CICERO ATTICO S.

SANE uelim scire num censum impendant Tribuni diebus uitiandis (est enim hic rumor) totáque de Censura quid agant, quid cogitẽt. Nos hic cum Pompeio

fuimus. multa mecum de Rep. sanè sibi displicens, ut lo-
quebatur (sic est enim in hoc homine dicendum) Sy-
riam spernens, Hispaniam iactans: hic quoque, ut lo-
quebatur: & opinor usquequaque. de hoc cum dice-
mus, sit hoc quasi πρὸς φουνλίδου. tibi etiam gra-
tias agebat, quòd signa componenda suscepisses. in nos
uero suauissime hercule est effusus. uenit etiã ad me
in Cumanum. ac se nihil minus uelle mihi uisus est,
quàm Messalam Consulatum petere. de quo ipso si-
quid scis, uelim scire. Quòd Lucio scribis te no-
stram gloriam commendaturum, & ædificium nostrũ
quòd crebro inuisis, gratũ. Quintus frater ad me
scripsit, se, quoniam Ciceronem suauissimum secum ha-
beret, ad te Non. Maijs uenturum. Ego me de Cu-
mano moui ante diem V. Cal. Maij, eo die Neapoli a-
pud Lætum. ante diem IIII. Calend. Maij iens in
Pompeianum bene mane hæc scripsi. Puteolis ma-
gnus est rumor Ptolemæum esse in regno. si quid ha-
bes certius, uelim scire. Ego hic pascor bibliotheca
Fausti: fortasse tu putabas his rebus Puteolanis, & Lu
crinensibus. ne istæ quidem desunt. Sed mehercule à
cæteris oblectationibus deseror, & uoluptatibus pro-
pter Remp. sic literis sustentor & recreor: malóque in
illa tua sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis,
sedere, quàm in istorum sella curuli: tecúmque apud
te ambulare, quàm cum eo, quocum uideo esse ambu-
landum. sed de illa ambulatione fors uiderit, aut si-
quis est, qui curet Deus. Nostram ambulationem, &
Laconicum, eáque quæ Cyrea sint, uelim cum poteris,
inuisas, & urgeas Philotimum, ut properet, ut possim ti
bi aliquid in eo genere respondere. Pompeius in Cu

manum Parilibus uenit. misit ad me statim, qui salutem nuntiaret. ad eum postridie mane nadebam, cum hæc scripsi. Vale.

CICERO ATTICO S.

DELECTARVNT me epistolæ tuæ, quas accepi uno tempore duas ante diem V. Cal. perge reliqua. gestio scire ista omnia. etiam illud cuiusmodi sit, uelim perspicias: potes à Demetrio. Dixit Pompeius, Crassum à se in Albano expectari ante diem quartum Cal. is cum uenisset, Romam esse statim uenturos, ut rationes cum publicanis putarent. quæsiui, Gladiatoribúsne? respondit, Ante quàm inducerentur. id cuiusmodi sit: aut nunc, si scias, aut cum is Romam uenerit, ad me mittas uelim. Nos hic uoramus literas cum homine mirifico (ita mehercule sentio) Dionysio, qui te, omnésq; uos salutat. οὐδὲν γλυκύτερον ἢ πάντα εὐδαιμονία. quare, ut homini curioso, ita perscribe ad me, quid primus dies, quid secundus, quid Censores, quid Appius, quid illa populi Apuleia. denique etiam quid à te fiat, ad me uelim scribas. non enim (ut uere loquamur) tam rebus nouis, quàm tuis literis delector.

Ego mecum præter Dionysium duxi neminem, nec metuo tamen, ne mihi sermo desit abs te, quo magnopere delector. Tu Lucio nostrum librum dabis: Demetrij Magnetis tibi mitto, statim ut sit, qui à te mihi epistolam referat. Vale.

CICERO ATTICO S.

EGNATIVS Romæ est. sed ego cum eo de re Halimeti uehementer ante egi. Grauiter se acturum cum

Aquilio, confirmauit. Videbis ergo hominem, si uoles. Macroni uix uideor præsto esse. Idibus enim auctionem Larini uideo, & biduum præterea. id tu, quoniam Macronem tanti facis, ignoscas mihi uelim.

Sed si me diligis, postridie Cal. cœna apud me cum Pilia. prorsus id facies. Cal. cogito in hortis Crassipedis, quasi in diuersorio, cœnare. facio fraudem S.C. mde domum cœnatus, ut sim mane præsto Miloni. Ibi te igitur uidebo, & promouebo. Domus nostra te tota salutat. Vale.

CICERO ATTICO S.

NOS in Tusculanum ueniſſe ad XVII. Cal. Dec. uideo te scire. ibi Dionysius nobis præsto fuit. Romæ ad XIIII. Cal. uolumus esse: quid dico, uolumus? immo uero cogimur. Milonis nuptiæ. comitiorum nonnulla opinio est. ergo ut sit rata. Abfuisse me in altercationibus, quas in Senatu factas audio, fero non moleste. nam aut defendissem, quod non placeret: aut defuissem, cui non oporteret. Sed mehercule uelim res istas, & præsertim statum Reip. & quo animo Consules ferant hunc συνλμὸν, rescribas ad me quantum potes, & uales. sum ὀξύπανος: & si quæris, omnia mihi sunt suspecta. Crassum quidem nostrum minore dignitate aiunt profectum paludatum, quàm olim æqualem eius L. Paulum. item Ti. iterum Coss. ὁ hominem nequam. De libris oratoriis factum est à me diligenter. diu multúmque in manibus fuerunt, describas licet. illud etiam te rogo, τὴν παροῦσαν κατάσασιν τυποδῶς, ne istuc hospes ueniam. Vale.

CICERO ATTICO S.

VESTORIVS noſter me per literas facit certiorem, te Roma ad VI.Id. Maij putare profectum eſſe, tardius quàm dixerat, quòd minus ualuiſſes. ſi iam meæ lius uales, uehementer gaudeo. Velim domum ad tuos ſcribas, ut mihi tui libri pateant, non ſecus ac ſi ipſe adeſſes, cum cæteri, tum Varronis. eſt enim mihi utendum quibuſdam rebus ex ijs libris ad eos, quos in manibus habeo, quos ut ſpero, tibi ualde probabo. Velim ſiquid forte noui habes, maxime à Quinto fratre, deinde à C. Cæſare, & ſiquid forte de comitijs, de Repub. (ſoles enim tu hæc feſtine odorari) conſcribas ad me. ſi nihil habebis, tamen ſcribas aliquid. nunquam enim mihi tua epiſtola aut intempeſtiua, aut loquax uiſa eſt. Maxime autem rogo, rebus tuis, totóque itinere ex ſententia confecto, nos quamprimum reuiſas. Dionyſium iube ſaluere. Cura ut ualeas.

CICERO ATTICO S.

DE Eutychide gratum, qui uetere prænomine, nouo nomine T. erit Cæcilius, ut eſt ex me, & ex te iunctus Dionyſius M. Pomponius. ualde mehercule mihi gratum, ſi Eutychides tuam erga me benéuolentiam cognoſcet, ſuam illam in meo dolore συμπάθειαν neque tum mihi obſcuram, neq; poſt ingratam fuiſſe. Iter Aſiaticum tuum puto tibi ſuſcipiendum fuiſſe. nunquam enim tu ſine iuſtiſſima cauſa tam longè à tot tuis & hominibus, & rebus chariſſimis, & ſuauiſſimis abeſſe uoluiſſes. ſed humanitatem tuam, amorémque in tuos, reditus cæleritas declarabit. Sed uereor ne lepore ſuo

detineat diutius Prætor. Clodius, & homo pereruditus, ut aiunt, & nunc quidem deditus Græcis literis Pitua nios. sed si uis homo esse, recipe te ad nos ad quod tempus confirmasti. cum illis tum, cum salui uenerint, Romæ uiuere licebit. Auere te scribis, accipere aliquid à me literarum. dedi, ac multis quidem de rebus πολυσ̀δον perscripta omnia. sed ut conïcio, quoniam mihi non uideris in Epeiro diu fuisse, redditas tibi non arbitror. Genus autem mearum ad te literarum eius modi ferè est, ut non libeat cuiquam dare, nisi de quo exploratum sit, tibi eum redditurum. Nunc Romanas res accipe. Ad III. Non. Quint. Suffenas, & Cato absoluti. Porcilius condemnatus. Ex quo intellectum est, tres ἀριστοκήτας ambitum, comitia, interregnum, maiestatem, totam denique Remp. flocci non facere, debemus. patrem familias domi suæ occidere nolle, neque tamen id ipsum abunde. nam absoluerunt XXII. condemnauerunt XXVIII. Publius sanè diserto epilogo criminans, mentes iudicum mouerat. Otalus in ea causa fuit cuiusmodi solet. nos uerbum nullum. ueritas est enim pusilla, quæ nunc laborat ne animum Publio offenderet. his rebus actis, Reatini me ad sua τίμια duxerunt, ut agerem causam contra Interamnates apud Cōsulem, & decem legatos, quòd lacus Velinus à M. Curio emissus interciso monte in Nar defluit. ex quo est illa ficcata, & humida tamen modicè Rosia. Vixi cum Axio: qui etiam me ad Septem aquas duxit. redij Romam Fonte. causa: ad VII. Id. Quintil ueni: spectaculum primum magno, & æquabili plausu: sed hoc ne curaris: ego meptus qui scripserim. deinde Antiphōti operam: is erat ante manumissus, quàm productus.

ne diutius pendeas, palmam tulit. sed nihil tam pusillum, nihil tam sine uoce, nihil tam uerum. Hæc tu tecum habeto. in Andromacha tamen maior fuit, quàm Astyanacte. nam in cæteris parem habuit neminem. Quæris nunc de Arbuscula. ualde placuit. Ludi magnifici & grati. Venatio in aliud tempus dilata. Sequere nunc me in campum. ardet ambitus. σῆμα δέ τοι ἐρέω. Fœnus ex triente Idib. Quint. factum erat bessibus. Dices, Istuc quidē non moleste fero. O uirum, ò ciuem. Memmium Cæsaris omnes opes confirmant. cum eo Domitium Cos. iunxerunt: qua pactione, epistolæ committere non audeo. Pompeius fremit, queritur, Scauro studet: sed utrum fronte, an mente, dubitatur. ἐξοχὴ nulla est pecunia: omnium dignitatem exæquat. Messala languet, non quo aut animus desit, aut amici: sed comitio Consulum, & Pompeius obsunt. ea comitia puto fore ut ducantur. Tribunitii candidati iurarūt se arbitrio Catonis petituros. apud eum HS quingena deposuerunt, ut qui à Catone damnatus esset, id perderet, & competitoribus tribueretur. Hæc ego pridie scribebam, quàm comitia fore putabantur. Sed ad te V. Cal. Sext. si facta erunt, & tabellarius non erit profectus, tota comitia perscribam. quæ si, ut putantur, gratuita fuerint, plus unus Cato potuerit, quàm omnes quidem iudices. Messius defendebatur à nobis, è legatione reuocatus. nam eum Cæsari legarat Appius. Seruilius edixit, ut adesset, tribus habet Pontinam, Velinam, Metiam. pugnatur acriter: agitur tamen satis. deinde me expedio ad Prusum, inde ad Scaurum. Parantur orationibus iudices gloriosi. fortasse accedent etiam Consules Dess. in quibus

si Scaurus non fuerit, in hoc iudicio ualde laborabit.

Ex Quinti fratris literis suspicor iam eum esse in Britannia. suspenso animo expecto, quid agat. illud quidem sumus adepti, quod multis, & magnis indicijs possumus iudicare, nos Cæsari & charissimos, & iucundissimos esse. Dionysium uelim saluere iubeas, & eum roges, & hortere ut quamprimum ueniat, ut possit Ciceronem meum, atque etiam me ipsum erudire. Vale.

CICERO ATTICO S.

OCCVPATIONVM mearum uel hoc signum erit, quòd epistola, librarij manu est. De epistolarum frequentia te nihil accuso. sed plerique tantummodo mihi nuntiabant ubi esses, quod erat abs te, uel etiam significabant recte esse. Quo in genere maxime delectarunt duæ ferè eodem tempore abs te Bruto datæ. scire enim uolebam te commode nauigasse. Sed hæc epistolarum frequentia non tam ubertate sua, quàm celeritate delectauit. Illa fuit grauis, & plena rerum, quam mihi M. Paccius hospes tuus reddidit. ad eam rescribam igitur, & hoc primum. Paccio re, & uerbis ostendi, quid tua commendatio ponderis haberet. itaque in intimis est meis, cum antea notus non fuisset. Nunc pergam ad cætera. Varro de quo ad me scribis, includetur in aliquem locum, si modo erit locus. sed nostri genus dialogorum meorum: ut in oratorijs, quos tu in cælum fers, non mentio potuit fieri cuiusquam ab ijs qui disputant, nisi eius, qui illis notus, aut auditus esset. Hanc ego de Repub. quam institui disputationem in Africani personam, & Phili, & Læ-

lij, & Manilij contuli. adiunxi adolescentes Q. Tuberonem, P. Rutilium, duos Lælij generos, Scæuolam & Fannium. itaq; cogitabam, quoniam in singulis libris utor proœmijs, ut Aristoteles in ijs quos ἐξωτερικοὺς uocat, aliquid efficere, ut non sine causa istum appellarē: id quod intelligo tibi placere. utinam modo conata efficere possim. rem enim (quod te non fugit) magnam complexus sum, & grauē, & plurimi otij, quo ego maxime egeo. Quòd in ijs libris quos laudas, personam desideras Scæuolæ: non eam temere dimoui: sed feci idem, quod in πολιτικῷ deus ille noster Plato, cum in Piræeum Socrates uenisset ad Cephalum locupletem, & festiuum senem, quoad primus ille sermo haberetur, adest in disputando senex: deinde cum ipse quoque commodissime locutus esset, ad rem diuinam dicit se uelle discedere, neq; postea reuertitur. Credo Platonem uix putasse satis consonum fore, si hominem id ætatis in tam lōgo sermone diutius retinuisset. multo ego satius hoc mihi cauendum putaui in Scæuola, qui & ætate, & ualetudine erat ea qua meministi, & ijs honoribus, ut uix satis decorum uideretur eum plures dies esse in Crassi Tusculano. & erat primi libri sermo nō alienus à Scæuolæ studijs: reliqui libri τεχνολογίαν habent, ut scis. huic ioculatoriæ disputationi senem illum ut noras, interesse sanè nolui. De re filiæ quod scribis, erit mihi curæ. etenim est luculenta, Aureliam ut scribis, indicis: & in eo me etiam Tulliæ meæ uenditabo. Vestorio non desum. gratum enim tibi id esse intelligo, & ut ille intelligat, curo: sed scis quid cum habeat duos faciles, nihil difficilius. Nunc ad ea, quæ quæris de C. Catone. lege Iunia, & Licinia scis abso-

lutum: Fusia ego tibi nuncio absolutum iri, neque patronis suis tam libentibus, quàm accusatoribus. is tamen & mecum, & cum Milone in gratiã redijt. Drusus reus est factus à Lucretio, iudicibus reijciendis ad
* V.Non. Quint. de prælio rumores non boni: sed iudicia nosti. Hirrus cum Domitio in gratia est. S.C. quod hic Consules de prouincijs fecerunt, Quicunque posthac, notum tibi, ut quod. iã intelligebamus enunciationem illam Memmij ualde Cæsari displicere. Messala noster, & eius competitor Domitius liberalis in populo ualde fuit. nihil gratius. certi erant Consules. ac Senatus decreuit, ut tacitum iudicium ante comitia fieret. ab his consilijs, quæ erant omnibus sortita in singulos candidatos, magnus timor cãdidatorum. sed quidam iudices, in his Opimius Veietorantius, Tribunos pl. appellarunt, ne iniussu populi iudicarent. rescidit. Comitia dilata ex S.C. dum lex de tacito iudicio ferretur. uenit legi dies. Terentius intercessit. Consules, qui illud leui brachio egissent, rem ad Senatum detulerũt. hic Abdera nõ tacente me. Dices, Tamen tu non quiescis? Ignosce, uix possum. ueruntamen quid tam ridiculum? Senatus decreuerat, ne prius comitia haberentur, quàm lex lata esset. qui si intercessisset, res integra referretur. cœpta ferri leuiter. intercessum non inuitis. res ad Senatum. de ea re ita censuerunt: comitia primo quoque tempore haberi censere. Scaurus, qui erat paucis diebus illis absolutus, cum ego partem eius ornatissime defendissem, obnũciationibus per Scæuolam interpositis, singulis diebus usque ad prid. Cal. Oct. quo ego hæc die scripsi, sublatis, populo tributim domi suæ satisfecerat. sed tamen, etsi uberior libera-

litas huius, gratior esse uidebatur eorum, qui occuparant. Cuperem multum uidere tuum, cum hæc legeres. nam profecto rē non habes nullam. hæc negotia multarum nundinarum fore: sed Senatus hodie fuerat futurus, id est Cal. Oct. iam enim luciscit. ibi loquetur, præter Antium, & Fauonium, liber nemo: nam Cato ægrotat. de me nihil timueris: sed tamen promitto nihil. Quid quæris aliud? Iudicia, credo. Drusus, Scaurus non fecisse uidentur, tres candidati fore rei putabantur, Domitius à Memmio, Messala à Q. Pompeio Rufo, Scaurus à Triario, aut à L. Cæsare. Quid poteris, inquies, pro ijs dicere? Ne uiuam, si scio. In illis quidem tribus libris, quos tu dilaudas, nihil reperio.

Nunc, ut opinionem habeas rerum, ferendum est. Quæris, ego me ut gesserim? Cōstanter & libere. Quid ille, inquies, ut ferebat? Humaniter, meaque dignitatis, quoad mihi satisfactum esset, habendam sibi rationē putabat. Quomodo ergo absolutus? omnino ΓΟΡΓΑΓΥΜΝΑ accusatorū incredibilis infantia, id est L. Lentuli, L. F. quem fremunt omnes præuaricatum: deinde Pompeij mira contentio: iudicum sordes. attamen XXXII condemnarunt, XXXVIII absoluerunt. iudicia reliqua impendent. nondum est planè expeditus. Dices, Tu ergo hæc quomodo fers? Belle mehercule, & in eo me ualde amo. Amisimus mi Põponi non omnem modo sucum ac sanguinem, sed etiam colorem, & speciem pristinam ciuitatis. nulla est Resp. quæ delectet, in qua acquiescam. Id ne igitur, inquies, facile fers? Id ipsum. recordor enim quàm bella paulisper nobis gubernantibus ciuitas fuerit. quæ mihi gratia relata sit, nullus dolor me angit. unum o-

mnia posse, disrumpuntur ij, qui me aliquid posse doluerunt. multa mihi dant solatia. nec tamen ego de meo statu demigro: quæque uita maxime est ad naturam, ad eam me refero, & literas, & studia nostra: dicendi laborem delectatione oratoria consolor. domus me, & rura nostra delectant. non recordor, unde ceciderim, sed unde surrexerim. Fratrem mecum, & te si habebo, per me ista pedibus trahuntur. uobis ἐμφιλοσοφῆσαι possum. locus ille animi nostri, stomachus ubi habitabat olim, conualuit. priuata modo, & domestica nos delectant. miram securitatem uidebis: cuius plurimæ meherculè partes sunt in tuo reditu. nemo enim in terris est mihi tam consentientibus sensibus. sed accipe alia. Res fluit ad Interregnum, & est nonnullus odor Dictaturæ, sermo quidem multus, qui etiam Gabinium apud timidos iudices adiuuit.

Candidati consulares omnes rei ambitus. Accedit etiam Gabinius: quem P. Sylla non dubitans, quin foris esset, postulârat contradicente, & nihil obtinente Torquato. sed omnes absoluentur, nec posthac quisquâ damnabitur, nisi qui hominem occiderit. Hoc tamen agitur seuerius. itaque iudicia calent. M. Fuluius Nobilior condemnatus est. multi alij urbani ne respondent quidē. Quid aliud nouit? & tamen absoluto Gabinio, stomachantes alij iudices, hora post, Antiochum Gabiniū nescio quem solidis pectoribus libertum accensum Gabinij lege Papia condemnarunt. itaque dixit, statim reus læsæ maiestati ΣΥΓΚΟΙΜΠΙΚΑ * ΦΙΗΙ. Pontinus uult ad IIII. Non. Nou. triūphare. huic obuiam Cato, & Seruilius Prætor, aperte, & Q. Mutius Trib. negant enim latū de imperio: & est

latum hercule insulse. sed erit cũ Pontino Comptino Appius Cos. Cato tamen affirmat, se uiuo illum non triumphare. id ego puto, ut multa eiusdem, ad nihil recasurum. Appius sine lege suo sumptu in Ciliciam cogitat. Ab Quinto fratre, & à Cæsare accepi ad IX. Cal. Nou. literas (confecta Britania, obsidibus acceptis, nulla præda, imperata tamen pecunia) datas à litoribus Britaniæ, proximo ad VI. Cal. Oct. exercitum Britania reportabant. Q. Pilius erat iam ad Cæsarem profectus.

Tu si aut amor in te est noster ac tuorum, aut ulla mueritas, aut si etiã sapis, ac fruituis commodis cogitas, aduentare, & propè adesse iam debes. Non mehercule æquo animo te careo. te autem quid mirum, qui Dionysium tantopere desiderẽ? quem quidem abs te, cum dies uenerit, & ego, & Cicero meus flagitabit. abs te proximas literas habebam, Epheso, ad V. Id. Sex. datas. Vale.

CICERO ATTICO S.

O EXPECTATAS mihi tuas literas. ò gratum aduentum. ò constantiam promissi, & fidem miram. ò nugationem amandam, quam mehercule ego ualde timebã, recordans superioris tuæ transmissionis. Sed, nisi fallor, citius te, quàm scribis, uidebo. credo enim te putasse tuas mulieres in Apulia esse: quod cum secus erit, quid te Apulia moretur? nam Vestorio dandi sunt dies, & ille Latinus ἀττικισμὸς ex interuallo regustandus. quin tu huc aduolas & imusis illius nostræ Reipub. germanæ. putaui, de numis ante comitia tributim uno loco diuisis, palàm; inde absolutum Gabiniũ: deturbesse ualiturum. De Messala quod quæris: quid

scribam, nescio: nunquam uidi tam pares candidatos. Messalæ copias nosti. Scaurum Triarius reum fecit. si quæris, nulla est magnopere commota συμπάθεια. sed tamen habet AEdilitas eius memoriam nō ingratam, & est pondus apud rusticos in patris memoriam. reliqui duo plebeij sic exæquantur ut Domitius ualeat amicis, adiuuetur tamen non gratissimo munere: Memmius Cæsaris commendetur militibus, Pompeij Gallia nitatur. quibus si non ualuerit, putant fore aliquē, qui comitia in aduentum Cæsaris detrudat, Catone præsertim absoluto. Paccianæ epistolæ respondi. cognosce cætera. Ex fratris literis incredibilia quædā de Cæsaris in me amore cognoui, eáque sunt ipsius Cæsaris uberrimis literis confirmata. Britanici belli exitus expectatur. constat enim aditus insulæ esse munitos mirificis molibus: etiam illud iam cognitum est, neque argenti scrupulum esse ullum in illa insula, neque ullam spem prædæ, nisi ex mancipijs: ex quibus nullos puto te literis, aut musicis eruditos expectare. Paulus in medio foro Basilicam iam penè texuit ijsdem antiquis columnis. illam autem quam locauit, facit magnificentissimam. Quid quæris? nihil gratius illo monimento, nihil gloriosius. Itaque Cæsaris amici (me dico, & Oppium) disrumparis licet, monimentum illud, quod tu tollere laudibus solebas, ut forum laxaremus, & usque ad atrium Libertatis explicaremus, contempsimus sexcenties HS. cum priuatis non poterat transigi minore pecunia. Efficiemus rem gloriosissimam. nam in campo Martio septa Tribunitijs comitijs marmorea sumus, & tecta facturi: eáque cingemus excelsa porticu, ut mille passuum conficiatur. simul adiungetur huic

operi uilla etiam publica. Dicis, Quid mihi hoc monimentum proderit? Ad quid laboramus res Romanas? non enim te puto de lustro, quod iam desperatum est, aut de iudicijs, quæ lege Plotia fiant, quærere. Nunc te obiurgari patere, si iure. scribis enim in ea epistola, quam C. Domitius mihi reddidit Buthroto datam, in Asiam tibi eundum esse, te arbitrari. Mihi mehercule nihil uidebatur esse, in quo tantulum interesset, utrũ per procuratores ageres, an per te ipsum, ne toties, & tam longe abesses. Sed hæc mallẽ integra re tecum egisse. profecto enim aliquid egissem. nunc reprimam suscæptam obiurgationem: utinam ualeat ad celeritatem reditus tui. Ego ad te propterea minus sæpe scribo, quòd certum nõ habeo ubi sis, aut ubi futurus sis. huic tamen nescio cui, quòd uidebatur is te uisurus esse, putaui dãdas esse literas. Tu quoniam iturum te in Asiã esse putas, ad quæ tempora te expectem, facias me certiorem uelim, & de Eutychide quid egeris. Vale.

CICERO ATTICO S.

PVTO te existimare me non oblitũ consuetudinis, & instituti mei rarius ad te scribere, quàm solebam. Sed cum loca & itinera tua nihil habere certi uideo, neq; in Epeirum, neq; Athenas, neq; in Asiã, neq; cuiquam, nisi ad te ipsum proficiscenti dedi literas. neq; enim sunt epistolæ nostræ, quæ si perlatæ non sint, nihil ea res nos offensura sit, quæ tantum habent mysteriorũ, ut eas ne librarijs quidẽ ferè cõmittamus. Lepidũ quo excidat. Consules flagrant infamia, quòd C. Memmius candidatus pactionem in Senatu recitauit, quam ipse, suus competitor Domitius cum Cõsulibus fecisset,

ut ambo HS quadringena Consulibus darent, si essent ipsi Consules facti: nisi tres Augures dedissent, qui se affusse dicerent, cum lex curiata ferretur, quæ lata non esset: & duos consulares, qui se dicerent in ornandis prouincijs consularibus scribendo affuisse, cum omnino ne Senatus quidem affuisset. Hæc pactio non uerbis, sed nominibus & perscriptionibus, multorum tabulis cum esse facta dicæretur: prolata à Memmio est, nominibus inductis auctore Pompeio. hic Appius erat idem: nihil sanè iacturæ. corruerat alter, & plane inquam iacebat. Memmius autem dirempta coitione inuito Caluino, planè refixerat, & eo magis nunc concitare Dictaturam, fauere iustitio, & omnium rerum licentiæ. Perspice æquitatem animi mei, & ludum, & contemptionem Seleucianæ prouinciæ, & meam heraule cum Cæsare suauissimam coniunctionem. hæc enim me una ex hoc naufragio tabula delectat. qui quidem Quintum meum, tuumque (Dij boni) quemadmodum tractat honore, dignitate, gratia: non secus, ac si ego essem imperator. hibernam legionem de eligendi optio delata commodũ, ut ad me scribit. Hunc tu non ames? Quem igitur istorum? Sed heus tu, scripserámne tibi me esse legatum Pompeio? & extra urbem quidem fore ex Idib. Ian? uisum est hoc mihi ad multa quadrare. Sed quid plura? coràm (opinor) reliqua: ut tu tamen aliquid expectes. Dionysio plurimam salutem: cui quidem ego non modo seruaui, sed etiam ædificaui locum. Quid quæris? ad summam lætitiam meam, quam ex tuo reditu capio, magnus ex illius aduẽtu cumulus accedit. Quo die ad me uenies, si me amas, apud me cum tuis maneas. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T. POMPONIVM ATTICVM LIB. V.

CICERO ATTICO S.

EGO uero & tuum in discessu uidi animum, & meo sum ipse testis. quo magis erit tibi uidendum, nequid noui decernatur, ut hoc nostrum desiderium ne plus sit annuum. De Annio Saturnino curasti probe. De satisdando uero te rogo, quoad eris Romæ, tu ut satisdes. & sunt aliquot satisdationes secundum mancipiũ, in his & Memmianorum prædiorum, uel Atilianorum. De Oppio factum est, ut uolui, & maxime quòd DCCC. aperuisti: quæ quidem ego utique uel uersura facta soluti uolo, ne extrema exactio nostrorum nominum expectetur. Nunc uenio ad transuersum illum extremæ epistolæ tuæ uersiculum, in quo me admones de sorore. quæ res se sic habet. Vt ueni in Arpinum, cum ad me frater uenisset, in primis nobis sermo, isque multus de te fuit. ex quo ego ueni ad ea quæ fueramus ego & tu inter nos de sorore in Tusculano locuti: nihil tã uidi mite, nihil tam placatum, quàm tum meus frater erat in sororem tuam: ut etiam siqua fuerat ex ratione sumpta offensio, non appareret. illo sic die, Postridie ex Arpinati profecti sumus. ut in Arcano Quintus maneret, dies fecit. ego Aquini: sed prandimus in Arcano. nosti hunc fundum. quò ut uenimus, hu-

manifestime Quintus, Pomponia, inquit, tu inuita mulieres, ego autem pueros. nihil potuit, mihi quidem ut usum est, dulcius, idque cum uerbis, tum etiam animo, & uultu. At illa audientibus nobis, Ego sum, inquit, hic hospita. Id autem ex eo, ut opinor, quòd anteesserat Statius, ut prandium nobis uideret. Tum Quintus, En, inquit mihi, hæc ego patior quotidie. Dicæs, Quid, quæso, istuc erat? Magnũ, itaq; me ipsum commouerat, sic absurde & aspere, uerbis uultúque responderat. dissimulaui dolẽs. discubuimus omnes præter illam: cui tamen Quintus de mensa misit: illa reiecit. Quid multa? nihil meo fratre lenius, nihil asperius tua sorore mihi uisum est: & multa prætereo, quæ tum mihi maiore sto macho, quàm ipsi Quinto fuerũt. Ego inde Aquinum. Quintus in Arcano remansit, & Aquinũ ad me postridie mane uenit, mihique narrauit, nec secum illam dormire uoluisse, &, cum discessura esset, fuisse eiusmodi, qualẽ ego uidissem. Quid quæris? uel ipsi hoc dicas licet, humanitatẽ ei meo iudicio illo die defuisse. Hæc ad te scripsi fortasse pluribus, quàm necesse fuit, ut uideres tuas quoque esse partes instituendi, & monendi.

Reliquum est, ut antè quàm proficiscare, mandata nostra exhaurias, scribas ad me omnia, Pontinum extrudas. Cum profectus eris, cures ut sciam. sic habeas, nihil mehercule te mihi nec charius esse, nec suauius.

A Torquatum amantissime dimisi Mimturnis, optimum uirum, cui me ad te scripsisse aliquid, in sermone significæs uelim. Vale.

CICERO ATTICO S.

AD VI. Id. Maias cum has dabã literas, ex Pompeia-

no proficiscebar, ut eo die manerē in Trebulano apud Pontium. deinde cogitabam sine ulla mora iusta itinera facere. In Cumano cū essem, uenit ad me (quod mihi pergratum fuit) noster Hortensius: cui deposcenti mea mandata, cætera uniuersē mādaui, illud proprie, ne pateretur, quantum esset in ipso, prorogari nobis prouincias. in quo eum tu uelim cōfirmes, gratúmq; mihi fecisse dicas, quòd & uenerit ad me, & hoc mihi, prætereáque siquid opus esset, promiserit. confirmaui ad eam causam etiam Furnium nostrū, quem ad annum Tribunum pl. uidebam fore. Habuimus in Cumano quasi pusillam Romam: tanta erat in his locis multitudo: cum interim Rufio noster, quòd se à Vestorio obseruari uidebat, stratagemate hominem percussit. nam ad me non accessit. Itáne? cum Hortensius ueniret, & infirmus, & tam longe Hortensius: cum maxima præterea multitudo, ille non uenit? Nō, inquam. Nō uidisti igitur hominem, inquies? Qui potui non uidere, cum per emporium Puteolanorum iter facerem? in quo illū, agentem aliquid credo, salutaui: post etiam iussi ualere, cum me è Pansę uilla, nunquid uellem, rogasset. Hunc hominem parum gratum quisquam putet? aut non in eo ipso laudandum, quòd audiri non laborarit? Sed redeo ad illud. Noli putare mihi aliam cōsolationem esse huius ingentis molestiæ, nisi quòd spero non longiorem annua fore. Hoc me ita uelle multi non credunt ex cōsuetudine aliorum. tu qui scis, onem diligentiam adhibebis, tum scilicet, cum id agi debebit. Cum ex Epeiro redieris, de Repub. scribas ad me uelim, siquid erit, quod operiare. nondum enim satis huc erat allatum, quo modo Cæsar ferret de auctori-

tate perſcripta: erátque rumor de Tranſpadanis, eos iuſſos IIII. uiros creare. quod ſi ita eſt, magnos motus timeo. ſed aliquid ex Pompeio ſciam. Vale.

CICERO ATTICO S.

AD VI. Id. Maias ueni in Trebulanum ad Pontium. ibi mihi tuæ literæ binæ redditæ ſunt tertio abs te die. eodem autem ex Pompeiano Philotimo dederam ad te literas. nec uero nunc erat ſanè quid ſcriberem. Qui de Repub. rumores, ſcribe quæſo. in oppidis enim ſummum uideo timorem. ſed multa mania. quid de iis cogites, & quando, ſcire uelim. Ad quas literas tibi reſcribi uelis, neſcio. nullas enim adhuc acceperam, præter quæ mihi binæ ſemel in Trebulano redditæ ſunt. quarũ alteræ edictum P. Licinij habebant (erant autẽ Non. Maijs datæ) alteræ reſcriptæ ad meas Mm turnenſes. quàm uereor, nequid fuerit σπεδαότερον in iis quas non accepi, quibus reſcribi uis. Apud Lentulum ponam te in gratiam. Dionyſius nobis cordi eſt. Nicanor tuus operam mihi dat egregiã. iam deeſt quid ſcribam, & lucet. Beneuenti cogitabam hodie. noſtra continentia, & diligentia faciemus ſatis. A Pontio, ex Trebulano, ad V. Id. Maij.

CICERO ATTICO S.

BENEVENTVM ueni ad V. Id. Maij. ibi accepi eas literas, quas tu ſuperioribꝰ literis ſignificaueras te dediſſe. ad quas ego ipſo eo die dederam ex Trebulano à Pontio. ac binas quidem tuas Beneuenti accepi. quarum alteras Feſulanus multo mane mihi dedit, alteras ſcriba Tullius. Gratiſſima eſt mihi tua cura de illo meo

primo & maximo mandato, sed tua profectio spem
meã debilitat. ac ne ille illud quidẽ labat, non quo, sed
inopia cogimur eo contenti esse. De illo altero, quem
scribis tibi usum esse non alienum, uereor adduci, ut
nostris possit (& tuis ἀνοδιάγνωσον) πρὸς νοῦν esse, & 8
quidem summe facilis. sed tu aberis, & me absente rei
habebis rationem meæ. nam posset aliquid, si uteruis
nostrum adesset, agente Seruio fieri probabile. nunc si
iam res placet, agendi tamen uiam non uideo. Nunc
uenio ad illam epistolã, quam accepi à Tullio. De Mar
cello feciſti diligenter. igitur S. C. si erit factum, scribes
ad me: sin minus, rem tamen conficies. mihi enim attri
bui oportebit, item Bibulo. sed non dubito, quin S. C.
expeditum sit, in quo præsertim sit compendium popu-
li. De Torquato probe. De Massone & Ligure, cum
uenerint. De illo quod Cherippus (quoniam hic quo-
que πρὸς νοῦν sustuliſti): ò prouincia, etiámne hic mihi
curandus est? curãdus autem? hactenus, nequid ad Se-
natum: Consule, aut numera. nam D C. operis: sed ta
men commode, quòd cum Scrofa. De Pontino recte
scribis. est enim ita: ut si ante Calend. Iun. Brunduſij
futurus sit, minus urgendi fuerint M. Annius & Tul-
lius. Quæ de Sicinio audiſti, ea mihi probantur, mo
do ne illa exceptio in aliquem incurrat bene de nobis
meritum. sed considerabimus: rem enim probo. De
nostro itinere, quod statuero: de quinq; præfectis, quid
Pompeius facturus sit, cum ex ipso cognoro, faciam ut
scias. De Oppio bene curaſti, quòd ei D C C C. expo-
suiſti. ídque quoniam Philotimum habes, perfice, & co-
gnosce rationem: & ut agam amplius, si me amas, pri-
usquam proficiscaris, efficæ. magna me cura leuaris. Ha

bes ad omnia.etsi penè præterij. chartam tibi deesse, mea cautio est : siquidem eius copia minus multa ad me scribis.tu uero aufer ducētos.etsi meam in eo parsimoniam huius paginæ contractio significat,dum acta & rumores uellet.Iam siqua certa habes de Cæsare, expecto literas : & alias Pontino de omnibus rebus diligentes dabis. Vale.

CICERO ATTICO S.

PLANE deest,quod scribam:nam nec quid mandem, habeo:nihil enim prætermissum est.nec quid narrem, nouī enim nihil,nec iocandi locus est:ita me multa solicitant. Tantum tamen scito,Idib. Maijs nos Venusiæ mane proficiscentes has dedisse.eo autem die credo aliquid actum in Senatu.Sequantur igitur nos tuæ literæ,quibus non modo res omneis,sed etiam rumores cognoscamus. eas accipiemus Brundusij. ibi enim Pontinum ad eam diem,quam tu scripsisti,expectare consilium est. Nos Tarenti quos cum Pompeio διαλόγους de Repub. habuerimus, ad te perscribemus. etsi idipsum scire cupio , quod ad tempus recte ad te scribere possem, id est quandiu Romæ futurus sis:ut aut quò dem posthac literas , sciam , aut ne dem frustra. sed ante quàm proficiscare, utique explicatum sit illud HS XX. & DCCC.Hoc uelim in maximis rebus,& maxime necessarijs habeas ut quod auctore te uelle cœpi,adiutore assequar. Vale.

CICERO ATTICO S.

TARENTVM ueni ad XV.Calēd.Iun. quòd Pontinum statueram expectare, commodissimum duxi dies

eos, quoad ille ueniret, cum Pompeio cõsumere, eóque magis, quòd ei gratum esse id uidebam, qui etiam à me petierit, ut secũ, & apud se essem quotidie: quod cõcessi libenter. multos enim eius præclaros de Rep. sermones accipiam: instruar etiam cõsiliis idoneis ad hoc nostrum negotium. sed ad te breuior iam inscribẽdo incipio fieri, dubitans Romæne sis, an iam profectus. quod tamen quoad ignorabo, scribam aliquid potius, quàm committam, ut tibi cum possint reddi à me literæ, non reddantur. nec tamen iam habeo quid aut mandem tibi aut narrẽ: mandaui omnia quæ quidem tu, ut polliceris, exhauries: narrabo cum aliquid habebo noui. Illud tamen non desinam, dum adesse putabo, de Cæsaris nomine rogare, ut confectum relinquas. Auide expecto tuas literas, & maxime ut norim tempus profectionis tuæ. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVOTIDIE, uel potius in dies singulos breuiores literas ad te mitto. quotidie enim magis, ac magis suspicor te in Epeirũ iam profectum. sed tamen ut mandatum scias me curasse: quot ante, ait se Põpeius quinos præfectos delaturũ nouos, uacationes, iudiciariã causam.

Ego cum triduum cum Põpeio, & apud Pompeium fuissem, proficiscebar Brũdusium ad XIII. Cal. Iun. ciuem illum egregiũ relinquebam, & ad hæc quæ timentur, propulsanda paratissimum. Tuas literas expectabo, cum ut quid agas, tum ut ubi sis, sciam. Vale.

CICERO ATTICO S.

MEET incommoda ualetudo, qua iam emerseram, ut-

pote cũ sine febri laborassem, & Pŏtini expectatio, de quo adhuc ne rumor quidem uenerat, tenebat duodecimum iam diem Brundusij. sed cursum expectabamus. tu si modo es Romæ (uix enim puto) sin es, hoc uehementer animaduertas uelim. Romæ accęperam literas, Milonem meum queri per literas iniuriam meam, quòd Philotimus socius esset in bonis suis. id ego ita fieri uolui de C. Duronij sententia, quem & amicissimum Miloni perspexeram, & talem uirum, qualem tu iudicas, cognoram. Eius autem consiliũ, meúmque hoc fuerat: primũ ut in potestate nostra esset res, ne illum malus emptor alienis mancipijs, quæ permulta secum habet, spoliaret: deinde ut Faustæ, cui cautum ille esse uoluisset, ratum esset. erat etiam illud, ut ipsi nos, siquid seruari possit, quam facillime seruaremus. Nunc rem totam perspicias uelim. nobis enim scribuntur sæpe maiora. sed si ille queritur, si scribit ad amicos, si idem Fausta uult: Philotimus (ut ego ei coram dixeram, mihique ille recęperat) ne sit inuito Milone in bonis: nihil nobis fuerat tanti. sin hæc leuiora sunt, tu iudicabis. loquere cum Duronio. Scripsi etiam ad Camillum, ad Lamiã, eóque magis, quòd non confidebam Romæ te esse. Summa erit hæc. statues, ut ex fide, fama, réque mea uidebitur. Vale.

CICERO ATTICO S.

ACTIVM uenimus ad XVII. Cal. Quint. cum quidem & Corcyræ, & Sybotis muneribus tuis, quæ & Areus, & meus amicus Eutychides opipare, & φιλοπροπνεύστατα nobis concesserant, epulati essemus saliarem in modum. Actio maluimus iter facere pedi-

bus, qui incommodissime nauigassemus: & Leucathen flectere, molestum uidebatur. actuariis autem minutis Patras accedere sine iis impedimentis, non satis uisum est decorum. Ego, ut sæpe tu me currentem hortatus es, quotidie meditor: præcipio meis: faciam denique ut summa modestia & summa abstinentia munus hoc extraordinarium traducamus. Parthus uelim quiescat, & fortuna nos iuuet. nostra præstabimus. Tu quæso, quid agas, ubi quoque hoc tempore futurus sis, quales res nostras Romæ reliqueris, maxime de CXX. & & de DCCC. cura ut sciamus. id unis diligenter literis datis, quæ ad me utique perferantur, consequere. Illud tamen (quoniã nunc abes, cum id nõ agitur, aderis autem ad tempus, ut mihi scripsisti) memento curare per te, & per omnes nostros, in primis per Hortensium, ut annus noster maneat suo statu: nequid noui decernatur. Hoc tibi ita mãdo, ut dubitem an etiam te rogem ut pugnes, ne intercaletur. sed non audeo tibi omnia onera imponere. annum quidẽ utique teneto. Cicero meus, modestissimus, & suauissimus puer, tibi salutem dicit. Dionysiũ semper equidem, ut scis, dilexi, sed quotidie pluris facio, & mehercule in primis, quòd te amat, nec tui mentionem intermitti sinit. Vale.

CICERO ATTICO S.

VT Athenas ad XV. Calẽd. Quint. ueneram, expectabam ibi iam quartum diem Pontinum, neque de eius aduentu certi quicquam habebam: eram autem totus (crede mihi) tecum: & quanquam sine iis per me ipse tamen acrius uestigiis tuis monitus, de te cogitabam. Quid quæris? non mehercule alius ullus sermo, nisi

de te. Sed tu aliquid de me ipso scire fortasse mauis. hæc sunt. Adhuc sumptus nec in me aut publicæ, aut priuatim, nec in quēquam comitum. nihil accipitur lege Iulia, nihil ab hospite. persuasum est omnibus meis seruiendum esse famæ meæ. belle adhuc. hoc animaduersum, Græcorū laude, & multo sermone celebratur. quod superest, elaboratur in hoc à me, si aut tibi sensi placere. sed hæc tum laudemus, cum erunt perorata. Reliqua sunt eiusmodi, ut meum consilium sæpe reprehendā, quòd non aliqua ratione ex hoc negotio emerserim. O rem minime aptam meis moribus. ὸ illū uerum, ἱερὸν τὶς. Dicēs, Quid adhuc? nondū enim in negotio uersaris? Nescio, & puto molestiora restare. sed hæc ipsa fero equidem fronte, ut puto, & uultu bellissimo. sed angor intimis sensibus: ita multa uel iracunde, uel insolenter, uel in omni genere stultitiæ insulsē, arroganter & dicuntur & tacentur quotidie. quæ, non quo te cælem, non perscribo, sed quia δυσνοήμητα sunt. Itaque admirabere meam βαθύτητα, cum salui redierimus: tanta mihi μελέτη huius uirtutis datur. Ergo hæc quoque hactenus. etsi mihi nihil erat propositum ad scribendum, quia quid ageres, ubi terrarum esses, ne suspicabar quidem: nec hercule unquam tandiu ignarus rerum mearum fui, quid de Cæsaris, quid de Milonis nominibus actum sit. hac nō modo nemo, sed ne rumor quidem quisquam: ut sciremus, in Rep. quid ageretur. Quare siquid erit quod scias de his rebus, quas putabis scire me uelle, per mihi gratum erit, si id curaris ad me perferendū. Quid est præterea? Nihil sanè, nisi illud: ualde me Athenæ delectarunt. Turbæ duntaxat? & urbis ornamentum, & hominum amo-

res in te, in nos quadam beneuolentia, sed multum ea philosophia ἄνω, καὶ κάτω, siquidem est in Aristo, apud quem eram. nam Xenonem tuum, uel nostrum potius. Quinto conc̃esseram: & tamẽ propter uicinitatem totos dies simul eramus inuicem. Cum primum poteris, tua consilia ad me scribas, ut sciã quid agas, ubi quoque, & maxime quando Romæ futurus sis. Vale.

CICERO ATTICO S.

H VI, totiẽsne me literas dedisse Romam, cum ad te nullas daremẽt uero posthac frustra potius dabo, quàm si recte dari potuerint, committam ut non dem. Ne prouincia nobis prorogetur, per fortunas, dum ades, quicquid prouideri potest, prouide. non dici potest, quàm flagrem desiderio Vrbis, quàm uix harum rerum * insulsitatem feram. Marcellus sedendi comes, etsi ille magistratum non gesserit, erit tamen Transpadanus, ita mihi uidetur non minus stomachi nostro Cæsari fecisse. sed hoc ipse uiderit. Pompeius mihi quoque uidebatur (quod scribis Varronem dicere) in Hispaniam certe iturus. id ego minime probabam, qui quidem Theophani facile persuasi, nihil esse melius quàm illud, nusquam discedere. ergo Græcis mumbet. ualet autem auctoritas eius apud illum plurimum. Ego has prid. Non. Quint. proficiscens Athenis dedi, cum ibi decem ipsos fuissem dies. uenerat Põtinus. nam Cn. Volusius aderat. Quæstor. tuus unus Tullius aberat. ἄφραστα Rhodiorũ, & dicrota Mitylenæorum habebam, & aliquid ἐπίκωπον. De Parthis erat silentium. quod superest, Dij iuuent. nos adhuc iter per Græciam summa cum admiratione fecimus. nec me-

hercule habeo, quod adhuc quem accusem meorum. Videntur mihi nosse nos, nostram causam, & conditionem profectionis suæ. planè seruiunt existimationi meæ. quod superest, si uerum illud est, ὅσα τ' ἂν δίκαιοι νᾶ, certe permanebunt. nihil enim à me fieri ita uidebunt, ut sibi sit delinquendi locus. Sin id parum profuerit, fiet aliquid à nobis seuerius. nam adhuc lenitate dulces sumus, & ut spero, proficimus aliquantum. sed ego hanc, ut singuli dicunt, ἀντίδοσιν in unum annum meditatus sum: prom de pugna, ne siquid prorogatum sit, turpis inueniar. Nunc redeo ad quæ mihi mandas. in præfectis excusatio. ijs quos uoles, deferto. nō ero tam μετώπιος, quàm in Apuleio fui. Xenonem tam diligo quàm tu, quod ipsum sentire certò scio. Apud Patronem, & reliquos Barones te in maxima gratia posui: & hercule merito tuo feci. nam mihi is ter dixit, te scripsisse ad se, mihi ex illius literis rem illam curæ fuisse: quod ei pergratum erat. sed cum Patro mecum egisset, ut peterem à uestro Ariopago, ὑπομνηματισμὸν tollerent, quem Polycharmo Præt. fecerant: commodius uisum est & Xenoni, me, & post ipsi Patroni, ad Memmium scribere, qui pridie quàm ego Athenas ueni, Mitylenas profectus erat, ut is ad suos scriberet, posse id sua uoluntate fieri. non enim dubitabat Xeno, quin ab Ariopagitis inuito Memmio impetrari non posset. Memmius autem ædificandi cōsilium abiecerat, sed erat Patroni iratus. itaque scripsi ad eum accurate: cuius epistolæ misi ad te exemplum. Tu uelim Piliam meis uerbis consolere: indicabo enim tibi: tu illi nihil dixeris. Accepi fasciculū, in quo erat epistola Piliæ: abstuli, aperui, legi: nal-

de scripta est συμπαθῶς. Brunduſio quæ tibi epiſtolæ redditæ ſunt ſine mea, tum uidelicet datæ, cum ego me non belle haberem. nam illam νομανδρίαν excuſationem ne acceperis. Cura ut omnia ſciam, ſed maxime ut ualeas.

CICERO ATTICO S.

NEGOTIVM magnum eſt nauigare, atque id menſe Quint. Sexto die Delum Athenis uenimus. pridie Non. Quint. à Piræeo ad Zoſtera uento moleſto, qui nos ibidem Nonis tenuit. ad VIII. Id. ab Ceo iucunde. inde Gyarum ſæuo uento non aduerſo: hinc Scyrum: inde Delum, utroque citius quàm uellemus, curſum confecimus. iam noſti ἄφραντα Rhodiorum: nihil quod minus fluctum ferre poſſit. itaque erat in animo nihil feſtinare, Delo nec me mouere, niſi omnia ἀνηρατηρίων iura uidiſſem. De Meſſala ad te ſtatim, ut audiui, de Gyaro dedi literas, & id ipſum conſilium noſtrum etiam ad Hortenſium. cui quidem ualde συνηγωνίων. ſed tuas de eius iudicij ſermonibus, & mehercule omni de Reip. ſtatu literas expecto πολιτικώτερον quidē ſcriptas (quoniam meos cum Thallumeto noſtro peruolutas libros) eiuſmodi inquam literas, ex quibus ego, non quid fiat (nam id uel Helonius uir gratiſſimus poteſt efficere cliens tuus) ſed quid futurum ſit, ſciam. Cū hæc leges, habebimus Conſules. omnia perſpicere poteris, de Cæſare, de Pompeio, de ipſis iudicijs.

Noſtra autem negotia (quoniam Romæ commoraris) amabo te explica. cui rei fugerat me reſcribere, de ſtruc ſalinarum planè rogo. de aqua ſiquid poterit fieri, eo ſis animo quo ſoles eſſe, quā ego cum mea ſponte,

tum tuis ſermonibus æſtimo plurimi. ergo quid cõficies. præterea ſiquid Philippus rogauit, quod in tua re faceres, id uelim facias. Plura ſcribam ad te, cum conſtitero. nunc eram planè in medio mari. Vale.

CICERO ATTICO S.

EPHESVM uenimus ad XI. Cal. Sext. ſexageſimo & quinto poſt pugnam Bouillam. nauigauimus ſine timore, & ſine nauſea, ſed tardius propter aphractorum Rhodiorum imbecillitatem. De concurſu legationum, priuatorum, & de incredibili multitudine, quæ mihi iam Sami, ſed mirabilem in modũ Epheſi præſto fuit, aut audiſſe te puto, aut quid ad me attinet? ueruntamen de Cumanis ueniſſem cum imperio, Græci quaſi Epheſio Prætori ſe alacres obtulerunt. ex quo te intelligere certo ſcio, multorum annorum oſtentationes meas nunc in diſcrimen eſſe adductas. ſed ut ſpero, ut eamur ea palæſtra, quam à te didicimus: omnibuſq; ſatisfaciemus, & eo facilius, quòd in noſtra prouincia cõfecte ſunt pactiones. Sed hactenus, præſertim cum cœnanti mihi nuntiaret Seſtius, ſe de nocte proficiſci. Tua negotia Epheſi curæ mihi fuerunt: Thermóque, tametſi ante aduentum meum liberaliſſime erat pollicitus tuis omnibus, tamen Philogenẽ & Seium Rhodium, & Apollonienſem Xenonem commendaui omnino, omnia ſe facturum recepit. ego præterea rationem Philogeni permutationis eius, quam tecum feci, edidi. ergo hæc quoque hactenus. Redeo ad urbana. Per fortunas (quoniam Romæ manes) primum illud præfulci, atque præmuni quæſo, ut ſimus annui, ne interæaletur quidem: deinde exhauri mea mandata, ma-

xime quæso quid & scũ meum rem / ximéque, siquid potest, de illo domestico scrupulũ quem non ignoras: deinde de Cæsare: cuius in cupiditatem te auctore incubui, nec me piget. Et si intelligis, quàm meũ sit scire & curare, quid in Rep. fiat, fiat autem? immo uero etiam quid futurum sit: perscribe ad me omnia, statutorũ / sed diligentissime, in primisque quid iudiciorum status aut factorum, aut futurorum etiam laboret. De aqua, si curæ est, siquid Philippus aget, animaduertes. Vale.

CICERO ATTICO S.

ANTE quàm aliquo loco consedero, neque longas à me, neq; semper mea manu literas expectabis. cum autem erit spatium, utrunque præstabo. nunc iter conficiebamus æstuosa, & puluerulẽta uia. dederam Epheso pridie. has dedi Trallibus. In prouincia mea fore me putabam Cal. Sext. ex ea die, si me amas, παράγγελμα ἐνι ὡσιον commoueto. tamẽ interea hæc quæ uellem, mihi afferebantur: primum otium Parthicum: deinde confectæ pactiones publicanorũ: postremo seditio militum sedata ab Appio, stipẽdiúmque eis usque ad Id. Quint. persolutum. Nos Asia accepit admirabiliter. aduentus noster ne numo quidẽ sumptui fuit. spero meos omneis seruire laudi meæ: tamen magno timore sum: sed bene paramus. omnes iam nostri præter Tullii tuum uenerunt. erat mihi in animo rectà proficisci ad exercitũ, æstiuos mẽses reliquos rei militari dare, hibernos iurisdictioni. Tu uelim (si me nihilo minus nosti curiosum in Rep. quàm te) scribas ad me omnia quæ sint, quæque futura sint. nihil mihi gratius facere potes: nisi tamen id erit mihi gratissimum, si quæ tibi mandaui, confeceris, in primis, quid illud ἐνδόμυχον: quo mihi scis nihil

dabo / meas / ἀγγελμα / mihi / minimo / & / ἐσ speramus / cuia / scias

esse charius. Habes epistolã plenam festinationis & puluueris. reliquæ subtiliores erunt. Vale.

CICERO ATTICO S.

LAODICEAM ueni prid. Cal. Sext. ex hoc die clauon animo uerbis. nihil exoptatius aduentu meo, nihil charius. sed est incredibile, quàm me negotij tædeat. non habeat satis magnum campum ille tibi non ignotus cursus animi & industriæ meæ? præclara opera cessent? quippe ius Laodiceæ me dicere, cum Romæ A. Plotius dicat? & cum exercitum noster amicus habeat, tantum me nomen habere duarum legionum? exilium, denique hæc non desidero: lucem, forũ, urbem, domum, uos desidero. sed feram ut potero, sim modo annuus. si prorogatur, actum est. uerũ perfacile resisti potest. tu modo Romæ sis. Quæris, quid hic agam: ita uiuam, ut maximos sumptus facio. mirificè delector hoc instituto. admirabilis abstinentia ex præceptis tuis: ut uerear ne illud quod tecum permutaui, uersura mihi soluendum sit. Appij uulnera non refrica, sed apparẽt, nec oculi possunt. Iter Laodicea faciebã ad III. Non. Sext. cum has literas dabam in castra in Lycaoniam, inde ad Taurum cogitabam, ut cum Morphagene signis collatis, si possem, de seruo tuo deciderem. Clitellæ bouj sunt impositæ. planè non est nostrum onus, sed feremus. modo, si me amas, sim annuus. adsis tu ad tempus, ut Senatum excites. Mirificè solicitus sum quòd iandiu ignota sunt mihi ista omnia. quare ut ad te ante scripsi, cum cætera, tum Resp. cura ut mihi nota sit. Plura scribam aliàs. tarde tibi redditurus, sed dabam familiari homini ac domestico C. Andronico Pu-

teolano. tu autem sæpe dare tabellarijs publicanorum poteris, promagistris scripturæ, & portus, & nostrarum diœcesium. Vale.

CICERO ATTICO S.

ETSI in ipso itinere, & uia discedebãt publicanorum tabellarij, & eramus in cursu: tamen surripiẽdum aliquid putaui spatij, ne me immemorem mandati tui putares. itaque subsedi in ipsa uia, dũ hæc, quæ longiorem desiderant orationem, summatim tibi perscriberem.

Maxima expectatione in perditã, & planè euersam in perpetuum prouinciam nos uenisse scito prid. Cal. Sext. moratus triduum Laodiceæ, triduũ Apameæ, totidem dies Synnade. audiuimus nihil aliud, nisi imperata ἐπιεφάλια soluere nõ posse: possessiones omnium uenditas: ciuitatum gemitus, ploratus, monstra quædam nõ hominis, sed feræ nescio cuius immanis. Quid quæris? tædet omnium nos uitæ. leuantur tamen miseræ ciuitates, quòd nullus sit sumptus in nos neq; in Legatos, neque in Quæstorẽ, neque in quenquam. Scito non modo nos fœnum, aut quod lege Iulia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidem. nec præter quatuor lectos, & tectum quẽquam accipere quicquam, multis locis ne tectum quidem, & in tabernaculo manere plerunque. Itaque incredibilem in modũ concursus fiunt ex agris, ex uicis, ex domibus omnibus. mehercule etiã aduentu nostro remiuisse iustitia, abstinentia, clementia tui Ciceronis. itaque opiniones omnium superauit. Appius ut audiuit nos uenire, in ultimã prouinciam se coniecit Tarsum usque. ibi forum agit. De Partho silentium est: sed tamen concisos equites nostros à bar

baris nunciabant ij qui ueniebant. Bibulus ne cogitabat quidem etiam nunc in prouinciam suam accedere. id autem facere ob eam causam dicebant, quòd tardius uellet decedere. Nos in castra properabamus, quæ aberant bidui. Vale.

CICERO ATTICO S.

ACCEPI Romæ sine epistola tua fasciculum literarũ, in quo, si modo ualuisti, & Romæ fuisti, Philotimi duco esse culpam, non tuam. Hanc epistolam dictaui sedens in rheda, cum in castra proficiscerer, ab quibus aberam bidui. paucis diebus habebã certos homines, quibus darem literas: itaque eo me seruaui. Nos tamen, etsi hoc te ex alijs audire malo, sic in prouincia nos gerimus, quod ad abstinentiam attinet, ut nullus teruncius insumatur in quenquam. id sit etiam & Legatorum, & Tribunorum, & Præfectorum diligentia. nam omnes mirificæ συμφιλοδοξεῖσιν gloriæ meæ. Lepta noster mirificus est. sed nunc propero. perscribam ad te paucis diebus omnia. Ciceriones nostros Deiotarus filius, qui Rex ab Senatu appellatus est, secum in regnum, dum in æstiuis nos essemus. illum pueris lo cum esse bellissimum duximus. Sestius ad me scripsit, quæ tecum esset de mea domestica, & maxima cura locutus, & quid tibi esset usum. Amabo te, incũbe in eam rem, & ad me scribe, quid & possit, & tu enseas. Idem scripsit Hortensium de prorogãda nostra prouincia dixisse nescio quid. mihi in Cumano diligentissime, se, ut annui essemus, defensurum receperat. si quicquam me amas, hunc locum ama. dici non potest, quàm imitus à uobis absim. & simul hanc glo-

riam iustitiæ,& abstinentiæ fore illustriorem spero, si cito decesserimus. id quod Scæuolæ contigit, qui solos nouem menses Asiæ præfuit. Appius noster, cum me aduentare uideret, profectus est Tarsum usque Laodiceã. ibi forum agit, cum ego sum in prouincia: quam eius iniuriam non insector. satis enim habeo negotij in sanandis uulneribus, quæ sunt imposita prouinciæ. quod do operam ut faciam quammaxime illius contumeliã. Sed hoc Bruto nostro uelim dicas, illum fecisse non belle, qui aduentu meo, quàm longissime potuerit, discesserit. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVAM uellem Romæ esses, si forte non es. nihil enim certi habebamus, nisi accepisse nos tuas literas ad XIIII. Cal. Sext. datas, in quibus scriptum esset, te in Epeirum iturum circiter Cal. Sext. Sed siue Romæ es, siue in Epeiro, Parthi Euphratem transierunt duce Pacoro, Orodis Parthorum Regis filio, cunctis referto copijs. Bibulus nondum audiebatur esse in Syria. Cassius in oppido Antiochiã cum omni exercitu. nos in Cappadocia ad Taurum cum exercitu ad Cybistra. hostis in Cyrrhestica, quæ Syriæ pars proxima est prouinciæ meæ. his de rebus scripsi ad Senatum. quas literas, si Romæ es, uidebis putesne reddendas: & multa, immo omnia. quorum τὸ ἀφάλωτον, nequid inter cæsa, & porrecta (ut aiunt) oneris mihi addatur, aut temporis. nobis enim hac infirmitate exercitus, inopia sociorum, præsertim fidelium, certissimum subsidium est hiems, ea si uenerit, nec illi ante in meam prouinciam transierint. unum uereor, ne Senatus

propter urbanarum rerum metum Pompeium nolit dimittere. quòd si alium ad uer mittit, non laboro. nobis modo temporis nequid prorogetur. Hæc igitur, si Romæ es, sin abes, aut etiam si ades, hæc negotia sic se habent. stamus animis, & quia consiliis, ut uidemur, bonis utimur, speramus etiam manu. tuto consedimus, copioso à frumento, Ciliciam propè conspicientes, expedito ad mutandum loco, paruo exercitu, sed ut spero, ad benevolentiam erga nos consentiente: quem nos Deiotari aduentu cum suis omnibus copijs duplicaturi eramus. socijs multo fidelioribus utimur, quàm quisquam usus esset: quibus incredibilis uidetur & nostra mansuetudo, & abstinentia. delectus habetur ciuium Romanorum. frumentum ex agris in loca tuta comportatur. si fuerit occasio, manu: sin minus, locis nos defendemus. Quare bono animo es. uideo enim te, & quasi coràm adsis, ita cerno συμπάθειαν amoris tui. sed te rogo, si ullo pacto fieri poterit, si integra in Senatu nostra causa ad Cal. Ian. manserit, ut Romæ sis mense Ianuario. Profecto nihil accipiam iniuriæ, si tu aderis. amicos Cõsules habemus, nostrum Trib. pl. Furniũ. uerum tua est opus assiduitate, prudentia, gratia. tempus est necessarium. sed turpe est me pluribus uerbis agere tecum. Cicerones nostri sunt apud Deiotarum: sed si opus erit, deducantur Rhodũ. Tu, si es Romæ: ut soles, diligentissime: si in Epeiro, mitte tamen ad nos de tuis aliquem tabellarium ut & tu, quid nos agamus, & nos, quid tu agas, quidq; acturus sis, scire possimus. Ego tui Bruti rẽ sic ago, ut suam ipse non ageret. sed iam exhibeo pupillũ, neque defendo. sunt enim negotia & lenta, & inania. faciam tamen satis, tibi

quidem, cui difficilius est, quàm ipsi: sed certe satisfaciam utrique. Vale.

CICERO ATTICO S.

OBSIGNARAM iam epistolam, eam quam puto te modo perlegisse scriptam mea manu, in qua omnia continentur, cum subito Appij tabellarius ad XI. Cal. Oct. septimo quadragesimo die Romæ celeriter (hui tã longe) mihi tuas literas reddidit: ex quibus non dubito, quin, ut Pompeium expectaris, dum Arimino rediret, etiam in Epeirum profectus sis: magisque uereor, ut scribis, ne in Epeiro solicitus sis non minus, quàm nos hic sumus. De Atiliano nomine scripsi ad Philotimum, ne appellaret Messalam. Itineris nostri famam ad te peruenisse lætor, magisque lætabor, si reliqua cognoris. Filiolam tuam tibi iam Romæ iucundam esse gaudeo: eámque quam nunquam uidi, tamen & amo, & amabilem esse certo scio. Etiam atque etiam uale. De Patrone, & tuis condiscipulis, quæ de Tarentinis in militia laboraui, ea tibi grata esse gaudeo. Quòd scribis, libenter repulsam tulisse eum, qui cum sororis tuæ filij patruo certaret: magni amoris signum: itaque me etiam admonuisti, ut gauderem. nam mihi in mentem non uenerat. Nõ credo, inquis. Vt libet: sed planè gaudeo, quoniam τὸ νεμισσᾶν interest τῦ φθονᾶν. Vale.

CICERO ATTICO S.

SATVRNALIBVS mane se mihi Pindetissæ dederũt septimo & quinquagesimo die, postquam oppugnare eos cœpimus. Qui (malum) isti Pindetissæ

qui sunt? inquies. nomen audiui nunquam. Quid ego faciam? non potui Ciliciam, AEtoliam, aut Macedoniam reddere. Hoc iam sic habeto, nec hoc exercitu hic tanta negotia geri potuisse. quæ cognosce ἐν ἐπιτομῇ. sic enim concedis mihi proximis literis. Ephesum ut uenerim nosti, qui etiam mihi gratulatus es illius diei celebritate, qua nihil me unquam delectauit magis, inde oppidis, his quæ erat, mirabiliter acepti, Laodiceam prid. Cal. Sext. uenimus. ibi morati biduum, perillustres fuimus, honorificisque uerbis omneis iniurias reuellimus superiores. quod idem Dein Apameæ quinque dies morati, Synnadis triduum, Philomeli quinque dies, Iconij decem fecimus. nihil ea iurisdictione æquabilius, nihil lenius, nihil grauius. inde ad castra ueni ad VII. Cal. Sept. ad III. exercitum lustraui apud Iconium. ex his castris, cum graues de Parthis nuncij uenirent, perrexi in Ciliciam per Cappadociæ partem eam quæ Ciliciam attingit, eo consilio ut Armenius Artauasdes, & ipsi Parthi Cappadocia se excludi putarent. cū dies quinque ad Cybistra Cappadociæ castra habuissem, certior sum factus Parthos ab illo aditu Cappadociæ longe abesse, Ciliciæ magis imminere. itaque confestim iter in Ciliciā feci per Tauripylas: Tarsum ueni ad III. Non. Oct. inde ad Amanum contendi, qui Syriam à Cilicia aquarum diuortio diuidit, qui mons erat hostium plenus sempiternorum. hic ad III. Id. Oct. magnum numerum hostium cecidimus. castella munitissima nocturno Pontini aduentu, nostro matutino cepimus, incendimus: imperatores appellati sumus. castra paucos post dies habuimus, ea ipsa quæ contra Darium habuerat apud Is-

sum Alexander imperator haud paulo melior, quàm aut tu, aut ego. ibi dies quinque morati, direpto & uastato Amano inde discessimus. interim (scis enim quæ dam πανηγὰ dici, item τὰ νικὰ τῶ πολέμω) rumore aduentus nostri, & Cassio, qui Antiochia tenebatur, animus accessit & Parthis timor iniectus est. Itaque eos cedentes ab oppido Cassius insecutus, rem bene gessit. qua in fuga magna auctoritate Osaces dux Parthorũ uulnus accepit, eóque interijt paucis post diebus. Erat in Syria nostrum nomen in gratia. uenit interim Bibulus. credo, uoluit appellatione hac inani nobis esse par. in eodem Amano cœpit laureolã in mustaceo quæ rere. At ille cohortem primam totam perdidit, centurio némque primipili nobilem sui generis Asinium Dentonem, & reliquos cohortis eiusdem, & Sex. Lucilium T. Gauij Cepionis locupletis, & splendidi hominis filium, Tribunum mil. sanè plagam odiosam acceperat cum re, tum tempore. Nos Pindenissum, quod oppidũ munitissimum Eleutherocilicũ omnium memoria in armis fuit (feri homines, & acres, & omnibus rebus ad defendendum parati) cinximus uallo & fossa, aggere maximo, uineis, turre altissima, magna tormentorum copia, multis sagittarijs, magno labore, apparatu, multis saucijs nostris, incolumi exercitu negotium confecimus. hilara sanè Saturnalia. militibus quoque, equis exceptis, reliquam prædam concessimus. mancipia uenibant Saturnalibus tertijs. Cũ hæc scribebã in tribunali, res erat ad HS CXX. hinc exercitum in hiberna agri male pacati deducendum Quinto fratri dabam. ipse me Laodiceam recipiebam. hæc adhuc. sed ad præterita reuertamur. Quod me maxime hor-

taris,& quod pluris est quàm omnia,in quo laboras, ut etiam Ligurino μώμῳ satisfaciam: moriar,si quicquam fieri potest elegantius. nec tamen ego hanc continentiam appello,quæ uirtus uoluptati resistere uidetur. ego in uita mea nulla unquam uoluptate tanta sum affectus,quanta afficior hac integritate. nec me tã fama,quæ summa est,quàm res ipsa delectat. Quid quæris? fui tanti: me ipse non noram: nec satis sciebam,quid in hoc genere facere possem. recte περιφυσίωμαι. nihil est præclarius. Interim hæc λαμπρά. Ariobarzanes opera mea uiuit,regnat: ἐν παρόδῳ,consilio,& auctoritate,& quòd insidiatoribus eius ἀπρόσιτον me,non modo ἀδωροδόκητον præbui,Regem, regnúmque seruaui. interea è Cappadocia ne pilum quidem. Brutum abiectum,quantum potui,excitaui: quem non minus amo,quàm tu,penè dixi quàm te. Atque etiam spero toto anno imperij nostri teruncium sumptus in prouincia nullũ fore. Habes omnia.nunc publicè literas Romam mittere parabam.uberiores erunt,quàm si ex Amano missem. at te Romæ non fore sed est totum,quid Cal.Martij futurum sit.uereor enim,ne cum de prouincia agetur,si Cæsar resistet,nos retineamur.his tu si adesses,nihil timerem. Redeo ad urbana,quæ ego diu ignorans ex tuis iucundissimis literis ad V.Cal.Ian. denique cognoui. eas diligentissime Philogenes libertus tuus curauit perlongã,& non satis tuta uia perferendas.nam quas Lenij pueris scribis datas,non acceperam. Iucunde de Cæsare,& quæ Senatus decreuit,& quæ tu speras.quibus ille si cedit, salui sumus. Incendio Pletoriano quòd Leius adustus est,minus molestè fero. Lucceius de Q.Cassio cur tam uehemens fuerit,& quid actum sit ãueo scire. Ego cum

Laodiceam uenero, Quinto sororis tuæ filio togam puram iubeor dare, cui moderabor diligentius. Deiotarus, cuius auxilijs magnis usus sum, ad me, ut scripsit, cum Cicæronibus Laodiceã uenturus erat. Tuas etiam Epeiroticas expecto literas, ut habeam rationem non modo negotij, uerum etiam otij tui. Nicanor in officio est, & à me liberaliter tractatur: quem ut puto, Romam cum literis publicis mittam, ut & diligentius perferantur, & idem ad me certa de te, & à te referat. Alexis quòd mihi toties salutem adscribit, est gratum. Sed cur non suis literis idem facit, quod meus ad te Alexis facit? Phemio quæritur πάρεργον. Sed hæc hactenus. Cura ut ualeas, & ut sciam quando cogites Romam. Etiam atque etiam uale. Tua, tuóque Thermo & præsens Ephesi diligentissime commendaram, & nunc per literas: ipsúmque intellexi esse perstudiosum tui. Tu uelim, quod antea ad te scripsi, de domo Pammenis, des operam ut quod tuo, meóque beneficio puer habet, cures nequa ratione conuellatur. utrique nostrum existimo, tum mihi erit pergratum. Vale.

CICERO ATTICO S.

TE IN Epeirum saluum uenisse, & ut scribis, ex sententia nauigasse, uehementer gaudeo. non esse Romæ meo tempore perneccessario, submoleste fero. Hoc me tamen consolor, quòd non spero te istic iucunde hiemare, & libenter requiescere. Cassius frater Q. Cassij familiaris tui prudentiores illas literas miserat, de quibus tu ex me requiris quid sibi uoluerint, quàm eas quas postea misit, quibus per se scribit confectum esse

Parthicum bellum. Receſſerant illi quidem ab Antiochia ante Bibuli aduentum, ſed nullo noſtro ὑπομνήματι. hodie uero hiemant in Cyrheſtica, maximúmque bellum impendet. nam & Orodæ Regis Parthorum filius in prouincia noſtra eſt: nec dubitat Deiotarus, cuius filio pacta eſt Artauaſdis filia (ex quo ſciri poteſt) quin cum omnibus copijs ipſe prima æſtate Euphratem tranſiturus ſit. Quo autem die Caſſij literæ uictrices in Senatu recitatæ ſunt, id eſt Non. Oct. eodem meæ tumultum nunciantes. Axius noſter ait noſtras auctoritatis plenas fuiſſe: illis negat creditum. Bibuli nondum erant allatæ: quas certo ſcio plenas timoris fore. Ex his rebus hoc uereor, ne cum Pompeius propter metum rerum nouarum nuſquam dimittatur, Cæſari nullus honos à Senatu habeatur: dũ hic nodus expediatur, non putet Senatus, nos, antè quàm ſuccеſſum ſit, oportere decedere, nec in tanto motu rerum tantis prouincijs ſingulos legatos præeſſe. Hic, nequid mihi prorogetur, quod ne intercеſſor quidem ſuſtinere poſſit, horreo, atque eo magis, quòd tu abes, qui conſilio, gratia, ſtudio, multis rebus occurreres. Sed dices me ipſum mihi ſolicitudinem ſtruere. Cogor: & uelim ita ſit. ſed omnia metuo. etſi bellum ἀπροτελεύτιον habet illa tua epiſtola, quã dediſti nauſeans Buthroto. TIBI, ut uideo, & ſpero, nulla ad decedendum mora. mallem, Vt uideo. nihil opus fuit, Vt ſpero. Acceperam autem ſatis celeriter Iconij per publicanorum tabellarios à Lentuli triumpho datas. in his κλυνάτιμον illud confirmas, moram mihi nullam fore. deinde addu, ſiquid ſecus, te ad me fore uenturum. Pungunt me dubitationes tuæ. ſimul & uides,

quas acceperim literas. nam quas Hemoni centurioni Scamulæ ipse scribis te dedisse, non accepi. Lenij pueris te dedisse, sæpe ad me scripseras. eas Laodiceæ denique, cum eo uenissem, III. Id. Febr. Lenius mihi reddidit, datas ad X. Cal. Oct. Lenio tuas commendationes & statim uerbis, & re aliquo tempore proferre babo. Hæ literæ cætera uetera habebant: unum hoc nouum, de Cibyratis pantheris. Multum te amo, quòd respondisti M. Octauio, te non putare. sed posthac omnia quæ certa non erunt, pro certo negato. nos enim & nostra sponte bene firmi, & mehercule auctoritate tua inflammati uicimus omneis (hoc tu ita reperies) cum abstinentia, tum iustitia, facilitate, clementia. Caue putes quicquam homines magis unquã esse miratos, quàm nullum teruntium, me obtinente prouinciam, sumptus factum esse nec in Remp. nec in quenquam meorũ, præterquam in L. Tullium Legatum. is cæteroquin abstinens (sed Iulia lege transita, semel tamen in diem, non, ut alij solebant, omnibus uicis: præter eum semel, nemo accepit) facit ut mihi excipiendus sit, cum teruntium nego sumptus factum: præter eum accepit nemo. has à nostro Q. Titinio sordes accepimus. Ego æstuis confectis, Q uintum fratrem hibernis, & Ciliciæ præfeci. Q. Volusium tui Tiberij generum, certum hominem, sed mirifice abstinentem, misi in Cyprum, ut ibi pauculos dies esset, ne ciues Romani pauci, qui illic negotiantur, ius sibi dictum negarent. nam euocari ex insula Cyprios non licet. Ipse in Asiam profectus sum Tarso Non. Ian. non mehercule dici potest, qua admiratione Ciliciæ ciuitatum, maximéque Tarsensium. Postea uero quàm Taurum transf

greſſus ſum, mirifica expectatio Aſiæ noſtrarum diæ
ceſium, quæ ſex menſibus imperij mei nullas meas
acceperat literas, nunquam hoſpitem uiderat. illud au
tem tempus quotannis ante me fuerat in hoc quæſtu.
ciuitates locupletes, ne in hiberna milites reciperent,
magnas pecunias dabant. Cyprij talenta Attica C C.
qua ex inſula (non ὑπερβολικῶς, ſed ueriſſime loquor)
numus nullus me obtinente erogabatur. Ob hæc bene-
ficia, quibus illi obſtupeſcunt, nullos honores mihi, ni-
* ſi uerborum, decerni ſino: ſtatuas: eana, τὸ θριαμβικὸν pro
hibeo. nec ſum in ulla alia re moleſtus ciuitatibus, ſed
fortaſſe tibi, qui hæc prædicem de me. perfer, ſi me a-
mas. tu enim me hæc facere uoluiſti. Iter igitur ita per
Aſiam feci, ut etiam fames, qua nihil miſerius eſt, quæ
tum erat in hac mea Aſia (meſſis enim nulla fuerat)
mihi optanda fuerit. quacunque iter feci, nulla ui, nul-
lo iudicio, nulla contumelia, auctoritate, & cohortatio-
ne perfeci, ut & Græci, & ciues Romani, qui frumen
tum compreſſerant, magnum numerum populis polli-
cerentur. Idib. Febr. quo die has literas dedi, forum in-
ſtitueram agere Laodiceæ Cibyraticum, & Apamenſe:
ex Idib. Mart. ibidē Synnadenſe, Pamphylium, quum
Phemio diſpiciam ὑπὸρ Aonium, Iſauricum: ex Idib.
Maij in Ciliciam, ut ibi Iunius conſumatur. uelim trā-
quille à Parthis. Quintilis, ſi erit ut uolumus, in itine-
re eſt per prouinciā redeuntibus conſumendus. ueni-
mus enim in prouinciam Laodiceā Sulpitio, & Mar-
cello Coſ. prid. Cal. Sext. inde nos oportet decedere ad
IIII. Cal. Sext. primum contendam à Quinto fra-
tre, ut ſe præfici patiatur: quod & illo, & me inui-
tiſſimo fiet: ſed aliter honeſtè fieri non poteſt, præſer-

tim cum uirum optimum Pontinum ne nunc quidem retinere possim. rapit enim hominem Posthumius Romam, fortasse etiam Posthumia. habes consilia nostra. nunc cognosce de Bruto. Familiares habet Brutus tuus quosdam creditores Salaminiorum, ex Cypro M. Scaptium, & P. Matinium, quos mihi maiorem in modum commendauit. Matinium non noui. Scaptius ad me in castra uenit. Pollicitus sum curaturum me Bruti causa, ut ei Salaminij pecuniam soluerent: egit gratias. præfecturam petiuit: negaui me cuiquam negotianti dare: quod idem tibi ostenderam: Cn. Pompeio petenti probaram institutum meum: quid dicam Torquato in Lenio tuo? multis aliis? si præfectus uellet esse syngraphæ causa, me curaturum ut exigeret. gratias egit: discessit. Appius noster turmas aliquot equitum dederat huic Scaptio, per quas Salaminios coerceret, & eundem habuerat præfectum. uexabat Salaminios. ego equites ex Cypro decedere iussi. moleste tulit Scaptius. Quid multa? ut ei fidem meam præstarem: cum ad me Salaminij Tarsum uenissent, & una Scaptius, imperaui ut pecuniam soluerent. multa de syngrapha, de Scaptij iniurijs: negaui me audire: hortatus sum, petiui etiã, pro meis in ciuitatem beneficijs, ut negotium conficerent. denique dixi me coacturum. Homines non modo nõ recusare, sed etiam hoc dicere, se à me soluere. quod enim Prætori dare consuessent, quoniam ego non acceperam, se à me quodammodo dare, atque etiam minus esse aliquanto in Scaptij nomine, quàm in uectigali Prætorio. collaudaui homines. Recte, inquit Scaptius: sed subducamus summam. interim cum ego in edicto translatitio, centesimas me ob-

seruaturum, haberem, cum anatocismō anniuersario: ille ex syngrapha postulabat IIII. Quid ais, inquā? possumne contra meum edictum? At ille profert S. C. Lentulo, Philippóque Coss. ut qui Ciliciam obtineret, ius ex illa syngrapha diceret. horrui primo: etenim erat meritus ciuitatis. reperio duo S.C. ijsdem Coss. de eadem syngrapha. Salaminij cum Romæ uersuram facere uellent, non poterant, quòd lex Gabinia uetabat. tum ij Bruti familiares, freti gratia Bruti, dare uolebant, si sibi S.C. caueretur. fit gratia Bruti S.C. ut nēue Salaminijs, néue qui eis dedisset, fraudi esset. pecuniam numerarunt, & postea uenit in mentem fœneratoribus nihil se iuuare illud S.C. quòd ex syngrapha ius dici lex Gabinia uetaret. tum fit S.C. ut & ea syngrapha esset, quàm cæteræ, sed ut eodē. Cum hæc disseruissem, seducit me Scaptius, ait se nihil contradicere, sed illos putare talenta CC. se debere, ea se uelle accipere, debere autem illo paulo minus. rogat ut eos ad C C. perducam. Optime, inquam, Voco illos ad me remoto Scaptio. Quid uos? quantum, inquam, debetis? Respōdent CVI. Refero ad Scaptium. Homo clamare. Quid opus est, inquam? rationes conferatis. Assident: subducunt ad numum: conuenit. Illi se numerare uelle: urgere ut acciperet. Scaptius me rursus seducit: rogat ut rem sic relinquam. dedi ueniam homini impudenter petenti, Græcis querentibus: ut in Fano deponerent postulantibus, non conquiescere clamare omnes qui aderant, nihil impudentius Scaptio, qui centesimis cum anatocismo contentus non esset: alij, nihil stultius. mihi autem impudens magis, quàm stultus uidebatur. nam aut bono nomine centesimis contentus

erat, aut nõ bono quaternas centesimas sperabat. Habes meam causam: quæ si Bruto non probatur, nescio cur illum amemus: sed auunculo eius certe probabitur, præsertim cum S.C. modo factum sit: puto postquã tu es profectus, in creditorum causa, ut centesimæ pernetuo fœnore ducerentur. Hoc quid interfit, si tuos digitos noui, certe habes subductum, in quo quidem ὀδὸς πάρεργον. Lucceius M.F. queritur apud me per literas, summum esse periculũ, ne culpa Senatus his decretis res ad tabulas nouas perueniat. cõmemorat quid olim mali C. Iulius fecerit, cum dieculam dixerit, nunquam Resp. plus. Sed ad rem redeo. meditare aduersus Brutum causam meam, si hæc causa est, contra quam nihil honeste dici potest, præsertim cum integrã rem, & causam reliquerim. Reliqua sunt domestica. De ἐνδομύχῳ probo idem quod tu Posthumiæ filiæ, quoniam Pontidia nugatur. sed uellem adesses. à Quinto fratre his mensibus nihil expectaris: nam Taurus propter niueis ante mensem Iunium transiri non potest. Thermum, ut rogas, creberrimis literis fulcio. P. Valerium negat habere quicquam Deiotarus Rex, eúmque ait à se sustentari. Cum scies Romæ intercalatum sit nécne, uelim ad me scribas certum, quo die mysteria futura sint. literas tuas minus paulo expecto, quàm si Romæ esses, sed tamen expecto. Valẽ.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T. POMPONIVM ATTICVM LIB. VI.

CICERO ATTICO S.

A CCEPI tuas literas ad quintum ter milia Laodiceæ, quas legi libentissime, plenissimas amoris, humanitatis, officij, diligentiæ. ijs igitur respondebo: sic enim postulas: nec οἰκονομίαν meam instituam, sed ordinem conseruabo tuum.

Recentissimas à Cybistris te meas literas habere ais ad X. Cal. Oct. datas: & scire uis, tuas ego quas accepi: omneis ferè, quas commemoras, præter eas, quas scribis Lentuli pueris & Equotutico, & Brundisio datas. Quare non οἰκειότητα tua industria, quod uereris, sed præclare ponitur: si quidem id egisti, ut ego delectarer: nam nulla re sum delectatus magis. Quòd meam βαθύτητα in Appio tibi, libertatem etiã in Bruto probo, uehementer gaudeo: ac putaram seius. Appius enim ad me ex itinere bis terue ὑπομιμνήσκοντας literas miserat, quòd quædam à se constituta rescinderem. Vt si medicus, cum ægrotus alij medico traditus sit, irasci uelit ei medico, qui sibi successerit, si, quæ ipse in curãdo cõstituerit, mutet ille: sic Appius, cum ἐξ ἀφωρίσεως prouinciam curarit, sanguinem miserit, quicquid potuit detraxerit, mihi tradiderit enectã: προσανατρεφομένην eã à me non libẽter uidet, sed modo succenset, modo gratias agit. nihil enim à me fit

cum ulla illius contumelia. tantummodo dissimilitudo meæ rationis offendit hominem. quid enim potest esse tam dissimile, quàm illo imperante exhaustam esse sumptibus, & iacturis prouinciam: nobis eam obtinentibus, numum nullum esse erogatum nec priuatim, nec publicè? Quid dicam de illius præfectis? comitibus? legatis? etiam de rapinis? de libidinibus? de contumeliis? Nunc autem domus mehercule nulla tanto consilio, aut tanta disciplina gubernatur, aut tam modesta est, quàm nostra tota prouincia. hanc nonnulli amici Appij ridicule interpretantur: qui me ideirco putent bene audire uelle, ut ille male audiat: & recte facere non meæ laudis, sed illius contumeliæ causa. sin Appius, ut Bruti literæ, quas ad te misit, significabant, gratias nobis agit: non molestè fero: sed tamen eo ipso die, quo hæc ante lucem scribebam, cogitabã eius multa iniquè constituta, & acta tollere. Nunc uenio ad Brutum, quem ego omni studio te auctore sum complexus, quem etiam amare cœperam. Sed dico reuocaui me, ne te offenderem. noli enim putare me quicquam maluisse, quàm ut mandatis, facere, nec ulla de re plus laborasse. Mandatorum autem mihi libellum dedit: ijsdémque de rebus tu mecum egeras. omnia sum diligentissimè persecutus. Primum ab Ariobarzane sic contendi, ut talenta quæ mihi pollicebatur, illi daret. quoad mecum Rex fuit, per bono loco res fuit. post à Põpeij procuratoribus sexcentis premi cœptus. Pompeius autem cum ob cæteras causas plus potest unus, quàm cæteri omnes, tum quòd putatur ad bellum Parthicum esse uenturus. ei tamen sic nunc soluitur, triesimo quoque die talenta Attica XXXIII. & hoc ex tribu-

tis,nec id satis efficitur in usurã mẽstruam.sed Cneus noster clementer id fert:sortẽ caret: usura,nec ea solida,contentus est.alij neque soluit quicquam,nec potest soluere : nullum enim ærarium , nullum uectigal habet. Appij instituto tributa imperat. ea uix,in fœnus Pompeij quod satis sit,efficiunt.amici Regis duo,trésue perditissimi sunt:sed ij suum tam diligẽter tenent,quàm ego, aut tu. equidem non desino tamen per literas rogare,suadere,accusare Regem.Deiotarus etiã mihi narrauit,se ad eum legatos misisse de re Bruti:eos sibi responsum retulisse,illum non habere:& mehercule ego ita iudico.Nihil illo regno spoliatius,nihil Rege egentius,itaq; aut tutela cogito me abdicare,aut,ut pro Glabrione Scæuola,fœnus & impendium recusare.ego tamen quas per te Bruto promiseram præfecturas, M. Scaptio,& L. Gauio,qui in regno rem Bruti procurabant, detuli: nec enim in prouincia mea negotiabantur . tu autem meministi nos sic agere , ut quot uellet, præfecturas sumeret,dum ne negotiatori duas ei præterea dederã: sed ij quibus petierat, de prouincia decesserant. Nunc cognosce de Salaminijs, quod uideo tibi etiam nouum accidisse,tanquam mihi:nunquam enim ex illo audiui , illam pecuniam esse suam. quin etiam libellum ipsius habeo, in quo est, Salaminij pecuniam debent M.Scaptio,& P.Matinio familiaribus meis . eos mihi commendat. Adscribit etiam,& quasi calcar admouet,intercessisse à se pro ijs magnam pecuniam. Cõfecram ut soluerent centesimis sexcennij dictis cum renouatione singulorum annorum . At Scaptius quaternas postulabat.metui,si impetrasset,ne tu ipse me amare desineres : nam ab edicto meo recessis-

sem, & ciuitatem in Catonis & in ipsius Bruti fide locatam, meisque beneficijs ornatã, funditus perdidissem. atque hoc tempore ipso impingit mihi epistolam Scaptius Bruti, rem illam suo periculo esse: quod nec mihi unquam Brutus dixerat, nec tibi: etiam ut præfecturam Scaptio deferrem. id uero per te exoperamus, ne negotiatori: quod si cuiquam, huic tamen non. fuerat enim præfectus Appio, & quidem habuerat turmas equitum, quibus inclusum in curia Senatum Salamine obsederat, ut fame Senatores quinque morerẽtur. itaque ego, quo die tetigi prouinciam, cum mihi Cyprij Legati Ephesum obuiam uenissent, literas misi, ut equites ex insula statim decederent. his de causis credo Scaptium iniquius de me aliquid ad Brutũ scripsisse. sed tamen hoc sum animo: si Brutus putabit me quaternas centesimas oportuisse decernere, qui in tota prouincia singulas obseruarem, itaque edixissem, idque etiam acerbissimis fœneratoribus probaretur: si præfecturam negotiatori denegatam queretur, quod ego Torquato nostro in tuo Lenio, Pompeio ipsi in Sex. Statio negaui, & ijs probaui: si equites deductos moleste feret: accipiam equidem dolorem, mihi illum iratsci, sed multo maiorem non esse eum talem, qualem putassem. illud quidem fatebitur Scaptius, me ius dicente, sibi omnem pecuniã ex edicto meo auferendi potestatem fuisse. Addo etiam illud, quod uereor tibi ipsi ut probem: consistere usura ~~debuit~~ quæ erat in edicto meo: deponere uolebãt: impetrauit ab Salaminijs ut silerent. ueniam illi quidem mihi dederunt. sed quid ijs fiet, si huc Paulus uenerit? sed totũ hoc Bruto dedi, qui de me ad te humanissimas literas scripsit. Ad me autem etiam cum rogat aliquid,

contumaciter, arroganter, ἀνοιτωνήτως solet scribere. Tu autem uelim ad eum scribas de his rebus, ut sciam quomodo hæc accipiat. facies enim me ærtiorem. atque hoc superioribus literis ad te diligenter perscripseram. sed planè te intelligere uolui, mihi non excidisse illud, quod tu ad me quibusdam literis scripsisses, si nihil aliud de hac prouincia, nisi illius benéuolentiam deportassem, mihi id satis esse. sit sanè, quoniam ita tuis: sed tamē cum eō, credo, quod sine peccato meo fiat. igitur meo decreto soluatur æs Scaptio: statim quàm id rectum sit, tu iudicabis, ne ad Catonē quidem prouocabo. sed nōli me putare ἐγκελώματα illa tua abiecisse, quæ mihi in uis cæribus hærēt. flens mihi meam famam commendasti. quæ epistola tua est, in qua mentionem non facias? Itaque irascatur qui uolet, patiar: τὸ γὰρ οὖ, μετ' ἐμοῦ, præsertim cum sex libris tanquam prædibus me ipse obstrinxerim: quos tibi tam ualde probari gaudeo: ἐ quibus unū ἰσορικὸν requiris de Cn. Flauio Cn. F. ille uero ante decæmuiros non fuit, quippe qui AEdilis Curulis fuerit, qui magistratus multis annis pōst decæmuiros institutus est. Quid ergo profēcit, quòd protulit fastos? occultatam putant quodam tempore istam tabulam, ut dies agendi peterentur à paucis. nec uero pauci sunt auctores, Cn. Flauium scribam fastos protulisse, actionésque composuisse: nē me hoc uel potius Africanum (is enim loquitur) commentum putes. ὐπ ἔλαβες illud de gestu histrionis: tu scēleste suspicaris, ego ἀφελῶς scripsi. De me imperatore scribis te ex Philotimi literis cognouisse. sed credo te iam in Epeiro cum esses, binas meas de omnibus rebus accepisse, unas à Pindenisso capto, alteras

à Laodicea, utraſque tuis pueris datas. quibus de rebus propter caſum naugandi per binos tabellarios miſi Romam literas publicæ. De Tullia mea tibi aſſentior: ſcripſique ad eam & ad Terentiã, mihi placere: tu enim ad me iam antè ſcripſeras, A C uellem te in tuũ uetèrem gregem retuliſſes. Correcta uero epiſtola Memmiana nihil negotij fuit: multo enim malo hunc à Pontidia, quàm illum à Seruilia. Quare adiunges Auſium noſtrum, hominem ſemper amantem me, nunc credo eo magis, quòd debet etiã fratris Appij amorem erga me, cum reliqua hæreditate creuiſſe, qui declarauit, quanti me faceret, cum ſæpe, tum in Burſa. næ tu me ſolicitudine magna liberaris. Furnij exceptio mihi non placet: nec ego ullũ aliud tempus timeo, niſi quod ille ſolum excipit. ſed ſcriberem ad te de hoc plura, ſi Romæ eſſes. In Pompeio te ſpem omnem otij ponere non miror. ita res eſt. remouendúmque cenſeo illum diſſimulantem. ſed enim οἰωνομάντις ſi pertur batior eſt, tibi aſſignato: te enim ſequor ἀριδείξοντα. Cicerones pueri amant inter ſe, diſcunt, exercentur: ſed alter, uti dixit Iſocrates in Ephoro & Theopompo, frenis eget, alter calcaribus. Quinto togam puram Liberalibus cogitabam dare: mãdauit enim pater. ea ſic obſeruabo, quaſi intercalatum non ſit. Dionyſius mihi quidem in angribus eſt: pueri autem aiunt eum furenter iraſci. ſed homo nec doctior, nec ſanctior fieri poteſt, nec tui meique amantior. Thermum, Siluium uere audis laudari. ualde ſe honeſtè gerunt. Adde M. Nonium, Bibulum, me ſi uoles. iam Scrofa uellem haberet ubi poſſet. eſt enim lautum negotium. cæteri infirmant πολίτευμα Catonis. Hortéſio quòd cauſam

meam commendas, ualde gratum. De Amiano, spei nihil putat esse Dionysius. Terētij nullum uestigium agnoui. Meragenes certe periit. feci iter per eius possessionem, in qua animal reliquum nullum est. hæc non norā tum, cum Democrito tuo locutus sum. Rhosij causam mandaui. Sed heus tu, quid cogitas infœlicitatis? lancibus, & splendidissimis caniſtris oluſculis nos soles pascere. Quid te in uasis fictilibus appositurum putem? νίρας Phemio mandatum est: reperietur: modo aliquid illo dignum, canat. Parthicum bellum impendet. Cassius ineptas literas misit: necdum Bibuli erant allatæ: quibus recitatis, puto fore ut aliquando commoueatur Senatus. Equidem sum magna animi perturbatione, si ut opto, non prorogatur nostrū negotium. habeo Iunium, & Quintilem in metu. esto: duos quidem menses sustinebit Bibulus. quid illo fiet, quem reliquero? præsertim si fratrem? quid de me autem, si non tam cito decedo? magna turba est. mihi tamen cum Deiotaro conuenit, ut ille in meis castris esset cum suis copijs omnibus. habet autē cohortes quadrinarias, nostra armatura XXX, equitum ∞∞. erit ad sustentandum, quoad Pompeius ueniat: qui literis quas ad me mittit, significat suum negotium illud fore. Hiemant in nostra prouincia Parthi. expectatur ipse Orodes. quid quæris? aliquantum est negotij. De Bibuli edicto nihil noui præter illam exceptionē, de qua tu ad me scripseras, NIMIS grauī præiudicio in ordinem nostrum. ego tamen habeo ἐσοδυναμῶσαν, sed tectiorem ex Q. Mutij P. F. edicto Asiatico, EXTRA quàm si ita negotium gestum est, ut eo stari non oporteat, ex fide bona. multā-

que sum secutus Scæuolæ, in ijs illud, in quo sibi libertatem ænsent Græci datam, ut ~~Græci~~ inter se disceptent suis legibus. Breue autem edictum est propter hanc meam διάρεσιν, quòd duobus generibus ediendũ putaui: quorum unum est prouinciale, in quo est de rationibus ciuitatũ, de ære alieno, de usura, de syngraphis, in eodem omnia de publicanis: alterum, quod sine edicto satis commode transigi non potest, de hæreditatum possessionibus, de bonis possidendis, magistris faciũdis, uendendis: quæ ex edicto & postulari, & fieri solent. tertium, de reliquo iure dicundo, ἄγραφον reliqui. dixi me de eo genere mea decreta ad edicta urbana accommodaturum. itaque curo: & satisfacio adhuc omnibus: Græci uero exultant, quòd peregrinis iudicibus utuntur. Nugatoribus quidem, inquies. Quid refert? tamen αὐτονομίαν adeptos putant: nostri enim, credo, graues habent Turpionem sutorium, & Vectium mancipem. De publicanis quid agam, uideris quærere. habeo in delicijs, obsequor, uerbis laudo, orno, efficio, ne cui molesti sint: τὸ παραδοξότατον. usuras eorum, quas pactionibus adscripserat, seruauit etiã Seruilius. ego sic. diem statuo satis laxam: quam ante si soluerint, dico me æntesimas ducturum: si non soluerint, ex pactione. itaque & Græci soluunt tolerabili fœnore: & publicanis res est gratissima, si illam iam habent: pleno modio uerborum honorem, imitationem crebram. Quid plura? sunt omnes ita mihi familiares, ut se quisque maxime putet. sed tamen μηδὲν αὐτοῖς. scis reliqua. De statua Africani ὦ πραγμάτων ἀσυγκλώστων. sed me ipsum delectauit in tuis literis. Aim tu? Scipionem hic Metellus proauum suum

nescit Censorem fuisse? atqui nihil habuit aliud inscriptum, nisi Cæsor, ea statua quæ ad Opis apertæ posita in excelso est. In illa autem, quæ est ad πολυδένδρι, inscriptum est, Cos. quam esse eiusdem status, amictus, annulus, imago ipsa declarat. at hercule ego cum in turma inauratarum equestrium, quas hic Metellus in Capitolio posuit, animaduertissem in Serapionis subscriptione, Africani imaginem, erratum fabrile putaui: nunc uideo Metelli, ὡ ἀνισορησίαν turpem: nam illud de Flauio, & fastis, si secus est, commune erratum est: & tu belle ἀπόρησας: & nos publicam prope opinionem secuti sumus, ut multa apud Græcos. quis enim non dixit, Εὔπολιν τὸν τῆς Ἀρχαίας ab Alcibiade nauigante in Siciliam deiectum esse in mare? redarguit Eratosthenes. affert enim quas ille post id tempus fabulas docuerit. Num igitur Duris Samius, homo in historia diligens, quòd cum multis errauit, irridetur? quis Zaleucum leges Locris scripsisse non dixit? num igitur iacet Theophrastus, si id à Timæo tuo familiari reprehensum est? sed nescire proauum suum Censorem non fuisse turpe est, præsertim cum post eum Consulem nemo Cornelius illo uiuo Censor fuerit.

Quod de Philotimo, & de solutione XXD C. scribis, Philotimum circiter Calend. Ian. in Chersonesso audio uenisse. ac mihi ab eo nihil adhuc. reliqua mea Camillus scribit se accepisse. ea quæ sint, nescio & aueo scire. sed hæc posterius, & coràm fortasse commodius.

Illud me mi Attice in extrema fere parte epistolæ commouit. scribis enim sic, τί λοιπόν? deinde me obsecras amantissime, ne obliuiscar uigilare, & ut animaduertam quæ fiant. Nunquid de quo inaudisti? etsi ni-

hil eiusmodi est: πολλὰ γε καὶ δεῖ. nec enim me fefellisset, nec fallet. sed ista admonitio tua tam accurata nescio quid mihi significare uisa est. De M. Octauio iterum, tibi rescribo, te illi probe respondisse. paulo uellem fidentius. nam Celius libertum ad me misit, * & literas accurate scriptas & de pantheris, sed à ciuitatibus, rescripsi, alterum me molestè ferre, si ego in tenebris latèrem, nec audiretur Romæ nullum in mea prouincia numum, nisi in æs alienum erogari: docuique, nec mihi conciliare pecuniam licere, nec illi capere: monuique eum quem planè diligo, ut cum alios accusasset, cautius uiueret. illud autem alterum alienum esse existimatione mea, Cibyratas imperio meo publicæ uenari. Lepta tua epistola gaudio exultat. etenim scripta belle est, méque apud eum magna in gratia posuit. Filiola tua gratum mihi fecit, quòd tibi diligenter mandauit, ut mihi salutem ascriberes: gratum etiam Pilia: sed illa officiosius, quòd mihi, quem iampridem nunquam uidit. igitur tu quoque salutem utrique ascribito. Literas daturum prid. Calēd. Ian. suauem habui recordationem clarissimi iurisiurādi: quod ego non eram oblitus. magnus enim prætextatus illo die fui. habes ad omnia, non ut postulasti, χρύσια καλκέων, sed paria paribus respondémus. Ecce autem alia pusilla epistola, quam non relinquam ἀναντιφώνητον.

Bene mehercule potuit Lucius Tusculanum, nisi forte, solet enim, cum suo tibicine. & uelim scire quis sit status eius. Lentulum quidem nostrum, præter Tusculanum proscripsisse audio. Cupio hos expeditos uidere, cupio etiam Sestium: addes etiā ijs Celium. quibus omnib⁹ est ἄδειαν μὲν ἀνηνύσθαι, δᾶσαν δ' ὑποδίχθαι.

De Mēmio reſtituendo ut Curio cogitet, te audiſſe puto. De Egnatij Sidicini nomine nec nulla, nec magna ſpe ſumus. Pinarium quem mihi commendas diligentiſſime Deiotarus curat grauiter ægrū. reſpondi etiam minori. Tu uelim, dum ero Laodiceæ, id eſt ad Id. Maij, quamſæpiſſime mecum per literas colloquare: & cum Athenas ueneris (iam enim ſciemus de rebus urbanis, de prouincijs, quæ omnia in mēſem Martium ſunt collata) utiq; ad me tabellarios mittas. Sed heus tu, Genuarios à Cæſare per Herodem, talenta Attica L. extorſiſtis? in quo, ut audio, magnum odiū Pompeij ſuſcepiſtis. putat enim ſuos numos uos comediſſe, Cæſarem in merito reædificando diligentiorem fore. hoc ego ex P. Vedio magno nebulone, ſed Pompeij tamen familiari audiui. Hic Vedius uenit mihi obuiam cum duobus eſſedis, & rheda equis iuncta, & lectica, & familia magna. pro qua ſi Curio legem pertulerit, HS cēnta pendat neceſſe eſt. erat præterea cynocephalus in eſſedo: nec deerāt onagri. nunquam uidi hominem nequiorem. ſed extremum audi. Diuerſatus eſt Laodiceæ apud Pompeium Vindullum: ibi ſua depoſuit, cum ad me profectus eſt. moritur interim Vindullus: quæ res ad Magnum Pompeium pertinere putabatur. C. Vennonius domum Vindulli uenit. cum omnia obſignaret, in Vedianas res incidit. In his inuentæ ſunt quinque lagunculæ matronarum, in quibus una ſororis amici tui, hominis Bruti, qui hoc utatur, & illius Lepidi, qui hæc tam negligenter ferat. hæc te uolui παρισορρόπως. ſumus enim ambo belle curioſi. Vnum etiam uelim cogites. audio Appium προσύλλιον Eleuſine facere. Num mepti fuerimus, ſi nos quoque Academiæ feceri-

rimus? Puto, inquies. Ergo idipsum scribes ad me. equidem ualde Athenas ipsas amo. uolo esse aliquod monimentum. odi falsas inscriptiones statuarũ alienarum. sed ut tibi placebit: faciésque me, in quem diem Romana incidant mysteria, certiorem, & quomodo hiemaris. Cura ut ualeas. Post Leuctricam pugnam die septingentesimo sexagesimoquinto.

CICERO ATTICO S.

CVM Philogenes libertus tuus Laodiceam ad me salutandi causa uenisset, & se statim ad te nauigaturũ esse diceret, has ei literas dedi, quibus ad eas rescripsi, quas acceperam à Bruti tabellario. & respondebo primum postremæ tuæ pagĩnæ, quæ mihi magnæ molestiæ fuit, quòd ad te scriptum est ab Cincio de Statij sermone, in quo hoc molestissimum est, Statium dicere, à me quoque id consilium probari, probari autem? de isto hactenus. Dixerim me uel plurima uincla tecum summæ coniunctionis optare, & sunt amoris arctissima: tantum abest ut ego ex eo, quo astricti sumus, laxari aliquid uelim. Illum autem multa de istis rebus asperius solere loquì, sæpe sum expertus, sæpe etiam leniui iratum. id scire te arbitror. In hac autem peregrinatione, militiáque nostra sæpe incensum ira uidi, sæpe placatum. quid ad Statium scripserit, nescio. quicquid acturus de tali re fuit, scribendum tamen ad libertum nõ fuit. Mihi autem erit maxime curæ, nequid fiat secus, quàm uolumus, quámque oportet. nec satis est in eiusmodi re, se quenque præstare. ac maxime partes istius officij sunt pueri Ciceronis, siue iam adolescentis: quod quidem illum soleo hortari. ac mihi ui-

detur matrem ualde, ut debet, amare, téque mirificè. sed est magnum illud quidem, ueruntamen multiplex pueri ingenium. quo ego regẽdo habeo negotij satis. Quoniam respondi tuæ paginæ postremæ prima mea, nunc ad primam reuertar tuam. Peloponnesias ciuitates omnes maritimas esse, hominis non nequam, sed etiam tuo iudicio probati, Dicæarchi tabulis credidi. is multis nominibus in Trophoniana Chæronis narratione Græcos in eo reprehendit, quòd mare tam secuti sunt: nec ullum in Peloponneso locum excipit. Cum nibi auctor placeret (etenim erat ἱστορικώτατος, & uixerat in Peloponneso) admirabar tamen, & uix aggrediens communicaui cum Dionysio: atque is primo est commotus: deinde, quòd tum de isto Dicæarcho non minus bene existimabat, quàm tu de C. Vestorio, ego de M. Cluuio, non dubitabat, quin ei crederemus. Arcadiæ censebat esse Lepreon quoddam maritimum: Tene autem, & Aliphera, & Tritia νεόυτισα ei uidebantur: idque τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ confirmabat, ubi mentio non fit istorum. itaque istum ego locum totidem uerbis à Dicæarcho transtuli. Phliasios, dici sciebam: & ita fac ut habeas: nos quidem sic habemus. sed primo me ἀναλογία deceperat, φλιᾶς, ὀπᾶς, σιπᾶς, quod ὀπουῦντιοι, σιπουῦντιοι. sed hoc continuo correximus. Lætari te nostra moderatione & continentia uideo. tum id magis faceres, si adesses, atque hoc foro, quod ego ex Idib. Febr. Laodiceæ ad Calend. Maij omnium diœcesium præter Ciliciæ. mirabila quædam effecimus. ita multæ ciuitates omni ære alieno liberatæ, multæ ualde leuatæ sunt: omnes suis legibus, & iudicijs usæ αὐτονομίαν adeptæ, reuixerũt. His ego duo-

bus generibus facultatẽ ad se ære alieno liberãdas, aut
imm. leuandas dedi: uno, quòd omnino nullus in imperio &
meo sumptus factus est (nullum cum dico, non loquor
ὑπερβολικῶς) nullus inquam ne teruntius quidem. hac
autem re, incredibile est quãtum ciuitates emerserint.
accessit altera. mira erant in ciuitatibus ipsorum fur
vi ta Græcorum, quæ magistratus sui fecerant. quæsiui
ipse de ijs, qui annis decem proximis magistratum ges-
serant. aperte fatebantur. Itaque sine ulla ignominia
suis humeris pecunias populis retulerunt. populi autem
nullo gemitu publicanis, quibus hoc ipso lustro nihil sol
uerant, etiam superioris lustri reddiderunt. itaque pu-
blicanis in oculis sumus: Gratis, inquis, uiris. Sensimus.
& iam cætera iurisdictio nec imperita & clemens cum
admirabili facilitate. Aditus autẽ ad me minime pro-
uinciales. nihil per cubicularium. ante lucem inambu-
labam domi, ut olim candidatus. grata hæc & magna,
non mihique nondum laboriosa ex illa uetere militia. No-
nis Maij in Ciliciam cogitabam: ibi cum Iunio men-
sem consumpsissem, atque utinam in pace (magnũ enim
bellum impendet à Parthis) Q. uintilẽ in reditu pone-
re. annuæ enim mihi operæ ad III. Cal. Sext. emeren
tur. Magna autem in spe sum, mihi nihil temporis pro-
rogatum iri. habebã acta urbana usque ad Non. Mart.
è quibus intelligebam Curionis nostri constantia o-
mnia potius actum iri, quàm de prouincijs. ergo, ut spe
ro, propediem te uidebo. Venio ad Brutum tuum, im
mo nostrũ. sic enim mauis. Equidẽ omnia feci, quæ po
tui aut in mea prouincia perficere, aut in regno expe-
autem riri. omni igitur modo egi cum Rege, & ago quotidie,
per literas scilicet. ipsum enim triduũ, quatriduúm-

&

nec ue mecum habui turbulentis in rebus, quibus eum libe
rauí. sed & tum præsens, & postea creberrime nõ de- mis
stiti rogare, & petere mea causa, suadere, & hortari
sua. multum profeci. sed quantum, non planè (quia lon
ge absum) scio. Salaminios autem (hos enim poteram scia
cœrcere) adduxi ut totum nomen Scaptio uellent soluere, sed cẽtesimis ductis à proxima quidem syngrapha,
nec perpetuis, sed renouatis quotannis. numerabantur
nummi. noluit Scaptius. tu qui ais Brutum cupere aliquid
perdere? quaternas habebat in syngrapha. fieri non
poterat: nec, si posset, ego pati possem. audio omnino
Scaptium pœnitere. nam quod S.C. esse dicebat, ut ius es/
ex syngrapha diceretur: eo consilio factum est, quod pe
cuniam Salaminij contra legem Gabiniam sumpse-
rant. uetabat autem Auli lex ius dici de ita sumpta pe alexio
cunia. decreuit igitur Senatus, ut ius diceretur ista syn nunc
grapha. nunc ista habet iuris idem, quod cæteræ: ni-
hil præcipui. Hæc à me ordine facta puto me Bruto
probaturum: tibi, nescio: Catoni certe probabo. sed iam
ad teipsum reuertor. Aim tandẽ Atticæ laudator in-
tegritatis, & elegãtiæ nostræ? ausus es hoc ex ore tuo es/
(inquit Ennius) ut equites Scaptio ad pecuniam co-
gendam darem, me rogare? an tu, si mecum esses, qui
scribis morderi te interdum, quòd non simul sis, pate-
rere me id facere, si uellem? Non amplius, inquis, quin
quaginta. Cum Spartaco minus multi primo fuerunt.
Quid tandem isti mali in tam tenera insula non feci-
sent? non fecissent autem? immo quid ante aduentum
meũ non fecerunt? incluſum in curia Senatum habue-
nta runt Salaminium, ita multos dies, ut interierint non-
nulli fame. erat enim præfectus Appij Scaptius, & ha

bebat turmas ab Appio. id me igitur tu, cuius meherculle os mihi ante oculos solet uersari, cum de aliquo officio ac laude cogito, tu me inquam rogas præfectus ut Scaptius sit? At hoc statueramus, ut negotiatorem nemi nem: idque Bruto probaueramus. habeat is turmas. cur et potius quàm cohortes? sumptu iam nepos euadit Scaptius. Volunt, inquis, primipes. Scio: nam ad me Ephesum usque uenerũt, flentésque, equitum scelera, & miserias suas detulerũt. itaque statim dedi literas, ut ex Cypro equites ante certam diem decederent. ob eámque causam, tum ob cæteras Salaminij nos in cælum decretis suis sustulerunt. Sed iam quid opus equitatu? Soluunt enim Salaminij: nisi forte id uolumus armis efficere, ut fœnus quaternis centesimis ducant. & ego audebo legere unquam, aut attingere eos libros, quos tu dilaudas, si tale quid fecero? Nimis, inquã, mi isto Brutum amasti dulcissime Attice: nos, uereor, ne parũ. atque hæc, scripsi ego ad Brutum, scripsisse te ad me. cognosce nunc cætera. Pro Appio nos hic omnia facimus, honeste tamen, sed planè libenter. nec enim ipsum odimus, & Brutum amamus: & Pompeius à me mirifice contendit, quem mehercule plus, plúsque in dies diligo. C. Celiũ Quæs. huc uenire audisti. nescio quid sit: sed Pãmenia illa mihi non placent. Ego me spero Athenis fore mense Septembri. tuorum itinerũ tempora scire sanè uelim. Εὐήθειαν Sempronij Rufi cognoui ex epistola Corcyrea. Quid quæris? inuideo potentiæ Vestorij. Cupiebam etiam nunc plura garrire: sed lucet: urget turba: festinat Philogenes. Valebis igitur, & ualere Piliam, & Cæciliam nostram iubebis literis, & saluebis à meo Ciceronе.

CICERO ATTICO S.

ETSI nihil sanè habebam noui, quod post accidisset, quàm dedissem ad te Philogeni liberto tuo literas: tamen cum Philotimum Romam remitterē, scribendum aliquid ad te fuit. ac primum illud quod me maxime angebat (non quo me aliquid iuuare posses: quippe res est in manibus: tu autem abes lōge gentium: πολλὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ Νόστος κυλίνδεται κύματι θῦρσος ἄλλος) obrepsit dies, ut uides (mihi enim ad III. Cal. Sext. de prouincia decedendū est) nec succeditur. quem relinquam qui prouinciæ præsit? ratio quidem & opinio hominum postulat fratrē: primum quòd uidetur esse honos: nemo igitur potior, deinde quòd solum habeo Prætorium: Pontinus enim ex pacto & conuentō (nam ea lege exierat) iam à me discesserat. Quæstorem nemo dignum putat: etenim est leuis, libidinosus, sagax.

De fratre autem primum illud est: persuaderi ei non posse arbitror. odit enim prouinciam: & hercule nihil odiosius, nihil molestius. deinde, ut mihi nolit negare: quidnam mei sit officij? cum bellum esse in Syria magnum putetur: id uideatur in hanc prouinciam erupturū. hic præsidij nihil sit: sumptus annuus decretus sit: uideatúrne aut pietatis esse meæ, fratrē: aut diligentiæ, nugarum aliquid relinquere? magna igitur, ut uides, solicitudine afficior, magna inopia cōsilij. Quid quæris? toto negotio nobis opus non fuit. quanto tua prouincia melior? decedes, cum uoles: nisi forte iā decessisti. quē uidebitur præficies Thesprotiæ, & Chaoniæ. necdum tamen ego Quintum conuenerā, ut iam, si id placeret, scirem, possétne ab eo impetrari: nec ta-

men, si posset, quid uellem habebã. Hoc est igitur eiusmodi. reliqua plena adhuc & laudis, & gratiæ, digna ijs libris quos dilaudas. conseruatæ ciuitates: cumulate publicanis satisfactum: offensus contumelia nemo, decreto iusto & seuero perpauci, nec tamen quisquam ut queri audeat. res gestæ dignæ triumpho. de quo ipso nihil cupide agemus: sine tuo quidẽ consilio certe nihil. Clausula est difficilis in tradenda prouincia. sed hæc Deus aliquis gubernabit. De urbanis rebus scilicet plura tu scis: sæpius & certiora audis. Equidem doleo non me tuis literis certiorẽ fieri. huc enim odiosa afferebantur de Curione, de Paulo: non quo ullũ periculum uideam stante Pompeio, uel etiam sedente, ualeat modo: sed mehercule Curionis & Pauli meorũ familiarium uicem doleo. Formam igitur mihi totius Reip. si iam es Romæ, aut cum eris, uelim mittas, quæ mihi obuiã ueniat, ex qua me fingere possim, & præmeditari quo animo accedam ad Vrbem. est enim quiddã, aduenientem non esse peregrinum atque hospitem. Et quod penè præterij, Bruti tui causa, ut sæpe ad te scripsi, feci omnia. Cyprij numerabãt: sed Scaptius centesimis renouato in singulos annos fœnore contentus non fuit. Ariobarzanes non in Pompeium prolixior, per ipsum, quàm per me in Brutum: quem tamen ego præstare non potuerã. erat enim Rex perpauper: aberámque ab eo ita longe, ut nihil possem nisi literis, quibus pugnare non desiti. Summa hæc est. pro ratione pecuniæ liberius est Brutus tractatus, quàm Põpeius. Bruto curata hoc anno talẽta circiter C. Põpeio in sex mensibus promissa CC. Iam in Appij negotio quantum tribuerim Bruto, dici uix potest. Quid est igitur, quod

tu laudas

Clausula, τὸ τέλος τὸ κεφάλαιον

liberalius

laborem? amicos habet, meras nugas M. Scaptium, qui quia non habuit à me turmas equitum, quibus Cyprũ uexaret, ut ante me fecerat, fortasse succensẽt: aut quia præfectus non est, quod ego nemini tribui negotiatori, nõ. C. Vennonio meo familiari, non tuo M. Lenio: & quod tibi Romæ ostenderam me seruaturum, in quo perseueraui. sed quid poterit queri is qui auferre pecuniam cum posset, noluit? Scaptio, qui in Cappadocia fuit, puto esse satisfactum. is à me Tribunatum cum accepisset, quem ego ex Bruti literis ei detulissem, postea scripsit ad me, se uti nolle eo Tribunatu. Caius est quidam, cui cum præfecturam detulissem Bruti rogatu, multa & dixit, & fecit cum quadam mea contumelia, P. Clodij canis. is me nec proficiscentem Apameã prosecutus est: nec cum postea in castra uenisset, atque inde discederet, num quid uellem, rogauit: & fuit aperte mihi, nescio quare, non amicus. Hunc ego si in præfectis habuissem, quem tu me hominem putares? Qui ut scis, potentissimorum hominum contumaciam nunquam tulerim, ferrem huius assectatiõ? etsi hoc plus est quàm ferre, tribuere etiam beneficij aliquid, & honoris. Is igitur Caius, cum Apameæ me nuper uidisset Romam proficiscens, me ita appellauit (Culleolum uix auderem) Vnde, inquit, me iubes petere cibaria? Profecto respondi lenius, quàm putabant oportuisse qui aderant: me non instituisse ijs dare cibaria, quorum opera non essem usus. abijt iratus. Huius nebulonis operatione si Brutus moueri potest, licebit eum cum solus ames, me æmulum non habebis. sed illum eum futurũ esse puto, qui esse debet. tibi tamen causam notam esse uolui: & ad ipsum hæc perscripsi diligentis-

& quia nõ coemis Culleo me oratione

sime. omnino (soli enim sumus) nullas unquam ad me literas misit Brutus, *ne proxime quidem de* Appio, *in quibus non inesset arrogans* ἀνοινώνητον *aliquid. Tibi autem ualde solet in ore esse, grauius autem non contemnere se, & Reges odisse superbos. in quo tamen ille mihi risum magis, quàm stomachum mouere solet. sed planè parum cogitat, quid scribat, aut ad quem.*

Quintus Ciceronis puer legit, ut opinor, & certe, epistolam inscriptam patri suo. solet enim aperire, idque de meo consilio, si quid forte sit, quod opus sit sciri. In ea autem epistola erat illud idem de sorore, quod ad me. mirificè conturbatum uidi puerum. lacrymans mecum est questus. Quid quæris? miram in eo pietatem, suauitatem, humanitatémq; perspexi: quo maiorem spem habeo, nihil fore aliter, ac deceat. Id te igitur scire uolui. Ne illud quidĕ prætermittam. Hortensius filius fuit Laodiceæ cũ gladiatoribus flagitiose, & turpiter. *hunc ego patris causa uocaui ad cœnam, quo die uenit: & eiusdem patris causa nihil amplius. is mihi dixit, se Athenis me expectaturum, ut mecum decederet.* Recte, *inquam: quid enim dicerem? omnino puto nihil esse, quod dixit: nolo quidem, ne offendam patrē quem mehercule ualde diligo. sin fuerit meus comes, moderabor ita, ne quid eum offendam, quem minime uolo.* Hæc sunt: *etiam illud, Orationem Q. Celeris mihi uelim mittas contra M. Seruilium. Literas mitte quã primum: si nihil fuerit, uel per tuũ tabellarium.* Piliæ, & filiæ *salutem. Cura ut ualeas.*

CICERO ATTICO S.

TARSVM *uenimus Non. Iun. ibi me multa mouerũt:*

magnum in Syria bellũ, magna in Cilicia latrocinia, mihi difficilis ratio administrandi, quòd paucos dies habebam reliquos annui muneris. illud autem difficillimum: relinquendus erat ex S.C. qui præesset. nihil minus probari poterat, quàm Quæstor Messinius. nã de Celio nihil audiebamus. Rectissimũ uidebatur fratrem cum imperio relinquere: in quo multa molesta, discessus noster, belli periculũ, nilitum improbitas, sexcenta præterea. O rẽ totã odiosam. sed hæc fortuna uiderit: quoniam cõsilio non multum uti licet. Tu quãdo Romam saluus, ut spero, ueneris, uidebis, ut soles, omnia quæ intelliges nostra interesse, in primis de Tullia mea: cuius de conditione quid mihi placeret, scripsi ad Terentiam, cum tu in Græcia esses: dem de honore nostro. quòd enim tu abfuisti, uereor ut satis diligenter actum in Senatu sit de literis meis. illud præterea μυσικώτερον ad tẽ scribam, tu sagacius odorabere, τῆς δ' ἁμαρτὸς μὲ ὁ ἀπελεύτερος (οἶσθα ὃν λέγω) ἔδοξέ μοι πρώην, ἐξ ὧν ἀλογευόμενος παρεφθέγγετο πεφυραμένα τὰς ψήφους ἐν τῆς ὠνῆς τῶν ὑπαρχόντων τὸ Κροτωνιάτε τυραννουτόνε. δέδοικα δὲ, μή τι νοήσῃς. ἀλλ' δή πε τοῦτο δὴ περισκεψάμενος τὰ λοιπὰ ἐξασφάλισαι. non queo tantum, quantum uereor, scribere. Tu autem fac ut mihi tuæ literæ uolẽt obuiæ. Hæc festinans scripsi in itinere, atque agmine. Piliæ, & puellæ Cæciliæ bellissimæ salutem dices. Vale.

CICERO ATTICO S.

NVNC quidem profecto Romæ es: quòd tẽ (si ita est) saluum ueniſſe gaudeo: unde quidem quandiu abfuisti, magis à me abesse uidebare, quàm si domi esses. munus

enim mihi meæ notæ res erant, minus etiã publicæ. quare uelim, etsi (ut spero) tẽ hæc legente aliquantum tamen uiæ proæssero, tamen obuias mihi literas quã-
argutissimas de omnibus rebus crebro mittas, im-
primis de quo scripsi ad te antea. τῆς ξυνόδου τῆς ἐμῆς ὀ-
ξιλοίθερος ἐδόξει μοι θαμὰ βατταρίζων, καὶ ἀλύων τοῖς
ξυλλόγοις, καὶ ταῖς λέσχαις ὑπότι πεφυρακίγμαι τὰς φρέ-
νας ἐν τοῖς ὑπάρχουσι τοῖς τῆ Κροτωνιάτη. Hoc tu imda
ga, ut soles, ast hoc magis. ἐξ ἄστεως ἐπαλόφρ ταχῶν πα
ρέσωσιν ἡμῶν χάμε. ὀφαλήματα ὁ Κάμιλλος. αὐτόντε
ὀφάλοντα μυᾶς. ηδ. ἐν τῶν Κροτωνιατικῶν, καὶ ἐν τῶν
χερρονησιτικῶν μη. καὶ κληρονομήσας χμ. η. μ. τούτων δὲ
μηδὲ ὀβολὸν διαλύσασθαι πάντων ὀφαλιθέντων τὸ δυ-
τέρε μηνὸς τῆ νεμηνία. τὸν δὲ ἀπελοίθερον αὐτῆ, ὄντα ὁ-
μώνυμον τῷ Κόνωνος πατρὶ μηδὲν ὅλοσχερῶς πεφρον-
τικέναι. ταῦτα ἓν πρῶτον μὲν ἵνα πάντα σώξηται, δεύ-
τερον δὲ, ἵνα μηδὲ τῶν τόκων ὀλιγωρήσῃς τῶν ἀπὸ τῆς
προειμαμένης ἡμέρας, ὅσας αὐτὸν ἠνέγκαμεν, σφόδρα δι-
δοῖμι. καὶ γὰρ πικρῆν πρὸς ἡμᾶς κατασκευάζομενος, καί τι
κεδὸν ἐλπίσας, ἀπογνὺς δὲ ἀλόγως ἀπέσῃ, ἐπατῶν, ἀ-
κρόν τοι δηρὸν τε μίναν. méque obiurgauit uetere pro-
uerbio, τὰ μὲν δεδόμενα. Reliqua uide, & quantum
fieri potest, perspiciamus, etsi annuum tempus propè
iam emeritum habebamus. dies enim XXXIII. erãt
reliqui: solicitudine prouinciæ tamen uel maxime ur-
gebamur. cum enim arderet Syria bello, & Bibulus in
tanto mœrore suo maximam curam belli sustineret, ad
méque Legati eius, & Quæstor, & amici literas mit-
terent ut subsidio uenirem: etsi exercitum infirmum
habebam, auxilia sanè bona, sed ea Galatarum, Pisi-
darum, Lyciorum (hæc enim sunt nostra robora) ta-

men esse officium meũ putaui, exercitum habere quã proxime hostem, quoad mihi præesse prouinciæ per S. C. licæret. sed, quo ego maxime delectabar, Bibulus molestus mihi non erat: de omnibus rebus scribebat ad me potius, & mihi decessionis dies λειηθότως obrepebat. qui cum aduenerit: ἄλλο πρόβλημα, quem præficiam, nisi Celius Quæstor uenerit, de quo adhuc nihil certi habebamus. Cupiebam mehercule longiorem epistolam facere: sed nec erat res de qua scriberẽ: nec iocari præ cura poteram. Valebis igitur, & puellæ salutem articulate dices, nostráque Piliæ.

CICERO ATTICO S.

EGO, dum in prouincia omnibus rebus Appium orno, subito sum factus accusatoris eius socer. Id quidem, inquis, Dij approbent. Ita uelim: téque ita cupere certo scio. sed crede mihi, nihil minus putaram ego, qui de Ti. Nerone, qui mecum egerat, certos homines ad mulieres miseram, qui Romam uenerunt factis sponsalibus. sed hoc spero melius. Mulieres quidem ualde intelligo delectari obsequio, & comitate adolescentis. Cætera noli ἐξαναθλίξαν. Sed heus tu, πυρὲς ἀὶ δῦμον Athenis. placet hoc tibi? etsi non impediebant mei certi libri: non enim ista largitio fuit in ciues, sed in hospites liberalitas. me tamen de Academiæ προτύλῳ iubes cogitare, quoniam Appius de Eleusine non cogitet. De Hortensio te certo scio dolere: equidem excrucior: decreueram enim cum eo ualde familiariter uiuere.

Nos prouinciæ præfecimus Celium: Puerum, inquies, & fortasse fatuum, & non grauem, & non continentem. Assentior: fieri non potuit aliter. nam quas mul-

to ante tuas acceperam literas, in quibus ἐπέχαν te. Scripseras, quid esset mihi faciendum de relinquendo, eæ me pungebant. uidebam enim, quæ tibi essent ἐποχὴς causæ, & erant eædem mihi puero, ne traderem me fratri autem, illud non utile nobis: nam præter fratrẽ nemo erat, quem sine contumelia Quæstori, nobili præsertim, anteferrem. tamen dum impendere Parthi uidebantur, statueram fratrem relinquere, aut etiam Reip. causa contra S.C. ipse remanere. qui postea quam incredibili felicitate discesserunt, sublata dubitatio est. Videbam sermones, Hui fratrem reliquit? num est hoc non plus annum obtinere prouinciam? Quid, quòd Senatus eos uoluit præesse prouincijs, qui non præfuissent? at hic triennium. ergo hæc ad populum. Quid tecum? nunquam essem sine cura, si quid iracundius, aut contumeliosius, aut negligentius. quæ fortuita hominum? Quid, si quid filius puer, & puer bene sibi fidens? qui esset dolor? quem pater non dimittebat, téque id cænsere molestè ferebat. At nunc Celius non dico equidem, quod egerit: sed tamen multo minus laboro. Adde illud: Pompeius, eo robore uir, his radicibus, Q. Cassium sine sorte delegit, Cæsar Antonium: ego sorte datum offenderem? aut etiam inquirerem in eũ, quem reliquissem? hoc melius, & huius rei plura exempla. senectuti quidem nostræ profectò aptius. atque apud eum, Dij boni, quanta in gratia posui? eíque legi literas non tuas, sed librarij tui. Amicorum literæ me ad triumphum uocant, rem à nobis, ut ego arbitror, propter hanc παλιγγενεσίαν nostram, non negligendam. Quare tu quoque mi Attice incipe hoc cupere, quo nos minus inepti uideamur. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVINTVS FILIVS, pie sanè, me quidem ærte multùm hortante, sed currentem animum patris sui sorori tuæ reconciliauit. eum ualde tuæ literæ excitarunt. Quid quæris? confido rem, ut uolumus, esse. Bis ad te ante scripsi de re mea familiari, si modo tibi redditæ literæ sunt, Græce ἐν αἰνιγμοῖς. scilicet nihil est mouendum. sed tamen ἀφελῶς percunctando de nominibus Milonis, &, ut expediat, ut mihi recepit, hortando, aliquid ita tu proficies. Ego Laodiceæ Quæstorem Messinium expectare iussi, ut confectas rationes lege Iulia apud duas ciuitates possim relinquere. Rhodum uolo puerorum causa. inde quamprimum Athenas: etsi Etesiæ ualde reflant: sed uolo his magistratibus, quorum uoluntatem in supplicatione sum expertus. tu tamen mitte mihi quæso, obuiam literas, nunquid putes Reip. nomine tardandum esse nobis.

Tiro ad te dedisset literas, nisi eũ grauiter ægrum Eseæ reliquissem. Sed nunciant, melius esse. ego tamen angor. nihil enim illo adolescente castius, nihil diligentius. Vale.

CICERO ATTICO S.

CVM instituissem ad te scribere, calamúmque sumpsissem, Batonius è naui rectà ad me uenit domum Ephesi, & epistolam tuã reddidit prid. Cal. Oct. lætatus sum felicitate nauigationis tuæ, opportunitate Piliæ, etiã mehercule sermone eiusdẽ de coniugio Tulliæ meæ. Batonius autẽ miros terrores ad me attulit Cæsarianos. cũ Lepta etiã plura locutus est: spero, falsa, sed

certe horribilia: exercitum nullo modo dimissurum: cum illo Prætores Dess. Cassium Trib. Lentulum Cos. facere: Pompeio in animo esse Vrbem relinquere. Sed heus tu, nunquid molestè fers de illo, qui se solet anteferre patruo sororis tuæ filij? At à quibus uictus? sed ad rem. Nos Etesiæ uehementissime tardarunt. detraxit XX. ipsos dies etiam aphractus Rhodiorum. & Cal. Oct. Epheso conscendentes hanc epistolam dedimus L. Tarquinio simul è portu egredienti, sed expeditius nauiganti. nos Rhodiorum aphractis, cæterisque longis nauibus tranquillitates aucupaturi erámus. ita tamen properabamus, ut non posset magis. De raudusculo Puteolano gratum. nunc uelim dispicias res Romanas, uideas quid nobis de triumpho cogitandum putes, ad quē amici me uocant. Ego, nisi Bibulus, qui, dum unus hospes in Syria fuit, pedem porta non plus extulit, quàm domo sua, adniteretur de triumpho, æquo animo essem. nunc uero ἀισχρὸν σιωπᾶν. sed explora rem totam, ut quo die congressi erimus, cōsilium capere possimus. At multa, qui & properarem, & ei literas darem, qui aut mecum, aut paulo ante uenturus esset. Cicero tibi plurimam salutem dicit. Tu dices utriusque nostrum uerbis & Piliæ tuæ, & filiæ. Vale.

CICERO ATTICO S.

IN PIRAEEA cum exissem prid. Id. Oct. accepi ab Acasto seruo meo statim tuas literas, quas quidē cum expectassem iandiu, admiratus sum, ut uidi obsignatam epistolam, breuitatem eius: ut aperui, rursus σύγχυσιν literularū, quæ solent tuæ copiosissimæ, & clarissimæ esse. ac ne multa cognoui ex eo, quòd ita scri-

pseras, te Romam uenisse ad XII. Cal. Oct. cum febri. percussus uehementer, nec magis quàm debui, statim quæro ex Acasto. ille & ~~tibi, &~~ sibi uisum, & ita se domi ex tuis audisse, ut nihil esset incommode. id ui debatur approbare, quod erat in extremo, febriculam tum te habentem scripsisse. sed clamaui tamen, admiratúsque sum, quòd nihilo minus ad me tua manu scripsisses. Quare de hoc satis: spero enim, quæ tua prudentia, & temperantia, & hercule, ut me iubet Acastus, confido te iam, ut uolumus, ualere. A Turranio te accepisse meas literas gaudeo. παραφύλαξον, si me amas, τὴν τοῦ φράτρος φιλοτιμίαν αὐτόταται. Hanc quæ mehercule mihi magno dolori est (dilexi enim hominem) procura (quantulacunque est) Prætianam hæreditatem. prorsus illam ne attingas. Dices numos mihi opus esse ad apparatum triumphi: in quo, ut præcipis, nec me ἀεινὸν in expetendo cognoscæs, nec ἄτυφον in abiiciendo. Intellexi ex tuis literis te ex Turranio audisse, à me prouinciam fratri traditam. Adeon ego non perspexeram prudentiam literarum tuarum? ἐπεὶ χαν te scribebas. Quid erat dubitatione dignum? si esset quicquam, cur placeret fratrem, & talem fratrem relinquí? ἀθέτησις ista mihi tua, non ἔποχή uidebatur. Monebas de Q. Ciceronе puero, ut eum quidem neutiquam relinquerem. τοῦτο μόνον ἐρῶν ἐμοῖ. eadem omnia, quasi collocuti essemus, uidimus. non fuit faciendum aliter, néque ἐπιχρονία ἔποχή tua dubitatione liberauit. sed puto te accepisse de hac re epistolam scriptam accuratius. ego tabellarios postero die ad uos eram missurus, quos puto ante uenturos, quàm noſtrũ Saufeium. sed eum sine meis literis ad te uenire uix

te

60.

est / lu. /

tyrr. /

illa

ostudo

ἀσεβὲς / μισθὸς

n de

d

θύμιον ὄνυφον ἐμοὶ. P. Victorii lib. x. cap. 19. Var. lect.

rectum erat. Tu mihi, ut pollicēris, de Tulliola mea, id est, de Dolabella, perscribas: de Rep. quam præuideo in summis periculis: de Censoribus, maximéque de signis, tabulis quid fiat: referatúrne. Idib. Oct. has dedi literas, quo die, ut scribis, Cæsar Placentiam legiones quatuor. Quæso, quid nobis futurum est, mactę scribas. Athenis statio mea nunc placet. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T. POMPONIVM ATTICVM LIB. VII.

CICERO ATTICO S.

DEDERAM equidem L. Saufeio literas, & dederam ad te unum, quòd cum non esset temporis mihi ad scribendum satis, tamen hominem tibi tam familiarem sine meis literis ad te uenire nolebam: sed, ut philosophi ambulant, has tibi redditum iri putabam prius. sin iam illas accepisti, scis me Athenas uenisse pridie Id. Oct. è naui egressum in Piræeũ tuas ab Acastro nostro literas accepisse: conturbatum, quòd cum febre Romam uenisses: bono tamen animo esse cœpisse, quòd Acastus ea quæ uellem, de alleuato corpore tuo nunciaret: cohorruisse autem, quòd tuæ literæ de legionibus Cæsaris afferrēt: & egisse tecum, ut uideres, nequid φιλοτιμία eius, quem nosti, nobis noceret, & de quo iam pridem ad

te scripseram. Turranius autem seaus tibi Brundusij dixerat, quod ex his literis cognoui, quas à Xenone optimo uiro accepi. Cur fratrem prouinciæ non præfecissem, exposui breuiter. Hæc ferè sunt in illa epistola. nunc audi reliqua. Per fortunas, omnem tuum amorem, quo me es amplexus, omnémque tuam prudentiam, quam mehercule in omni genere iudicio singularē, conferto ad eam curam, ut de omni statu meo cogites. Videre enim mihi uideor tantam dimicationem, nisi idem Deus, qui nos melius, quàm optare auderemus, Parthico bello liberauit, respexerit Rempub. quanta nunquam fuit. Age, hoc malum, mihi commune est cum omnibus: nihil tibi mando, ut de eo cogites. illud meum proprium πρόβλημα quæso suscipe. Vidésne, ut te auctore sim utrunque complexus? ac uellem à principio te audisse amicissime monentem. ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσιν ἔπειθες, πατρίδος: sed aliquando tamen persuasisti, ut alterum complecterer, quia de me erat optime meritus: alterum, quia tantum ualebat. Feci igitur, atq; effeci omni obsequio, ut neutri illorū quisquam esset me charior. hæc enim cogitabamus, nec mihi iuncto cum Pompeio fore necesse peccare in Rep. aliquando: nec cum Pompeio sentienti, pugnandum esse cum Cæsare: tanta erat illorum coniunctio. Nunc impendet, ut & tu ostendis, & ego uideo. summa inter eos contentio. me autem uterque numerat suum: nisi fortè simulat alter. nam Pompeius non dubitat (uere enim iudicat) ea quæ de Rep. nunc sentiat, mihi ualde probari. Vtriusq; autem accepi eiusmodi literas eodem tempore, quo tuas, ut neuter quenquā omniū pluris facere, quàm me, uideretur. uerū

quid agant? non quæro illa ultima (si enim castris res geretur, uideo cum altero uinci satius esse, quàm cum altero uincere) sed illa, quæ tum agentur, cum uenero, ne ratio absentis habeatur, ut exercitum dimittat. Dic M. Tulli. Quid dicam? Expecta, amabo te, dum Atticum conueniam. non est locus ad tergueršandum contra Cæsarem. Vbi illæ sunt densæ dexteræ? nam ut illi hoc licæret, adiuui rogatus ab ipso Rauennæ de Celio Trib. pl. ab ipso autem? etiam à Cneo nostro in illo diuino tertio Consulatu. aliter sensero: ἀλλ' ὁμως non Pompeium modo, sed Τρῶας, καὶ Τρῳάδας. Πελυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχέην καταβήσεται, Quis? Tu ipse scilicet laudator, & factorum, & scriptorũ meorum. hanc ego plagam effugi per duos superiores Marcellorum Consulatus, cum est actum de prouincia Cæsaris. nunc incido in discrimen ipsum. Itaque, ut stultus primus suam sententiam dicat, mihi ualde placet de triumpho nos moliri aliquid, extra Vrbem esse cum iustissima causa. tamen dabunt operam, ut eliciant sententiam meam. Ridebis hoc loco fortasse: quàm uellem etiam nunc in prouincia morari. planè opus fuit, si hoc impendebat: etsi nil miserius. nam ὁδῷ πάρεργον, uolo te hoc scire, omnia illa prima, quæ etiam tu literis in cælum ferebas, ἐπίπηκτα fuerunt. Quàm non est facilis uirtus, quàm uero difficilis eius diuturna simulatio. cum enim hoc rectum, & gloriosum putarem, ex annuo sumptu, qui mihi decretus esset, me C. Celio Quæstori relinquere annuum, referre in ærarium ad HS CIↃ: ingemuit nostra cohors, omne illud putans distribui sibi oportere, ut ego amicior inuenirer Phrygum, & Cilicũ ærarijs, quàm nostro. sed me non mouerunt: nam

& mea laus apud me plurimum ualuit: nec tamen quicquam honorificæ in quenquam fieri potuit, quod prætermiserim. sed hæc fuerit, ut ait Thucidides, ἐμβολὴ λόγου non inutilis. tu autem de nostro statu cogitabis: primum quo artificio tueamur beneuolentiam Cæsaris: deinde de ipso triumpho: quem uideo, nisi Reip. tempora impedient ἀπόρισον, iudico autem cum ex literis amicorum, tum ex supplicatione, quam qui non decreuit, plus decreuit, quàm si omnes decreuisset triumphos. Ei porrò assensus est unus familiaris meus Fauonius, alter iratus Hirrus. Cato autem & scribendo affuit, & ad me de sententia sua iucundissimas literas misit. sed tamen gratulans mihi Cæsar de supplicatione, triũphat de sententia Catonis, nec scribit quid ille sentẽtiæ dixerit, sed tamen supplicationẽ eum mihi non decreuisse. Redeo ad Hirrũ. cœperas eũ mihi placare: perfice. Habes Scrofam. habes Silũ. ad eos ego etiã antea scripsi, & ad ipsum Hirrũ: locutus enim erat cũ ijs, commodè se potuisse impedire, sed noluisse: assensum tamen esse Catoni amicissimo meo, cum is honorificentissimam in me sententiam dixisset: nec me ad se ullas literas misisse, cum ad omnes mitterem. Verũ dicebat. ad eum enim solũ, & ad Crassipedem non scripseram. Atque hæc de rebus forensibus. Redeamus domum. dijungere me ab illo uolo. mirus est φυράτης Germanus Lartidius. ἀλλὰ τὰ μὲν προτέτυχθω ἰάσομεν, ἀχνυμενοὶ περ. Reliqua expediamus, hoc primum, quòd accessit cura dolori meo, sed hoc tamen quicquid est. Prætianũ cũ ijs rationibus, quas ille meas tractat, admiscẽri nolo. Scripsi ad Terentiã, scripsi etiam ad ipsum, me, quicquid possem rumorũ, ad apparatũ spe-

rati triumphi ad te reducturũ. Ita puto ἀμεμπτότερα fore. uerũ ut lubebit. hanc quoq; suscipe curã, quemadmodũ experiamur. id & ostendisti quibusdã literis ex Epiro, & Athenis datis, & in eo ego te adiuuabo. Vale.

CICERO ATTICO S.

BRVNDVSIVM uenimus VII. Cal. Dec. usi tua felicitate nauigandi. ita belle nobis flauit ab Epiro lenissimus Auster, mutis. Hunc σπουδάζοντα, si cui uoles τῶν νεωτέρων, pro tuo uendito. Inualetudo tua me ualde conturbat. significat enim tuæ literæ te prorsus laborare. Ego autem cum sciam, quàm sis fortis, ue hementius esse quiddam suspicor, quod te cogat cædere, & propemodum infringat: etsi alteram quartanam Pamphilus tuus mihi dixit decessisse, & alteram leuiorem accedere. Terentia uero, quæ quidem eodem tẽpore ad portam Brundusinã uenit, quo ego in portum, mihiq; obuia in foro fuit, L. Pontiũ sibi in Trebulano dixisse narrabat, etiam eam decessisse. Quod si ita est, quod maxime mehercule opto, id spero tua prudentia, & temperantia te consecutum. Venio ad epistolas tuas, quas ego sexcentas uno tempore accepi, aliã alia iucundiorem, quæ quidem erant tua manu. nam Alexidis manum amabam, quòd tam propè accedebat ad similitudinem tuæ literæ: ~~manum~~ non amabã, quia mihi cabat te non ualere. cuius quoniam mentio iam facta est, Tironem Patris ægrũ reliqui, adolescentem, ut nosti, (& adde si quid uis) probũ: nihil uidi melius: itaq; careo ægre. quanquam uidebatur se non grauiter habere, tamen sum solicitus, maximámque spem habeo in M. Curij diligẽtia, de qua ad me scripsit Tiro, & multi

nunciarũt. Curius autem ipse sensit, quàm tu uelles à me diligi: & eo sum admodum delectatus: & mehercule est, quem facile diligas. αὐτόχθων in homine urbanitas, eius testamentum de tortorio Ciceronum signis obsignatum, cohortisque prætoriæ. fecit palàm te ex libella, me ex tertũcia. Corcyræ Alexion me opipare muneratus est. Q. Ciceroni obsisti non potuit, quo minus Thyamim uideret. Filiola tua te delectari lætor, & probari tibi ~~σοφὴν~~ φυσικὴν esse τὴν πρὸς τὰ τέκνα. Etenim si hæc non est, nulla potest homini esse ad hominem naturæ adiunctio: qua sublata, uitæ societas tollitur. Bene conueniant, inquit, Carneades; spuræ, sed tamen prudentius, quàm Lucius noster, & Patron. qui cum omnia ad se referant, quicquam alterius causa fieri putant? cum ea re bonum uirum oportere esse dicant, ne malum habeat, non quo id natura rectum sit: non intelligunt se de callido homine loqui, nõ de bono uiro. Sed hæc opinor sunt in ijs libris, quos tu laudãdo, animos mihi addidisti. Redeo ad rẽ.

Quomodo expectabam epistolam, quam Philoxeno dedisses? (scripseras enim, in ea esse de sermone Pompeij Neapolitano) eam mihi Patron Brundusij reddidit, Corcyræ, ut opinor, acceperat. Nihil potuit esse iucundius. erat enim de Rep. de opinione, quam is uir haberet integritatis meæ: de beneuolentia, quam ostendit eo sermone, quem habuit de triumpho. Sed tamen hoc iucundissimum, quòd intellexi te ad eũ ueniisse, ut eius animum erga me perspiceres. hoc mihi inquã accidit iucundissimum. De triumpho autem nulla me cupiditas unquã tenuit ante Bibuli impudẽtissimas literas, quas amplissime supplicatio consecuta est. A quo si ea

essent gesta sunt, quæ scripsit, gauderem, & honorifauerem. nunc illum, qui pedem porta, quoad hostis eis Euphratem fuit, non extulerit, honore augeri, me in cuius exercitu spem illius exercitus habuit, idem non assequi, dedecus est nostrum, nostrum inquam te coniungens. Itaque omnia experiar, &, ut spero, assequar. quòd si tu ualeres, iam mihi quædam explorata essent, sed, ut spero, ualebis. De rauduſculo Numeriano multum te amo. Hortensius quid egerit, aueo scire, Cato quid agat: qui quidem in me turpiter fuit maleuolus: dedit integritatis, iustitiæ, clementiæ, fidei mihi testimonium, quod non quærebam: quod postulabam, negauit. & id itaque Cæsar his literis, quibus mihi gratulatur, & omnia pollicetur, quomodo exultat Catonis in me ingratissimi iniuria? at hic idem Bibulo dierum XX. ignosce mihi, non possum hæc ferre, nec feram. Cupio ad omneis tuas epistolas, sed nihil necesse est. iam enim te uidebo. illud tamen de Chrysippo. nam de altero illo minus sum admiratus operario homine: sed tamen ne illo quicquam improbius. Chrysippum uero, quem ego propter literularum nescio quid libenter ui di, in honore habui, discedere à puero insciente me? mitto alia, quæ audio multa: mitto furta: fugam non fero, qua mihi nihil uisum est sceleratius. Itaque usurpaui uetus illud Drusi, ut ferunt, Prætoris in eo, qui eadem liber non iuraret: me istos liberos non addixisse, præsertim cùm adesset nemo, à quo recte uindicarentur. id tu, ut uidebitur, ita accipies: ego tibi assentiar. Vni tuæ disertissimæ epistolæ non rescripsi, in qua est de periculis Reip. quid rescriberem? ualde eram perturbatus. Sed ut nihil magnopere metuam, Parthi

faciunt, qui repente Bibulũ semiuiuũ reliquerũt. Vale.

CICERO ATTICO S.

AD VIII. Id. Decemb. in Trebulanum ueni, & ibi tuas literas legi, quas Philotimus mihi reddidit. è quibus hanc primo aspectu uoluptatem cepi, quòd erant à te ipso scriptæ. deinde earũ accuratissima diligentia sum mirum in modum delectatus. ac primum illud in quo te. Dicæarcho assentiri negas, etsi cupidissime expressum, & expetitum à me sit, & approbatum à te, ne diutius anno in prouincia essem, tamen non est nostra contentione perfectum. sic enim scito, uerbum in Senatu factum esse nunquam de ullo nostrum, qui prouincias obtinuimus, quò in his diutius quàm ex S. C. maneremus: ut iam ne istius quidem rei culpam sustineam, quòd minus diu fuerim in prouincia, quàm fortasse fuerit utile, sed quid, si hoc melius? opportune dici uidetur, ut in hoc ipso. siue enim ad concordiam res adduci potest, siue ad bonorum uictoriam: utriusuis rei me aut adiutorem uelim esse, aut certe non expertem: sin uincũtur boni: ubicunque essem, unà cum ijs uictus essem. Quare ceritas nostri reditus ἀμεταμέλητος debet esse. Quòd si ista nobis cogitatio de triumpho iniecta non esset, quam tu quoque approbas: nec tu haud multum requireres illum uirum, qui in VI. libro informatus est. quid enim tibi faciam, qui illos libros deuorasti? quin nunc ipsum non dubitabo, rem tantam abijcere, si id erit rectius. utrũque uero simul agi non potest, & de triumpho ambitiose, & de Rep. libere. sed ne dubitaris, quin quod honestius, id mihi futurum sit antiquius. nam quod putas utilius esse, uel mihi quòd

tutius sit, uel etiã ut Reip. prodesse possim, me esse cum imperio: id corãm cõsiderabimus quale sit. habet enim res deliberationem: etsi ex parte magna tibi assentior.

De animo autem meo erga Remp. bene facis, quòd non dubitas, & illud probe iudicas, nequaquam satis pro meis officijs, pro ipsius in alios effusione illum in me liberalem fuisse: eiúsque rei causam uere explicas: & eis, quæ de Fabio Caninióque acta scribis, ualde consentiunt. quæ si secus essent, totúmque se ille in me profudisset: tamen illa quam scribis, custos Vrbis me præclaræ inscriptionis memorem esse cogeret, nec mihi concederet, ut imitarer Volcatiũ, aut Seruium, quibus tu es contentus. sed aliquid nos uellet nobis dignum & sentire, & defendere. quod quidem agerem si licæret, alio modo, ac nunc agendum est. De sua potẽtia dimicant homines hoc tẽpore periculo ciuitatis, nam si Resp. defenditur, cur ea Cõsule isto ipso defensa non est? cur ego, in cuius causa Reip. salus consistebat, defensus postero anno non sum? cur imperium illi, aut cur illo modo prorogatum est? cur tantopere pugnatum est, ut de eius absentis ratione habenda decem Tribuni pl. ferrent? His ille rebus ita conualuit, ut nunc in uno ciue Resp. ad resistendum imbecilla sit. quæ mallem tantas ei uires non dedisset, quàm nunc tam ualẽti resisteret. sed quoniam res eò deducta est, non quæram, ut scribis, τὸ συμφος τῶν Ατραδῶν. mihi συμφος unum erit, quod à Pompeio gubernabitur. Illud ipsum quod ais: Quid fiet, cum erit dictum? Dic M. Tulli σύντομα. Pompeio assentiar. ipsum tamen Pompeium separatim ad concordiam hortabor. sic enim sentio, maximo in periculo rem esse. Vos scilicet plura, qui in Vrbe estis. ue-

runtamen hoc uideo, cum homine audaciſſimo, paratiſſimóque negotiũ eſſe: omneis damnatos, omneis ignominia affectos, omneis damnatione, ignominiáque dignos illac facere, omnem ferè iuuentutem, omnem illam urbanam ac perditam plebem, Tribunos ualenteis addito C. Caſſio: omneis qui ære alieno premantur, quos plureis eſſe mœlligo, quàm putaram. Cauſam ſolum illa cauſa non habet: cæteris rebus abũdat. hic omnia facere omnis debẽt, ne armis decernatur: quorum exitus ſemper mœrti, nunquero in alteram partem magis timendi. Bibulus de prouincia deceſſit: Veientonem præfecit. in decedendo erit, ut audio, tardior. quem cum ornauit Cato, declarauit ijs ſe ſolis non inuidere, quibus nihil, aut nõ multum ad dignitatem poſſet accedere. Nunc uenio ad priuata. ferè enim reſpõdi tuis literis de Rep. & ijs quas in ſuburbano, & ijs, quas poſtea ſcripſiſti, ad priuata uenio. Vnũ etiam de Celio. tantum abeſt, ut meam ille ſententiam moueat, ut ualde ego ipſi, quòd de ſua ſententia deceſſerit, pœnitendum putem. ſed quid eſt, quòd cuncti Lucœijs ſint addicti? hoc te præterminiſſe miror. De Philotimo faciam equidẽ, ut mones. ſed ego mihi ab illo non rationes expectabam, quas tibi edidit, uerum id reliquum, quod ipſe in Tuſculano me referre in commentarium mea manu uoluit, quódque idem in Aſia mihi ſua manu ſcriptum dedit. id ſi præſtaret, quantum mihi æris alieni eſſe ibi edidit, tantum, & plus etiam ipſe mihi deberet. ſed in hoc genere, ſi modo per Rempub. licebit, non accuſabimur poſthac: neque hercule antea negligentes fuimus, ſed amicorum multitudine occupati. Ergo utemur, ut pollicéris, & opera, &

consilio tuo, nec tibi erimus, ut spero, in eo molesti. De Serperastris cohortis meæ nihil est, quòd doleas. ipsi enim se collegerunt admiratione uitæ integritatis meæ. sed me mouerat nemo magis quàm is, quē tu neminem putas. Idem & initio fuerat, & nunc est egregius. sed in ipsa decessione significauit speraſſe se aliquid, & id quod animum induxerat paulisper, non tenuit, sed cito ad se redijt, meisque honorificentissimis erga se officijs uictus, pluris ea duxit, quàm omnem pecuniam. ego à Curio tabulas accepi, quas mecum porto.

Hortensij legata cognoui. Nunc aueo scire, quid hominis sit, & quarum rerum auctionem instituat. nescio enim cur cum portam Flumentanam Celius occuparit, ego Puteolos non faciam meos. Venio ad Piræea. in quo magis reprehendendus sum, quòd homo Romanus Piræea scripserim, non Piræeum (sic enim omnes nostri locuti sunt) quàm quòd, in, addiderim: nō enim hoc ut oppido præposui, sed ut loco. & tamen Dionysius noster, qui est nobiscum, & Nicias Cous non rebatur oppidum esse Piræea. sed de re uidero. nostrum quidem si est peccatum, in eo est, quòd non ut de oppido locutus sum, sed ut de loco: secutúsque sum, non dico Cæcilium, Mane ut ex portu in Piræeum (malus enim auctor latinitatis est) sed Terētium, cuius fabellæ propter elegantiam sermonis putabantur à C. Lælio scribi, Heri aliquot adolescentuli cōimus in Piræeum. & idem, Mercator hoc addebat, captam è Sunio. quòd si ἄστεα oppida uolumus esse, tam est oppidum Sunium quàm Piræeus. sed quoniam grāmaticus es, si hoc mihi ξήτημα persolueris, magna me molestia liberaris. Ille mihi literas blandas mittit. facit idem pro eo Balbus.

mihi certum est ab honestissima sententia digitum nusquam. sed scis, illi reliquum quantum sit. Putásne igitur uerendum esse, ne aut obijciat id nobis aliquis, si lãguidius: aut repetat, si fortius? Quid ad hæc repereris? Soluamus, inquis. Age, à Celio mutuabimur. hoc tu tamen considereres uelim. puto enim in Senatu, si quando præclare pro Rep. dixero, Tartessium istum tuum mihi exeunti, iube sodes numos curare. Quid supereſt? etiam. gener est suauis mihi: Tulliæ, Terentiæ quantumuis: uel ingenij, uel humanitatis satis. reliqua quæ nosti, ferenda. scis enim quos aperuerimus, qui omnes præter eum, de quo per te egimus, reum me facere rentur. ipsis enim expensum nemo offeret. Sed hæc coràm: nam multi sermonis sunt. Tironis reficiendi spes est in M. Curio: cui ego scripsi, tibi eũ gratissimum factu-
rum. Vale. Data V. Id. Dec. à Pontio, ex Trebulano.

CICERO ATTICO S.

DIONYSIVM flagrantẽ desiderio tui misi ad te, nec mehercule æquo animo, sed fuit concedendum. quem quidem cognoui cum doctum (quod mihi iam ante erat notum) tum sanctum, plenum officij, studiosum etiam meæ laudis, frugi hominem, ac, ne libertinum laudare uidear, planè uirum bonum. Pompeium uidi IIII. Id. Decemb. fuimus unà horas duas fortasse. magna lætitia mihi usus est affici meo aduẽtu. de triumpho hortari, suscipere partes suas, monere ne ante in Senatum accederem, quàm rem confecissem, ne dicendis sententijs aliquem Tribunum alienarem. Quid quæris? in hoc judicio et officio sermonis nihil potuit esse prolixius. de Repub. autem ita mecum locutus est, quasi

non dubium bellum haberemus: nihil ad spem concordiæ: planè illum ab se alienatum cum ante intelligeret, tum uero proxime iudicasse: uenisse Hircium à Cæsare, qui esset illi familiarissimus: ad se non accessisse: & cum ille ad VIII. Id. Dec. uesperi uenisset, Balbus de tota re constituisset, ad VII. ad Scipionem ante lucem uenisse: multa de nocte profectum esse ad Cæsarem. hoc illi τεκμηρίῳ uidebatur esse alienationis. Quid multa? nihil me aliud consolatur, nisi quòd illum cui etiam inimici alterum Consulatum, fortunam summam potentiam dederit, non arbitror fore tam amentem, ut hæc in discrimen adducat. quòd si ruere cœperit, næ ego multa timeo, quæ non audeo scribere. sed ut nunc est, ad III. Non. Ian. ad Vrbem cogito. Vale.

CICERO ATTICO S.

MVLTAS uno tempore accepi epistolas tuas: quæ mihi quanquam recentiora audiebam ex ijs qui ad me ueniebant, tamen erant iucundæ. studium enim & beneuolentiam declarabant. Inualetudine tua moueor: & Piliam in idem genus morbi delapsam, curam tibi afferre maiorem sentio. Date igitur operam, ut ualeatis. De Tirone uideo tibi curæ esse: quem quidem ego, etsi mirabiles utilitates mihi præbet, cum ualet, in omni genere uel negotiorum, uel studiorum meorum, tamen propter humanitatem & modestiam malo saluum, quàm propter usum meum. * Philogenes mecum nihil unquam de Lusœnio locutus est. de cæteris rebus habes Dionysium. Sororem tuam non uenisse in Arcanum miror. De Chrysippo, meum cõsilium probari tibi, non molestè fero. Ego in Tusculanum? ni-

hil sanè hoc tempore. deuium est τοῖς ἀπαντῶσιν, & habet alia δύχρησα. sed de Formiano Tarracinam prid. Calend. Ian. inde Pontinum sumam. inde Albanum Pompeÿ: ita ad Vrbem III. Non. natali meo. De Repub. quotidie magis timeo: non enim boni, ut putaui, consentiunt. quos ego equites Romanos, quos Senatores uidi, qui acerrime cum cætera, tum hoc iter Pompeÿ uituperarent? pace opus est. ex uictoria cum mul-
ta mala, tum certe tyrannis existet. Sed hæc propediem coram. iam planè mihi deest, quid ad te scribam. nec enim de Repub. quòd utrque nostrum scit eadem: & domestica nota sunt ambobus. Reliquū est iocari, si hic sinat. nam ego is sum, qui illi concedi putem utilius esse quod postulat, quàm signa conferri. sero enim resistimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos. Quid sentis igitur, inquis? Nihil scilicet nisi de sententia tua, nec prius quidē, quàm nostrum negotium aut confecerimus, aut deposuerimus. Cura igitur ut ualeas, aliquando ἀποτριταῖον quartanam istam diligentia quæ in te summa est.

CICERO ATTICO S.

PLANE deest, quid ad te scribam: nota omnia tibi sunt. nec ipse habeo, à te quid expectem. tantum igitur nostrum illud solenne seruemus, ut ne quem istuc euntem sine literis dimittamus. De Repub. ualde timeo: nec adhuc fere inueni, qui non concædendum putaret Cæsari quod postularet, potius quàm depugnandū. est illa quidem impudens postulatio opinione ualētior: cur autem nunc primum ei resistamus, ἢ γὰρ ἂν τόδε μᾶλλον ἔτι καιρὸν quàm cum quinquennium prorogabamus,

aut cũ,ut absentis ratio haberetur,ferebamus? nisi forte hæc illi tum arma dedimus, ut nunc cum bene parato pugnaremus. Dicæs,Quid tu igitur sensurus es? Nõ idem quod dicturus. sentiam enim omnia facienda, ne armis decertetur: dicam idem quod Pompeius, neque id faciam humili animo: sed rursus hoc permagnum Reipub. malum est, & quodammodo mihi præter cæteros non rectum, me in tantis rebus à Pompeio dissidere. Vale.

CICERO ATTICO S.

DIONYSIVS uir optimus, ut mihi quoque est perspectus & doctissimus, tuique amantissimus, Romam uenit XV. Calẽd. Ian. & literas à te mihi reddidit. tot enim uerba sunt de Dionysio in epistola tua. Illud prius non ascribis, Et tibi gratias ẽgit. Atquĩ certe ille agere debuit, & si esset factum, quæ tua est humanitas, ascripsisses. Mihi autem nulla de eo παλινῳδία data tur propter superioris epistolæ testimoniũ. sit igitur sanè bonus uir. hoc enim ipsum bene fecit, quòd mihi sui cognoscendi penitus etiam istam facultatem dedit.

Philogenes recte ad te scripsit. curauit enim, quod debuit. eum ego uti ea pecunia uolui, quoad licæret: itaque usus est menses XIIII. Puteolum cupio ualere: & quod scribis in Vrbem intrasse, uereor quid sit. nam id nisi graui de causa non fecisset. Ego, quoniam III. Non. Ian. cõpitalitius dies est, nolo eo die in Albanum uenire molestus familiæ. ueniam III. Non. igitur inde ad Vrbẽ prid. Non. Tua ἀσθένεια quem in diem incurrat nescio, sed prorsus te commoueri incommodo ualetudinis tuæ nolo. De honore nostro,

niſi quid occulte Cæſar per ſuos Tribunos molitus erit, cætera uidentur eſſe tranquilla. tranquilliſſimus autem animus meus, qui totum iſtuc æqui boni facit, & eo magis quòd iam à multis audio conſtitutũ eſſe Pompeio & eius conſilio, in Siciliã me mittere, quòd imperium habeam. id eſt Ἀβδηριτικὸν. *nec enim Senatus decreuit, nec populus iuſſit me imperium in Sicilia habere. ſin hoc Reſp. ad Pompeium refert: qui me magis quàm priuatum aliquem mittat? Itaque ſi hoc imperium mihi moleſtum erit, utar ea porta, quam primum uidero. Nam quod ſcribis, mirificam expectationem eſſe mei, neque tamen quenquam bonorum, aut ſatis bonorum dubitare, quid ſenſurus ſim: ego quos tu bonos eſſe dicas, non intelligo: ipſe nullos noui: ſed ita, ſi ordines bonorum quærimus: nam ſingulares ſunt boni uiri: uerum in diſſenſionibus ordines bonorum, & genera quærenda ſunt. Senatum bonum putas, per quem ſine imperio prouinciæ ſunt? nunquã enim Curio ſuſtinuiſſet, ſi cum eo agi cœptum eſſet. quam ſententiam Senatus ſequi noluit. ex quo factum eſt, ut Cæſari non ſuccederetur. An publicanos? qui nũquam firmi, ſed nunc Cæſari ſunt amiciſſimi. an fœneratores? an agricolas? quibus optatiſſimum eſt otium: niſi eos timere putas, ne ſub regno ſint, qui id nunquam dũmodo ociosi eſſent, recuſarũt. Quid ergo? exercitũ retinentis, cum legis dies tranſierit, rationem haberi placet? mihi uero ne abſentis quidem. ſed cum id datum eſt, illud unà datum eſt. annorum decem imperium, & ita latum placet? Placet igitur etiã me expulſum, & agrum Campanum periſſe, & adoptatum patritium à plebeio, Gaditanum à Mitylenæo: & Labieni diuitiæ, &*

Mamurræ placent, & Balbi horti, & Tusculanum. sed horum omnium fons unus est. imbecillo resistendum fuit, & id erat facile. Nunc legiones XI. equitatus tantus, quantum uolet: Transpadani, plebs urbana, tot Tribuni pleb. tam perdita iuuentus, tanta auctoritate dux, tanta audacia. cum hoc aut depugnandum est, aut habēda è lege ratio. Depugna, inquis, potius, quàm seruias. Vt quid? si uictus eris, proscribare: si uicēris, tamen seruias. Quid ergo, inquis, acturus es? Idem quod pecudes, quæ dispulsæ, sui generis sequuntur greges. ut bos armenta, sic ego bonos uiros, aut eos quicunque dicentur boni, sequar, etiam si ruent. Quid sit optimum male contractis rebus, planè uideo. nemini est enim exploratum, cum ad arma uentum est, quid futurum sit: at illud omnibus, si boni uicti sunt, nec in cæde principum clementiorē hunc fore, quàm Cinna fuerit: nec moderatiorem, quàm Sulla in pecuniis locupletium. ἐμπολιτεύομαί σοι iandudum, & facerem diutius nisi me lucerna desereret. Ad summā dic M. Tulli. Assentior Cn. Pompeio, id est T. Pomponio. Alexim humanissimum puerum (nisi fortè dum ego absum, adolescens factus est: id enim agere uidebatur) saluere iubeas uelim. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVID opus est de Dionysio tam ualde affirmare? an mihi nutus tuus non faceret fidem? suspicionem autem eo mihi maiorem tua taciturnitas attulerat, quòd & tu soles conglutinare amicitias testimoniis tuis, & illum aliter cum alijs de nobis locutum audiebam. sed prorsus ita esse, ut scribis, mihi persuades. Itaque ego

is in illum sum, quem tu me esse uis. Diem tuum ego quoque ex epistola quadam tua, quam incipiente febricula scripseras, mihi notaueram, & animaduerteram posse, pro re nata, te non incommode ad me in Albanum uenire III. Non. Ian. Sed amabo te, nihil incommodo ualetudinis feceris. quid enim est tantum in uno, aut altero die? Dolabellam uideo Liuiæ testamento cum duobus cohæredibus esse in triente, sed iuberi mutare nomen. est πολιτικὸν σπέρμα, rectúmne sit nobili adolescenti mutare nomen mulieris testamento. sed id φιλοσοφώτερον διευρινήσομεν, cum sciemus quantum quasi sit in trientis triente. Quòd putasti fore, ut antè quàm istuc uenirem, Pompeium uiderem: factum est ita. nam VI. Cal. ad Lauernium me consecutus est. unà Formias uenimus, & ab hora octaua ad uesperum secretò collocuti sumus. Quod quæris, ecquæ spes pacificationis sit: quantum ex Pompeij multo, & accurato sermone perspexi, ne uoluntas quidem est. sic enim existimat, si ille uel dimisso exercitu Consul factus sit, σύγχυσιν τῆς πολιτείας fore. atque etiam putat eum cum audierit contra se diligenter parari, Consulatum hoc anno neglecturum, ac potius exercitum prouinciámque retenturum. si autem ille fureret, uehementer hominem contemnebat, & suis & Reip. copijs cõfidebat. Quid quæris? etsi mihi crebro ἔννοι ἐννοί occurrebat, tamen leuabar cura, uirum fortem, & peritum, & plurimum auctoritate ualentem audiens πολιτικῶς de pacis simulatæ periculis differentem. habebamus autẽ in manibus Antonij concionem habitam X. Cal. Ian. in qua erat accusatio Pompeij usque à toga pura: querela de damnatis: terror armorum. In qui-

bus ille, Quid censes, aiebat, facturum esse ipsum, si in possessionem Reip. uenerit, cum haec Quaestor eius infirmus & inops audeat dicere? Quid multa? non modo non expetere pacem istam, sed etiam timere usus est. Ex illa autem sententia ira relinquendae Vrbis mouet hominem, ut puto. Mihi autem illud molestissimum est, quòd soluendi sunt nummi Caesari, & instrumentum triumphi eò conferendum, est enim ἄμορφον ἀντιπολιτευομένου χρυσοφαλάρην esse. sed haec & multa alia coràm. Quotidiéne, inquis, à te accipiendae literae sunt? Si habebo cui dem, quotidie. At iam ipse ades. Tum igitur, cum uenero, desinam. Vnas uideo mihi à te non esse redditas, quas L. Quintius familiaris meus cum ferret ad Bustum Basilij uulneratus & despoliatus est. uidebis igitur, nunquid fuerit in his, quod me scire opus sit. & simul tu hoc διυπουργήσας πρόβλημα sanè πολιτικὸν: cum sit necesse aut haberi Caesaris rationem, illo exercitum uel per Senatum, uel per Tribunos pl. obtinente: aut persuaderi Caesari, ut tradat prouinciam, atque exercitum, & ita Consul fiat: aut si id nō persuadeatur, haberi comitia sine illius ratione, illo patiente, atque obtinente prouinciam: aut si per Tribunos pl. non patiatur, tamen quiescat, rem adduci ad interregnum: aut si ob eam causam, quòd ratio eius non habeatur, exercitum adducat, armis cum eo contendere: illum autem initium facere armorum, aut statim nobis minus paratis, aut tum, cum comitijs, amicis eius postulantibus, ut è lege ratio habeatur, impetratum non sit: ire autem ad arma aut hanc unam ob causam, quòd ratio non habeatur: aut addita causa, si forte Tribunus pleb. Senatum impediens, aut populum

incitans notatus, aut S. C. circunscriptus, aut sublatus, aut expulsus sit, dicénsue se expulsum ad illum confugerit: suscepto autem bello, aut tenenda sit Vrbs, aut ea relicta, ille à commeatu, & reliquis copijs intercludendus: quòd horũ malorum, quorum aliquod certe subeundum est, minimum putes. Dices profecto, persuaderi illi, ut tradat exercitum, & ita Consul fiat. est omnino id eiusmodi, ut si ille eò descendat, contradici nihil possit. idque eum, si non obtinet ut ratio habeatur retinentis exercitum: non facere miror. nobis autem, ut quidam putant, nihil est timendum magis quàm ille Cõsul. At sic malo, inquies, quàm cum exercitu. Certe. sed, istuc ipsum sic, ò magnum malum, putat aliquis. neque ei remedium est ullum. cedendum est, si id uolet. uide Consulem illum iterum, quem uidisti Consulatu priore. At tum imbecillus plus, inquis, ualuit, quàm tota Resp. Quid nunc putas? & eo Consule, Pompeio certum est esse in Hispania. O rem miseram: siquidem id ipsum deterrimum est, quod recusari non potest, & quod ille si faciat, iamiam à bonis omnibus summam ineat gratiã. Tollamus igitur hoc, quòd illum posse adduci negant. de reliquis quid est deterrimum? conædere illi, quod, ut idem dicit, impudẽtissime postulat. Nam quid impudentius? tenuisti prouinciam per decem annos, non tibi à Senatu, sed à te ipso per uim, & per factionem datos. præterijt tempus legitimum non legis, sed libidinis tuæ, fac tamen legis: ut succedatur, decernitur: impedis, & ais, Habe mei rationem: Habe tu nostrum. exercitum tu habeas diutius, quàm populus iusserit, inuito Senatu? depugnes oportet, nisi conædis, cum bona quidem spe, ut ait idem, uel uin-

cendi, uel in libertate moriendi. iam si pugnandum est: quo tempore, in casu: quo consilio, in temporibus situm est. itaque te in ea quæstione non exercæo, ad ea quæ dixi, affer, siquid habes. equidem dies, noctésque torqueor. Vale.

CICERO ATTICO S.

SVBITO consilium cepi, ut ante quàm lucæret, exirem, nequi conspectus fieret, aut sermo, lictoribus præsertim laureatis. De reliquo, neque hercule quid agam, nec quid acturus sim, scio: ita sum perturbatus temeritate nostri amentissimi cõsilij. tibi uero quid suadeã, cuius ipse consilium expecto? Cneus noster quid consilij ceperit, capiatue, nescio, adhuc in oppidis coarctatus: & stupent omnes, si in Italia consistat, erimus unà. sin cedet, consilij res est, adhuc certe (nisi ego insanio) stulte omnia & mcaute. Tu quæso crebro ad me scribe, uel quod in buccam uenerit. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVAESO, quid hoc est? aut quid agitur? mihi enim tenebræ sunt. Cingulum, inquit, nos tenemus. Anconem amisimus. Labienus discessit ab Cæsare. Vtrum de imperatore populi R. an de Annibale loquuntur? ò hominem amentem, & miserum, qui ne umbram quidem unquam τῦ κακῦ uiderit. atque hæc ait omnia facere se dignitatis causa. ubi est autem dignitas, nisi ubi honestas? num honestum igitur habere exercitum nullo publico cõsilio? occupare urbes ciuium, quo facilior sit aditus ad patriam? χρεῶν ἀποποπὰς, φυγάδων καθόδυς, sexcenta alia scelera moliri, τὴν θεῶν μεγίςην ἀχέχαν τυ

φαντάζεσθαι sibi habeat suam fortunam. unam meherculè tecum apricationem in illo Lucretino tuo sole malim, quàm omnia istiusmodi regna: uel potius mori milliès, quàm semel illiusmodi quicquam cogitare. Quid si tu uelis, inquis? Age quis est, cui uelle non liceat? sed ego hoc ipsum uelle miserius esse duco, quàm in crucem tolli. una res est ea miserior, adipisci quod ita uolueris. Sed hæc hactenus. libentèr enim in his molestijs ἐνσχολάζω σοι. redeamus ad nostrum. Per fortunas quale tibi consilium Pompeij uidetur? (hoc quæro, quòd Vrbem reliquerit) ego enim ἀπορῶ. tum nihil absurdius. Vrbem tu relinquas? ergo idem, si Galli uenirent. Non est, inquit, in parietibus Resp. at in aris, & focis. fecit idem Themistocles. fluctum enim totius barbariæ ferre urbs una non poterat. At idem Pericles non fecit annũ ferè post quinquagesimum, cum præter mœnia nihil teneret. nostri olim Vrbe reliqua capta, arcem tamen retinuerũt, ἕως τῶν πρόσθεν ἐπενθόμεθα κλέα ἀνδρῶν. rursus autem ex dolore municipali, sermonibúsque eorum quos conuenio, uidetur hoc consilium exitum habiturum. Mira hominum querela est (nescio istic: sed facies ut sciam) sine magistratibus Vrbem esse, sine Senatu. fugiens denique Pompeius mirabiliter homines mouet. Quid quæris? alia causa facta: nihil iam concedendũ putant Cæsari. hæc tu mihi explica qualia sint. Ego negotio præsum non turbulento: nulle enim me Pompeius esse, quem tota hæc Campana, & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quẽ delectus, & summa negotij referatur. itaq; uagus esse cogitabam. te puto iam uidere, quæ sit ὁρμὴ Cæsaris, qui populus, qui totius negotij status. ea uelim scribas ad me, & quidẽ,

quoniam mutabilia sunt, quam sæpissime. acquiesco enim & scribens ad te, & legens tua. Vale.

CICERO ATTICO S.

VNAM adhuc à te epistolam acceperam, datam XII. Cal. Iun. in qua significabatur, aliam te ante dedisse, quam non acceperam. sed quæso ut scribas quam sæpissime, non modo siquid scies, aut audieris, sed etiã siquid suspicabere: maximéque quid nobis faciũdum, aut non faciundum putas. Nam quod rogas, curem ut scias quid Pompeius agat: ne ipsum quidem scire puto: nostrum quidem nemo. uidi Lentulum Cos. Formijs X. Cal. Iun. uidi Libonem. plena timoris, & erroris omnia. Ille iter Larinum: ibi enim cohortes, & Lucæriæ, & Theani, reliquæ in Apulia. inde utrum consistere uspiam uelit, an mare transire, nescitur. si manet, uereor ne exercitum firmum habere non possit. sin discedit, quò, aut qua, aut quid nobis agendum sit, nescio. nam istum quidem, cuius φαλαρισμὸν times, omnia terrime facturum puto. nec enim rerum prolatio, nec Senatus, magistratuúmque discessus, nec ærarium clausum tardabit. Sed hæc ut scribis, cito sciemus. interim uelim mihi ignoscas, quòd ad te scribo tam multa toties. acquiesco enim: & tuas uolo elicere literas, maximéque consilium, quid agam, aut quo me pacto geram: dimittámne me penitus in causam (non deterreor periculo, sed disrumpor dolore: támne nullo consilio, aut tam contra meum cõsilium gesta esse omnia?) an cuncter, & terguerser, & ijs me dem, qui tenent, qui potiuntur. αἰδέομαι Τρῶας, nec solum ciuis, sed etiam amici officio reuocor: etsi frangor sæpe miseri-

cordia puerorum. Vt igitur ita perturbato, etsi te eadē solicitant, scribe aliquid, & maxime, si Pompeius Italia cēdit, quid nobis agendum putes. M. quidem Lepidus (nam fuimus unà) eum finem statuit: L. Torquatus eundem. me cum multa, tum etiam lictores impediūt. nihil uidi unquam, quod minus explicari posset. Itaq; à te nihil dum certi exquiro, sed quid uideatur. denique ipsam ἀπορίαν tuam cupio cognoscere. Labienum ab illo discessisse, propemodum constat. si ita factum est, ut ille Romam ueniens magistratum, & Senatum Romæ offenderet: magno usui causæ nostræ fuisset: dā nasse enim sceleris hominem amicum Reip. causa uideretur. quod nunc quoque uidetur, sed minus prodest. non enim habet, cui prosit: eumque arbitror pœnitere: nisi forte id ipsum est falsum, discessisse illum: nos quidem pro certo habebamus. Et uelim (quanquā ut scribis, domesticis te finibus tenes) formam mihi Vrbis exponas, ecquod Pompeij desiderium, ecquæ Cæsaris muidia appareat: etiā quid cenſeas de Terētia, & Tullia: Romæ eas esse, an mecum, an aliquo tuto loco. & hæc, & ſiquid aliud, ad me ſcribas uelim, uel potius ſcriptites. Vale.

CICERO ATTICO S.

DE Vennonianis rebus tibi assentior. Labienum πρωτα iudico: facinus iandiu nullum ciuile præclarius. qui, ut aliud nihil, hoc tamen profecit, dedit illi dolorem: sed etiam ad summam profectum aliquid puto. amo etiam Pisonem: cuius iudicium de genero suspicor usum iri graue. quanquam, genus belli quod sit, uides. ita ciuile est, ut non ex ciuium dissensione, sed ex

unius perditi ciuis audacia natum sit. is autem ualet, exercitum tenet multa spe, & promissis, omnia omniũ concupiunt. huic tradita Vrbs est, nuda præsidio, referta cõpijs. Quid est, quod ab eo non metuas, qui illa templa, & tecta non patriam, sed prædam putet? Quid autem sit acturus, aut quomodo, nescio, sine Senatu, sine magistratu. ne simulare quidẽ potuerit quicquam πολιτικῶς. Nos autem ubi exurgere poterimus? aut quando? quorum dux quàm ἀστρατήγητος, tu quoque animaduertis, cui ne Picena quidem nota fuerint. quàm item sine consilio res stet. ut enim alia omittam decem annorum peccata, quæ conditio non huic fugæ præstitit? Nec uero nunc quid cogitet, scio, ac non desino per literas scisitari. nihil esse timidius constat, nihil perturbatius. Itaque nec præsidium, cuius parandi causa ad Vrbem retentus est, nec locum ac sedem præsidij ullam uideo. spes omnis in duabus inuidiose retentis, penè alienis legionibus. nam delectus adhuc quidem inuitorum est, & à pugnando abhorrentium. Conditionum autem amissum tempus est. quid futurum sit, non uideo. commussum quidem à nobis certè est, siue à nostro duce, ut è portu sine gubernaculis egressi, tempestati nos traderemus. itaque de Ciceronibus nostris dubito quid agam: nam mihi interdum amandandi uidentur in Græciam. De Tullia autem, & Terentia, cum mihi bárbarorum aduentus ad Vrbem proponitur, omnia timeo. cum autem Dolabellæ uenit in mentem, paulum respiro. sed uelim consideres, quid faciendum putes: primum πρὸς τὸ ἀσφαλές. aliter enim mihi de illis, ac de me ipso consulendum est: deinde πρὸς τὰς δόξας, ne reprehendamur,

quòd eas Romæ uelimus esse in communi bonorum fuga. quin etiam tibi, & Peducæo (scripsit enim ad me) quid faciatis, uidendum est. is enim splendor est uestrum, ut eadem postulentur à uobis, quæ ab amplissimis ciuibus. Sed de hoc tu uidebis, quippe cum de ipso, ac de me ista considerare uelim. reliquum est, ut & quid agatur, quoad poteris, explores, scribásque ad me & quid ipse coniectura assequare. quod etiã à te magis expecto. nam acta, omnibus nunciantibus: à te expecto futura. μάντις δ' ἄριστος. Loquacitati ignoscas, quæ & me leuat ad te quidem scribentem, & elicit tuas literas. AEnigma Oppiorum ex Velia planè non intellexi. est enim numero Platonis obscurius. iam intellexi tuum ænigma. Oppios enim de Velia Sanctones dicis in eo æstu, aut die, quo aperto, reliqua patebant, & cum Terentiæ summa congruebant. L. Cæsarem uidi Miturnis ad VIII. Cal. Febr. mane cum absurdissimis mandatis, non hominem, sed scopas solutas: ut id ipsum mihi ille uideatur irridendi causa fecisse, qui tantis de rebus huic mandata dederit: nisi forte non dedit, & hic sermone aliquo arrepto pro mandatis abusus est. Labienus, uir mea sententia magnus, Theanum uenit ad IX. Cal. Febr. ibi Pompeium, Consulésque conuenit. qui sermo fuerit, & quid actum sit, scribam ad te, cum certum sciam. Pompeius ab Theano Larinum uersus profectus est ad VIII. Calend. eo die mansit Venafri. Aliquantum animi uidetur nobis attulisse Labienus. sed ego nondum habeo, quid ad te ex his locis scribam: ista magis expecto, quid illinc afferatur, quo pacto de Labieno ferat, quid agat Domitius in Marsis, Tigniì Thermus, P. Actius Cinguli,

quæ sit populi urbani uoluntas, quæ tua coniectura de rebus futuris. Hæc uelim crebro, & quid tibi de mulieribus nostris placeat, & quid acturus ipse sis, scribas. Si scriberem ipse, longior epistola fuisset, sed dictaui propter lippitudinem. Vale.

CICERO ATTICO S.

AD VI. Cal. Febr. Capuam Calibus proficiscens, cum leuiter lippirem, has literas dedi. L. Cæsar mandata Cæsaris detulit ad Pompeium ad VIII. Cal. cum is esset cum Consulibus Theani. probata conditio est, sed ita, ut ille de ijs oppidis, quæ extra suam prouinciam occupauisset, præsidia deduceret. id si fecisset, responsum est, ad Vrbem nos redituros esse, & rem per Senatum confecturos. spero etiam in præsentia pacem nos habere: nam & illum furoris, & hunc nostrum copiarum suppœnitet. Me Pompeius Capuam uenire uoluit, & adiuuare delectum. in quo parum prolixe respondent Campani coloni. Gladiatores Cæsaris, qui Capuæ sunt, de quibus ante ad te falsum ex Torquati literis scripseram: sanè commode Pompeius distribuit binos singulis patribus familiarum. secutorum in ludo LXX. fuerunt. eruptionem facturi fuisse dicebantur. sanè multum in eo Reip. prouisum est. De mulieribus nostris, in quibus est tua soror, quæso uideas ut satis honestum nobis sit, eas Romæ esse, cum cæteræ ullam dignitate discesserint. hoc scripsi ad eas, & ad te ipsum antea. uelim eas cohortere ut exeant, præsertim cum ea præsidia in ora maritima habeamus, cui ego præsum, ut in his pro re nata non incommode possint esse. nam siquid offendimus in genero nostro, quod

quidem ego præstare non debeo, id fit maius, quòd mulieres nostræ præter cæteras Romæ remanserunt. Tu ipse cum Sexto, scire uelim quid cogites de exeundo, de totáque re quid existimes. Equidem ad pacem hortari non desino: quæ uel iniusta utilior est, quàm iustissimum bellum. sed hæc ut fors tulerit. Vale.

CICERO ATTICO 8.

VT AB Vrbe discessi nullũ adhuc intermisi diẽ, quin aliquid ad te literarum darem, non quo haberem magnopere quid scriberem, sed ut loquerer tecum absens, quo mihi, cum coràm id nõ liceret, nihil est iucundius.

Capuam cum uenissem ad VI. Cal. pridie, quàm has literas dedi, Consules conueni, multósque nostri ordinis. omnes cupiebant Cæsarem abductis præsidijs stare conditionibus ijs, quas tulisset. uni Fauonio leges ab illo nobis imponi non placebat: sed is auditus in consilio: Cato enim ipse iam seruire, quàm pugnare mauult: sed tamen ait in Senatu se adesse uelle, cum de conditionibus agatur, si Cæsar adductus sit, ut præsidia deducat. ita, quod maxime opus est, in Siciliam ire non curat: quod metuo ne obsit, in Senatu esse uult. Posthumus autem, de quo nominatim Senatus decreuit, ut statim in Siciliam iret, Furfanóq; succederet, negat se iturum sine Catone, & suam in Senatu operam, auctoritatémque magni æstimat. ita res ad Fannium peruenit. is cum imperio in Siciliã præmittitur. In disputationibus nostris summa uarietas est. plerique negant Cæsarem in conditione mansurum: postulatáque hæc ab eo interposita esse, quo minus quod opus esset ad bellũ, à nobis pararetur. ego autem eum puto

facturum, ut præsidia deducat: uicerit enim, si Consul factus erit, & minori scelere uicerit, quàm quo est ingressus. Sed accipienda plaga est. Sumus enim flagitiose imparati cum à militibus, tum à pecunia, quam quidem omnem non modo priuatam, quæ in Vrbe est, sed etiam publicam, quæ in ærario illi reliquimus.

Pompeius ad legiones Actianas est profectus. Labienum secũ habet. Ego tuas opiniones de his rebus expecto. Formias me continuo recipere cogitabam. Vale.

CICERO ATTICO S.

OMNEIS arbitror mihi tuas literas redditas esse, sed primas præpostere, reliquas ordine, quo sunt missæ per Terentiam. De mandatis Cæsaris, aduentúq; Labieni, & responsis Consulum ad Pompeium, scripsi ad te literis ijs, quas ad V. Cal. Capuæ dedi: pluráque prætereà in eandem epistolam conieci. Nũc has expectationes habemus duas: unam, quid Cæsar acturus sit, cum acceperit ea, quæ referenda ad illũ data sunt L. Cæsari: alteram, quid Pompeius agat: qui quidem ad me scribit, paucis diebus se firmum exercitum habiturum: spémq; affert, si in Picenum agrum ipse uenerit, nos Romam redituros esse. Labienum secum habet non dubitantem de imbecillitate Cæsaris copiarum: cuius aduentu Cneus noster multo animi plus habet. nos à Consulibus Capuam uenire iussi sumus ad Non. Febr. Capua profectus sum Formias ad III. Cal. eo die cũ Calibus tuas literas hora ferè nona accepissem, has statim dedi. De Terentia, & Tullia tibi assentior. ad quas scripseràm, ad te ut referrent. si nondũ profectæ sunt, nihil est, quòd se moueant, quoad perspiciamus,

quo loco sit res. Tuæ literæ mihi gratæ, iucundæque sunt. De pueris in Græciam transportandis tum cogitabam, cum fuga ex Italia quæri uidebatur. nos enim Hispaniam peteremus: illis hoc æque commodum non erat. Tu ipse cum Sexto etiam nunc mihi uideris Romæ recte esse posse: etenim minime amici Pompeio nostro esse debetis. nemo enim unquam tantum de urbanis præsidijs detraxit. Vidésne me etiam iocari? Scire iam te oportet, L. Cæsar quæ responsa referat à Pompeio, quas ab eodē ad Cæsarem ferat literas. scriptæ enim, & datæ ita sunt, ut proponerentur in publico. in quo accusaui mecum ipse Pompeium, qui cum scriptor luculentus esset, tantas res, atque eas quæ in omnium manus uenturæ essent, Sestio nostro scribendas dederit. Itaque nihil unquam legi scriptum συσιωδέστερον. perspici tamen ex literis Pompeij potest, nihil Cæsari negari, omniáque, & cumulatè quæ postulet, dari: quæ ille amentissimus fuerit, nisi acceperit, præsertim cum impudentissime postulauerit. quis enim tu es, qui dicas, si in Hispaniam profectus erit, si præsidia dimiserit? tamen cœnditur minus honestè nunc quidem, uiolata iam ab illo Rep. illatóque bello, quàm si olim de ratione habenda impetrasset: tamen uereor ut his ipsis contentus sit. nam cum ista mandata dedisset L. Cæsari, debuit esse paulo quietior, dum responsa referrentur: dicitur autem nunc esse acerrimus. Trebatius quidem scribit, se ab illo IX. Cal. Febr. rogatum esse, ut scriberet ad me, ut essem ad Vrbē: nihil ei me gratius facere posse. Hæc uerbis plurimis. Intellexi ex dierū ratione, ut primum de discessu nostro Cæsar audisset, laborare eū cœpisse, ne omnes abessemus. Itaq; non

dubito, quin ad Pisonem, quin ad seruium scripserit. illud admiror, non ipsum ad me scripsisse, nō per Dolabellam, non per Celium egisse. quanquam non asperor Trebatij literas, à quo me unicè diligi scio. Rescripsi ad Trebatium (nam ad ipsum Cæsarem, qui mihi nihil scripsisset, nolui) quàm illud hoc tempore esset difficile: me tamen in prædijs meis esse, neque délectū ullum, neque negotium suscepisse. In quo quidem manebo, dum spes pacis erit. sin bellum geretur, non dero officio, nec dignitati meæ. pueros ὑπεκθέμενος in Græciam. totam enim Italiam flagraturā bello intelligo: tantum mali excitatum partim ex improbis, partim ex inuidis ciuibus. Sed hæc paucis diebus ex illius ad nostra responsa responsis intelligentur quorsum euasura sint. tum ad te scribam plura, si erit bellum: sin autem etiam inducię, teipsum, ut spero, uidebo.

Ego IIII. Non. Febr. quo die has literas dedi, in Formiano, quò Capua redieram, mulieres expectabā: quibus quidem scripseram, tuis literis admonitus, ut Romæ manerent: sed audio maiorem quendam in Vrbe timorem esse. Capuæ Non. Febr. esse uolebam, quia Consules iusserant. Quicquid huc erit à Pompeio allatum, statim ad te scribam, tuáque de istis rebus literas expectabo. Vale.

CICERO ATTICO S.

IIII. Non. Febr. mulieres nostræ Formias uenerunt, tuáque erga se officia plena tui suauissimi studij attulerunt. eas ego, quoad scirem utrum turpe pacē nobis, an misere bello esset utendum, in Formiano esse uolui, & unà Cicerones. ipse cum fratre Capuam ad

Consules (Nonis enim adesse iussi sumus) III Non. profectus sum, cum has literas dedi. responsa Pompeij grata populo, & probata cõcioni esse dicuntur. ita putaram. quæ quidem si ille repudiarit, iacebit: si acceperit. Vtrũ igitur, inquies, mauis? Responderem, si, quemadmodũ parati essemus, scirem. Cassium, erat hic auditum, expulsum Ancone, eámque Vrbem à nobis teneri: si bellum futurum est, negocium utile. Cæsarem quidem, L. Cæsare cum mandatis de pace misso, tamen aiunt acerrime delectum habere, loca occupare, uinci re præsidijs. O perditum latronem, uix ullo otio compẽsandam hãc Reip. turpitudinem. sed stomachari desinamus, tempori pareamus, cum Põpeio in Hispaniam eamus. hæc opto in malis, quoniã illius alterum Consulatum à Rep. ne data quidem occasione repulimus. sed hæc hactenus. De Dionysio fugit me ad te antea scribere: sed ita constitui, expectare responsa Cæsaris, ut, si ad urbem rediremus, ibi nos expectaret: sin tardius id fieret, tum eum acerseremus. omnino quid ille facere debuerit in nostra illa fuga, quid docto homine, & amico dignum fuerit, cum præsertim rogatus esset. sed hæc non nimis exquiro à Græcas. Tu tamen uidebis, si erit (quod nolim) acersendus, ne molesti simus inuito. Quintus frater laborat, ut tibi, quod debet, ab Egnatio soluat. nec Egnatio uoluntas deest: nec parũ locuples est. sed, cum tale tempus sit, ut Q. Titinnius (multum enim est nobiscum) uiaticum se neget habere, idémque debitoribus suis denuntiarit, ut eodem fœnore uterentur, atque hoc idem etiam L. Ligus fecisse dicatur, nec hoc tempore, aut domi numos Quintus habeat, aut exigere ab Egnatio, aut uersuram

et usquam facere possit: miratur te non habuisse rationem huius publicæ difficultatis. ego autem, etsi illud ψευδησιόδαιον (ita enim putatur) obseruo, μὴ δὲ δίκην, præsertim in te, à quo nihil unquam uidi temere fieri: tamen illius querela mouebar. hoc, quicquid est, te scire uolui.

CICERO ATTICO S.

NIHIL habeo quod ad te scribam. quin etiã eam epistolã, quam erã elucubratus, ad te non dedi: erat enim plena spei bonæ, quòd & concionis uoluntatem audieram, & illum conditionibus usurum putabam, præsertim suis. Ecce tibi IIII Non. Febr. mane accepi literas tuas, Philotimi, Furnij, Curionis ad Furnium, quibus irridentur L. Cæsaris legationem. Planè oppressi uidemur: nec, quid consilij capiam, scio: nec mehercule de me laboro: de pueris quid agam, non habeo. Capuam tamen proficiscebar hæc scribens, quo facilius de Pompeij rebus cognoscerem. Vale.

CICERO ATTICO S.

BREVI LOQVENTEM iam me tempus ipsum facit: pacem enim desperaui. bellũ nostri nullum administrant: cæue enim putes quicquam esse minoris his Consulibus, quorum ego spe audiendi aliquid, & cognoscendi nostri apparatus, maximo imbri Capuam ueni prid. Non. ut eram iussus. Illi autem nondum uenerant, sed erant uenturi, manes, imparati. Cneus autem Lucæriæ dicebatur esse, & adire cohorteis legionũ Actinarum non firmissimarum. At illum ruere nuntiant, & iam, iámque adesse, non ut manum conferat

(quicum enim?) sed ut fugam intercludat. Ego autem in Italia καὶ συναποθανεῖν: nec te id consulo. sin extra, quid ago? ad manendum hiems, lictores, improuidi, & negligentes duces: ad fugam hortatur amicitia Cnei, causa bonorum, turpitudo coniungendi cum tyranno. qui quidem, mœrtum est, Phalarimne an Pisistratum sit imitaturus. Hæc uelim explices, & me iuues consilio: etsi te ipsum istic iam calere puto: sed tamen, quantum poteris. Ego siquid hic hodie noui cognoro, scies: iam enim aderunt Cōsules ad suas Nonas. Tuas quotidie literas expectabo. Ad has autem, cum poteris rescribes. Mulieres, & Ciceronem in Formiano reliqui.

Vale.

CICERO ATTICO 8.

DE malis nostris tu prius audis, quàm nos: istinc enim emanant. boni autem hinc quod expectes, nihil est. Veni Capuam ad Non. Febr. ita ut iusserant Cōsules. eo die Lentulus uenit sero. alter Consul omnino non uenerat VII. Id. eo enim die ego Capua discessi, & mansi Calibus. inde has literas postridie ante lucem dedi. Hæc Capuæ dū fui, cognoui, nihil in Consulibus, nullum usquam dilectum: nec enim cōquisitores φυγοπροσωπᾶν audent, cum ille adsit contra, cum noster dux nusquam sit, nihil agat: nec nomina dant: deficit enim non uoluntas, sed spes. Cneus autem noster (ὀ rem miseram & incredibilem) ut totus iacet. non animus est, non consilium, non copiæ, non diligentia. Mitto illam fugam ab Vrbe turpissimā, timidissimas in oppidis cōciones, ignorationem non solum aduersarij, sed etiam suarum copiarum. Hoc cuiusmodi est? VII. Id. Febr.

Capuam C. Cassius Trib. pl. uenit, attulit mandata ad Consules, ut Romam uenirent, pecuniam de sanctiore ærario auferrent. statim exirent Vrbe relicta. Redeãt. quo præsidio? Demde exeant. quis sinat? Consul ei rescripsit, ut prius ipse in Picenum. at illud totum erat amissum: sciebat nemo, præter me ex literis Dolabellæ. mihi dubiũ non erat, quum ille iam, iámque foret in Apulia, Cneus noster in naui. ego quid agam? σύμμα magnum, neque mehercule mihi quidem ullum, nisi omnia essent acta turpissime. Neque ego ullius cõsilij particeps: sed tamen quod me deceat. ipse me Cæsar ad pacem hortatur: sed antiquiores literæ, quàm ruere cœpit. Dolabella, Celius, me illi ualde satisfacere. mira me ἀπορία torquet: iuua me consilio, si potes: & tamen ista, quantum potes, prouide. nihil habeo tanta rerum perturbatione, quod scribam: tuas literas expecto. Vale.

CICERO ATTICO S.

PEDEM in Italia uideo nullum esse, qui non in istius potestate sit. De Pompeio scio nihil: eúmque, nisi in nauim se contulerit, exceptum iri puto. ò ceeritatem incredibilem: huius autem nostri. sed non possum sine dolore accusare eum, de quo angor, & crucior. Tu cædem non sine causa times: non quo minus quicquam Cæsari expediat ad diuturnitatem uictoriæ & dominationis: sed uideo, quorum arbitrio sit acturus. recte sit. cænseo cedendũ de oppidis his. ego consilij. quod optimum factu uidebitur, facies. cum Philotimo loquere, atque adeo Terentiã habebis Idibus. ego quid agã? quà aut terra, aut mari persequar eum, qui ubi sit,

Sic lib. seq. epla ad Pompeium (um ad te.

161

neſcio? etſi terra quidem, qui poſſum? mari quo? tradam igitur iſti me? fac poſſe tuto: multi enim hortãtur: num etiam honeſtè? nullo modo quidem. A te petam conſilium, ut ſoleo. explicari res non poteſt. ſed tamen, ſiquid in mentem uenit, uelim ſcribas, & ipſe quid ſis acturus. Vale.

CICERO ATTICO S.

V. Id. Febr. *ueſperi è* Philotimo *literas accepi, Domitium exercitum firmum habere: cohortes ex Picæno, Lentulo & Thermo ducentibus, cum Domitij exercitu coniunctas eſſe: Cæſarem intercludi poſſe, eúmque id timere: bonorũ animos recreatos Romæ, improbos quaſi perculſos. hæc metuo quidem ne ſint inſomnia: ſed tamen* M. Lepidum, L. Torquatum, C. Caſſium Trib. pl. (*ij enim ſunt nobiſcum, id eſt in* Formiano) Philotimi *literæ ad uitam reuocarunt. ego autem illa metuo ne ueriora ſint, nos omnes penè iam captos eſſe,* Pompeium Italia *cedere. quem quidem (ò rem acerbam) perſequi Cæſar dicitur. perſequi Cæſar* Pompeium? *quid? ut interficiat? ò me miſerum: & non omnes noſtra corpora opponimus? in quo tu quoque ingemiſcis. ſed quid faciamus? uicti, oppreſſi, capti planè ſumus. Ego tamen* Philotimi *literis lectis mutaui cõſilium de mulieribus: quas, ut ſcripſerã ad te,* Romam *remittebam: ſed mihi uenit in mentem, multum fore ſermonem, me iudicium iam de cauſa publica feciſſe: qua deſperata, quaſi hũc gradum mei reditus eſſe, quòd mulieres reuertiſſent. De me autem ipſo tibi aſſentior, ne me dem imerte, & periculoſæ fugæ, cum Reip. nihil proſim, nihil* Pompeio, *pro quo emori cum pie poſſum, tum libenter. ma-*

nebo igitur: etsi uiuere. Quod quæris, hic quid agatur: tota Capua, & omnis hic délectus iacet: desperata res est: in fuga omnes sunt, nisi quid eiusmodi fuerit, & ut Pompeius istas Domitij copias cum suis coniungat. sed uidebamur omnia biduo, triduóue sciturí. Cæsaris literarum exemplum tibi misi: rogaras enim. cui nos ualde satisfacere multi ad me scripserũt: quod patior facile, dum, ut adhuc, nihil facia turpiter. Vale.

CICERO ATTICO S.

minus PHILOTIMI literæ me quidẽ non nimis, sed eos, qui in his locis erant, admodum delectarunt. Ecce postridie Cassij literæ Capua à Lucretio familiari eius, Nigrdium à Domitio Capuam uenisse, eum dicere, Vibullium cum paucis militibus è Pæno currere ad Cneũ, misse confestim sequi Cæsarem, Domitium non habere militum uim. Idem scripsit Consules Capua discessisse. non dubito quin Cneus in fuga sit, modo effugiat. à consilio fugiendi, ut tu censes, absum. Vale.

CICERO ATTICO S.

CVM dedissem ad te literas tristiores, & metuo ne ueras, de Lucretij ad Cassium literis Capua missis, Cephalio uenit à uobis: attulit etiam à te literas hilariores, nec tamen firmas, ut soles. Omnia facilius credere possum, quàm quod scribitis, Pompeium exercitum habere. Nemo huc ita affert, omniaq;, quæ nolim. Rem miseram. malas causas semper obtinuit, in optima concidit. Quid dicam, nisi, illud eum scisse: neque enim & & nescisse erat difficile: hoc nescisse: erat enim ars difficilis rectè Remp. regere. sed iam, iámque omnia sciemus, & scri-

bemus ad te ſtatim. Vale.

CICERO ATTICO S.

NON uenit idem uſu mihi quod tu tibi ſcribis, Quoties exorior: Ego enim nunc paulũ exorior, & maxime quidem his literis, quæ Roma afferuntur, de Domitio, de Picentium cohortibus. omnia erant facta hoc biduo lætiora. Itaque fuga, quæ parabatur, repreſſa eſt. Cæſaris interdicta, Si te ſecũdo lumine hic offendero, reſpuuntur. Bona de Domitio, præclara de Afranio fama eſt. Quòd me amiciſſime admones ut me integrũ, quoad poſſim, ſeruẽ, gratũ eſt. Quòd addis, ne propenſior ad turpem cauſam uidear: certe uideri poſſum. Ego me ducem in ciuili bello, quoad de pace ageretur, negaui eſſe: non quin rectum eſſet: ſed quia, quod multo rectius fuit, id mihi fraudem tulit. Planè eum, cui noſter alterum Conſulatum deferret, & triumphum, at quibus uerbis? pro ſuis geſtis ampliſſimis, inimicũ habere nolueram. Ego ſcio & quem metuam, & quam ob rem. ſin erit bellũ, ut uideo fore: partes meæ non deſiderabũtur. De HS X X, Terentia tibi reſcripſit. Dionyſio, dum exiſtimabam uagos nos fore, nolui moleſtus eſſe. tibi autem crebro ad me ſcribenti de eius officio, nihil reſcripſi, quòd diem ex die expectabam, ut ſtatuerem quid eſſet faciẽdum. nunc, ut uideo, pueri certe in Formiano uidẽtur hiematuri: num & ego, neſcio: ſi enim erit bellum, cum Pompeio eſſe conſtitui. Quod habebo certi, faciam ut ſcias. Ego bellum fœdiſſimum futurũ puto, niſi qui (tu ſcis) Parthicus caſus extiterit. Vale.

P.iiij.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T. POMPONIVM ATTICVM LIB. VIII.

CICERO ATTICO S.

CVM ad te literas dedissem, redditæ mihi literæ sunt à Põpeio. cætera de rebus in Picæno gestis, quæ ad te Vibullius scripsisset, de délectu Domitij, quæ sunt nobis nota, nec tamẽ lætа, erant in his literis quam ad me Philotimus scripserat, ipsam tibi epistolã misissem, sed subito fratris puer proficiscebatur: cras igitur mittam. sed in ea Pompeij epistola erat in extremo ipsius manu: Tu cænseo Lucæriam uenias: nusquam eris tutius: Id ego in eam partem accepi, hæc oppida, atque oram maritimam illum pro derelicto habere: nec sum miratus, eum, qui caput ipsum reliquisset, reliquis membris non parcere. ei statim rescripsi, hominémque certum misi de cõmitibus meis, non me quærere, ubi tutissime essem: si me uellet sua, aut Reip. causa Lucæriam uenire, statim esse uenturum: hortatúsque sum, ut oram maritimam retineret, si rem frumentariam sibi ex prouincijs suppeditari uellet. Hæc me frustra scribere uidebam: sed uti in Vrbe retinẽda tunc, sic nunc in Italia non relinquẽda testificabar sententiã meam: sic enim parari uideo, ut Lucriã omnes cõpiæ contrahãtur: & ne is quidem locus stabilis, sed ex eo ipso, si urgeamur, paretur fuga. quo minus mirere, si inuitus in eam cau-

sam descendo, in qua neque pacis, neque victoriæ ratio quæsita sit unquam: semper flagitiosæ, & calamitosæ fugæ. eundum, ut quencunque fors tulerit casum subeã potius cum ijs qui dicuntur esse boni, quàm uidear à bonis dissentire. Etsi propediem uideo bonorum, id est lautorum, & locupletum, Vrbem refertã fore: municipijs uero his relictis, refertissimam. Quo ego in numero essem, si hos lictores molestissimos non haberem: nec me M. Lepidi, L. Volcatij, Ser. Sulpitij comitum pœniteret: quorum nemo nec stultior est, quàm L. Domitius, nec inconstantior, quàm App. Claudius. unus Pompeius me mouet, beneficio, non auctoritate. quam enim ille habeat auctoritatem in hac causa, qui, cum omnes Cæsarem metuebamus, ipse eum diligebat? postquam uero ipse metuere cœpit, putat omnes hostes illi oportere esse. ibimus tamen Lucriam: nec eum fortasse delectabit noster aduentus: dissimulare enim non potero, mihi, quæ adhuc acta sunt, displicere. Ego, si somnum capere possem, tam longis te epistolis non obtunderẽ. tu, si tibi eadẽ causa est, me remunerere sanè uelim. Vale.

CICERO ATTICO S.

MIHI uero omnia grata: & quòd scripsisti ad me quæ audieras: & quòd non credidisti, quæ digna diligentia mea non essent: & quòd monuisti quod sentiebas.

Ego ad Cæsarem unas Capua literas dedi, quibus ad ea rescripsi quæ mecum ille de gladiatoribus suis egerat, breues. sed beneuolẽtiam significantes, non modo sine cõtumelia, sed etiã cum maxima laude Pompeij. id enim illa sententia postulabat, qua illum ad concordiam hortabar. eas siquò ille miserit, in publico proponat

uelim. alteras eodē die dedi, quo has ad te: non potui nō dare, cum & ipse ad me scripsisset, & Balbus: earum exemplū ad te misi, nihil arbitror fore quod reprehendas. siqua erunt, doce me: quomodo enim effugere possum? Nihil, inquies, omnino scripseris. qui magis effugias eos, qui uolent fingere? ueruntamen ita faciā, quoad fieri poterit. Nam quòd me hortaris ad memoriam factorum, dictorum, scriptorum etiam meorum: facis amicè tu quidem, mihique gratissimum: sed mihi uideris aliud tu honestum, méque dignum in hac causa iudicare, atq; ego existimem: mihi enim nihil ulla in gente unquam ab ullo auctore Reip. ac ducè turpius factum esse uidetur, quàm à nostro amico factum est. cuius ego uicem doleo, qui Vrbē reliquit, id est patriā, pro qua, & in qua mori præclarum fuit. ignorare mihi uideris, hæc quanta sit clades: es enim etiā nūc domi tuæ: sed multis perditissimis hominibus esse diutius non potes. Hoc miserius, hoc turpius quicquā? ua gamur egentes cum coniugibus, & liberis. in unius hominis quotannis periculose ægrotantis anima positas omneis nostras spes habemus, non expulsi, sed euocati è patria: quā non seruandā ad reditum nostrū, sed diripiendam, & inflammandam reliquimus. Ita multi nobiscum sunt non in suburbanis, non in hortis, non in ipsa Vrbe: & si nunc sunt, non erunt: nos intereā ne Capuæ quidem, sed Lucriæ, & oram quidem maritimam iam relinquemus. Afranium expectabimus, & Petreium: nam in Labieno parum est dignitatis.

* hic tu in me illud desideras. nihil de me dico: alij

* uiderint. hic quidem quæ est domi uestræ estis, & eritis omnes boni. quis tum se mihi nō ostendit? quis

cunc adest hoc bello? sic enim iam appellandum est. Vibullij res gestæ sunt adhuc maximæ. id ex Pompeij literis cognoscēs: in quibus animaduertito illum locum, ubi erit διαλλᾶ. uidebis, de Cneo nostro ipse Vibullius quid existimet. Quò igitur hæc spectat oratio? ego pro Pompeio libenter emori possum. facio pluris omnium * hominum neminem. sed non ita non meo iudicio spem de salute Reip. significas enim aliquanto secus, quàm solebas: ut etiam, Italia si ille cædat, putes cædendum: quod ego nec Reip. puto esse utile, nec liberis meis: præterea neque rectum, neque honestum. Sed cur? poterísne uidere tyrannum? quasi interfit, audiam, an uideam: aut locupletior mihi sit quærēdus auctor, quàm Socrates: qui cum triginta tyrāni essent, pedem porta nō extulit. Est mihi præterea præcipua causa manēdi, de qua utinam aliquando tecum loquar. Ego XIII Cal. cum eadem lucerna hāc epistolam scripsissem, qua inflammaram tuam, Formijs ad Pompeium, si de pace ageretur, profecturus eram: si de bello, uidero. Vale.

CICERO ATTICO S.

MAXIMIS, & miserrimis rebus perturbatus, cum cōràm tecum mihi potestas deliberandi non esset, uti tamen tuo cōsilio uolui. Deliberatio autem omnis hæc est, si Pompeius Italia cædat (quod eum facturum esse suspicor) quid mihi agendum putes. & quo facilius cōsilium dare possis: quid in utranque partem mihi in mentem ueniat, explicabo breui. Cum merita Pompeij summa erga salutem meam, familiaritásque, quæ mihi cum eo est, tum ipsa Reip. causa me adducit, ut mihi uel cōsilium meum cum illius cōsilio,

uel fortuna coniungenda esse uideatur. accedit illud: si maneo, & illum comitatum optimorum, & clarissimorum ciuium desero, cadendum est in unius potestatem. qui etsi multis rebus significat se nobis esse amicum, & ut esset, à me est (tute scis) propter suspicionẽ huius impẽdentis tempestatis multo ante prouisum: tamen utrunque considerandum est, & quanta eius fides sit habẽda: & si maxime exploratum sit, eum nobis amicum fore, sit ne uir fortis, & boni ciuis esse in ea urbe, in qua cum summis honoribus, imperijsque & usus sit, res maximas gesserit, sacerdotio sit amplissimo præditus, non futurus sit sui iuris, subeundúmque periculum sit cum aliquo fortè dedecore, siquando Pompeius Remp. recuperarit. In hac parte hæc sunt: uide nunc, quæ sint in altera. Nihil actum est à Pompeio nostro sapienter, nihil fortiter: adde etiam, nihil, nisi contra consilium, auctoritatémque meam. omitto illa uetera, quòd istum in Remp. ille aluit, auxit, armauit: ille legibus per uim, & contra auspicia ferendis auctor: ille Galliæ ulterioris adiunctor: ille generille in adoptando P. Clodio Augur: ille restituendi mei, quàm retinendi studiosior: ille prouinciæ propagator: ille absentis in omnibus adiutor: idem etiam tertio Consulatu, postquam esse defensor Reip. cœpit, contendit, ut decem Tribuni pl. ferrent, ut absentis ratio haberetur. quod idem ipse sanxit lege quadam sua, Marcóque Marcello Cos. finienti prouincias Gallias Calen. Martij restitit. Sed ut hæc omittam, quid fœdius, quid perturbatius hoc ab Vrbe discessu, siue potius turpissima fuga? quæ conditio non accipiẽda fuit potius, quàm relinquenda patria? Malæ conditiones erant. fateor:

ſed nunquid hoc peius? At recuperabit Remp. quando? aut quid ad eam ſpem eſt parati? non ager Picenus amiſſus? non patefactum iter ad Vrbem? non pecunia omnis & publica, & priuata aduerſario tradita? denique nulla cauſa, nullæ uires, nulla ſedes, quò concurrant qui Remp. defenſam uelint. Apulia delecta eſt inanissima pars Italiæ, & ab impetu huius belli remotiſſima. fuga, & maritima opportunitas uiſa quæri deſperatione. Inuitè cepi Capuam, non quo munus illud defugerem, ſed ſine cauſa, in qua nullus eſſet ordinum, nullus apertus priuatorum dolor, bonorum autem eſſet aliquis, ſed hebes, ut ſolet, & ut ipſe ſenſiſſem, multitudo, & infimus quiſque propenſus in alteram partem: multi mutationis rerum cupidi. Dixi ipſi, me nihil ſuſcepturum ſine præſidio, & ſine pecunia. Itaque habui nihil omnino negotij quod ab initio uidi, nihil quæri præter fugam. eum ſi nunc ſequor, quonam? cum illo non. ad quem cum eſſem profecturus, cognoui in his locis eſſe Cæſarem, ut tutò Lucriam uenire non poſſem. Infero mari nobis incerto curſu, hieme maxima nauigandum eſt. Age iam, cum fratre, an ſine? cum filio, an quomodo? in utraque enim re ſumma difficultas erit, ſummus animi dolor. qui autē impetus illius erit in nos abſentes, fortunaſque noſtras? acrior, quàm in cæterorum, quòd putabit fortaſſe in nobis uiolandis aliquid ſe habere populare. Age iam, has compedes, faſces inquam hos laureatos eeferre ex Italia quàm moleſtum eſt? qui autem locus erit nobis tutus, ut iam placatis utamur fluctibus, antè quàm ad illum uenerimus? quà autem, aut quò, nihil ſcimus. at ſi reſtitero, & fuerit nobis in hac parte locus: idem fe-

tio
eam./
us/
uit
ſcie

cero, quod in Cinnæ dominatione Philippus, quod L. Flaccus, quod Q. Mutius, quoquomodo ea res huic quidem cecidit, qui tamen ita dicere solebat, se id fore uidere, quod factum est: sed hoc malle, quàm armatum ad patriæ mœnia accedere. aliter Thrasibulus, & fortasse melius. sed est certa quædam illa Mutij ratio, atque sententia, est illa etiã Philippi: &, cũ sit necesse: seruire tempori: & non amittere tempus, cum sit datum. sed in hoc ipso habent tamen ĩdem fasces molestiam. sit enim nobis amicus, quod incertum est: sed sit, deferet triumphum. non accipere ne periculosum sit, an accipere inuidiosum ad bonos? O rem, inquis difficilem, & inexplicabilem. Atqui explicanda est: qui enim fieri potest? ac ne me existimaris ad manendum esse propensiorem, quòd plura in ea parte uerba fecerim. potest fieri, quod sit in multis quæstionibus, ut res uerbosior hæc fuerit, illa uerior. Quã ob rem ut maxima de re æquo animo deliberanti, ita mihi des cõsilium uelim. nauis, & in Caieta est parata nobis, & Brundusij. Sed ecce nuntij, scribente me hæc ipsa nocte in Caleno, ecce literæ, Cæsarem ad Corfinium, Domitiũ Corfinij cum firmo exercitu, & pugnare cupiente. non puto etiam hoc Cneum nostrum commissurum, ut Domitium relinquat: etsi Brunduſium Scipionem cum cohortibus duabus præmiserat, legionem à Fausto conscriptam, in Siciliam sibi placere à Consule duci, scripserat ad Cõsules. sed turpe Domitiũ erit deserere implorantem eius auxilium. Est quædam spes mihi quidem non magna, sed in his locis firma, Afranium in Pireneo cum Trebonio pugnasse, pulsum Trebonium, etiam Fabium tuum transisse cum cohortibus: summũ

suma

autem, Afranium cum magnis copijs aduẽtare. id si est, in Italia fortasse manebitur. Ego autem, cum esset incertum iter Cæsaris, quòd uel ad Capuam, uel ad Luceriam iturus putabatur: Leptam ad Pompeium misi, & literas: ipse, ne quò inciderem, reuerti Formias. Hæc te scire uolui, scripsique sedatiore animo, quàm proxime scripseram, nullum meum iudicium interponens, sed exquirens tuum. Vale. 81

CICERO ATTICO S.

DIONYSIVS quidem tuus potius, quàm noster, cuius ego cum satis cognossem mores, tuo tamen potius stabam iudicio, quàm meo, ne tuum quidem testimonium, quod ei sæpe apud me dederas, ueritus, superbum se præbuit in fortuna, quam putauit nostram fore: cuius fortunæ nos, quantum humano consilio effici poterit, motum ratione quadam gubernabimus. cui qui noster honos, quod obsequium, quæ etiam ad cæteros contempti cuiusdam hominis commendatio defuit? ut meum iudicium reprehẽdi à Quinto fratre, uulgóque ab omnibus mallem, quàm illum non efferre laudibus, Cicerónesque nostros meo potius labore subdoceri, quàm me alium ijs magistrũ quærere. Ad quẽ ego quas literas Dij immortales miseram? quantum honoris significantes? quantum amoris? Dicæarchum mehercule, aut Aristoxenum diceres accersi, non unum omnium loquacissimum, & minime aptum ad docendum. sed est memoria bona. me dicet esse meliore. quibus literis ita respondit, ut ego nemini, cuius causam non recipere. semper enim, si potero, si ante suscepta causa non impediar. nunquam reo cuiquam tam humili, tam

sordido, tam nocenti, tam alieno tam præcise negauit, quàm hic mihi: planè sine ulla exceptione præcidit. nihil cognoui ingratius. in quo utio nihil mali non inest: sed de hoc nimis multa. Ego nauem paraui: tuas literas tamen expecto, ut sciam quid respondeant consultationi meæ. Sulmone C. Attium Pelignum aperuisse Antonio portas, cum essent cohortes quinque: Q. Lucretium inde effugisse scis: Cneum ire Brunduſiũ desertum. confecta res est. Vale.

CICERO ATTICOS.

CVM ante lucem VIII Calen. ad te literas dedissem, uesperi ad nos eodem die uenit ipse Dionysius auctoritate tua permotus, ut suspicor. quid enim putem aliud? etsi solet eum, cum aliquid furiose fecit, pœnitere. nunquam autem certior fuit, quàm in hoc negotio: nam quod ad te non scripseram, postea audiui, à tertio miliario tum eum isse * πολλὰ μάτην ΚΑΕΡΕCCINECHE ῥᾳθυμῶν δῆτα. multa inquam mala cum dixisset, suo capiti (ut aiunt) sed meam mansuetudinem. Conieceram in fasciculum unà cum tua uenietem ad illum epistolam: hãc ad me referri uolo, nec ullam ob aliam causam Pollicem seruum à pedibus meum Romam misi. eo autem ad te scripsi, ut si tibi forte reddita esset, mihi curares referendam, ne in illius manus perueniret. Noui siquid esset, scripsissem. pẽdeo animi expectatione Corfinienſi, in qua de salute Reip. decernitur. Tu fasciculum, qui est M. Curio inscriptus, uelim cures ad eum perferendum: Tironémque Curio commendes, ut ei, ut petij, siquid opus erit, in sumptum eroget. Vale.

CICERO ATTICO S.

OBSIGNATA iam epistola, quam de nocte daturus eram, sicut dedi (nã eam uesperi scripserã) C. Sosius Præt. in Formianum uenit ad M. Lepidum uicinũ nostrum, cuius Quæstor fuit: Pompeij literarum ad Consulem exemplum attulit. Literæ mihi à L. Domitio ad VIII Cal. Martij allatæ sunt, earũ exemplũ infra scripsi. nunc, ut ego non sciebam sua sponte intelligere, scio quanti Reip. interfuit omnes copias in unum locum primo quoque tempore conuenire. sed tu, si tibi uidebitur, dabis operam, quamprimum ad nos ueniας. præsidij Capuæ, quãtum constitueris esse satis, relinquas. Vale. Deinde supposuit exemplum epistolæ Domitij, quod ego ad te pridie miseram. Dij immortales, qui me horror perfudit. quàm sum solicitus, quidnã futurum sit. hoc tamen spero, magnum nomen imperatoris fore, magnum in aduentu terrorem, spero etiam, quoniam adhuc nihil nobis obfuit, nihil mutasse, nec tegentia hoc, quod cum fortiter, & diligenter, tum etiam mehercule: modo enim audiui quartanam à te discessisse. moriar, si magis gauderẽ, si id mihi accidisset. Piliæ dic, non esse æquum, eam diutius habere, nec id esse uestræ concordiæ. Tironem nostrum ab altera relictum audio. Sed eum uideo in sumptum ab alijs mutuatum. ego autem Curium nostrum, siquid opus esset, rogaram. malo Tironis uerecundiam in culpa esse, quàm illiberalitatem Curij. Vale.

CICERO ATTICO S.

VNVM etiam restat amico nostro ad omne decus, ut

Domitio non subueniat. at nemo dubitat quin subsidio uenturus sit: ego non puto. deseret igitur talem ciuem, eos, quos una scis esse, cum habeat præsertim & ip se cohortes XXX? nisi me omnia fallunt, deseret. incredibiliter pertimuit. nihil spectat, nisi fugam: au tu (uideo enim quid sentias) me comitem putas debere esse. Ego uero quem fugiam habeo: quem sequar, non habeo: quod enim tu meum laudas, & memorandum dicis, malle quòd dixerim me cum Pompeio uinci, quàm cum istis uincere? ego uero malo, sed cum illo Pompeio, qui tum erat, aut qui mihi esse uidebatur: cum hoc uero, qui ante fugit, quàm scit aut quem fugiat, aut quò, qui nostra tradidit, qui patriam reliquit, Italiam relinquit: si malui, contigit, uictus sum. quod superest, nec ista uidere possum, quæ nunquam timui ne uiderem: nec mehercule istum, propter quem mihi non modo meis, sed memetipso carendum est. Ad Philotimum scripsi de uiatico, siue à Moneta, nemo enim soluit: siue ab Oppijs tuis contubernalibus. cætera apposita tibi mandabo. Vale.

CICERO ATTICO S.

O REM turpem, & ea re miseram: sic enim sentio, id demum, aut potius id solum esse miserum, quod turpe sit. aluerat Cæsarem: eundem repente timere cœperat: conditionem pacis nullam probarat: nihil ad bellum pararat: Vrbem reliquerat: Picenum amiserat culpa: in Apuliam se compegerat: ibat in Græciam: omnes nos ἀπροσφωνήτους, expertes sui tanti, tam inusitati consilij relinquebat. Ecce subito literæ Domitij ad illũ, ipsius ad Cõsules. fulsisse mihi uidebatur τὸ κακὸν

ad oculos eius, & exclamasse ille uir, qui esse debuit,
& πρὸς ταῦτ' ὅτι χρὴ, καὶ παλαμάσθων, καὶ πάνυ ἰσ' ἐμοὶ, μὴ
τέκταινέσθων. τὸ γὰρ οὖ, μετ' ἐμοῦ. at ille tibi, πολλὰ χαί-
ρειν τῷ καλῷ dicens, pergit Brundusium. Domitium au-
tem aiunt re audita, & eos qui una essent, se tradidis-
se. O rem lugubrem. itaque intercludor dolore, quo ad
& te plura non scribam. tuas literas expecto. Vale.

CICERO ATTICO S.

EPISTOLAM meam quòd peruulgatam scribis es-
se, non fero moleste: quinetiam ipse multis dedi descri-
bendam: ea enim & acciderunt iam, & impendent,
ut testatum esse uelim, de pace quid senserim. cum au
tem ad eam hortarer, cum præsertim hominem, non
uidebar ullo modo facilius moturus, quàm si id, ad
quod eum hortarer, conuenire eius sapientiæ dicerem.
eam si admirabilem dixi, cum eum ad salutem patriæ
hortabar, non sum ueritus, ne uiderer assentari, ani ta-
li in re libenter me ad pedes abiecissem. quà autem
est, Aliquid impertias temporis: nō est de pace, sed
de meipso, & de meo officio ut aliquid cogitet. nā quod
testificor, me expertem belli fuisse, etsi id re perspe-
ctum est, tamen eo scripsi, quo in suadendo plus au-
ctoritatis haberem. eodémque pertinet, quòd causam e-
ius probo. Sed quid hæc nunc? utinam aliquid prose-
ctum esset: nec ego istas literas in concione recitari ue-
lim: siquidē ille ipse ad eundē scribens in publico pro-
& posuit epistolā illam in qua est, Pro tuis rebus gestis
amplissimus: amplioribúsne, quàm suis, quàm Afri-
cani? ita tempus ferebat: siquidem etiam nos duo ta-
les ad quintum miliarium. quid nunc ipsum unde

se recipienti, quid agenti, quid acturo? quanto autem ferocius ille causæ suæ confidet, cum uos, cum uestri similes non modo frequentes, sed læto uultu gratulantes uiderit? num igitur peccamus? minime uos quidem. sed tamen signa conturbantur, quibus uoluntas à simulatione distingui posset. quæ uero S.C. uideo? sed apertius, quàm proposueram. Ego Arpini uolo esse prid. Cal. deinde circum ullulas nostras errare, quas uisurum me postea desperaui. Εὐγενῆ tua consilia, & tamen pro temporibus nō incauta, mihi ualde probantur. Lepido quidem (nam ferè συνδιημερίνομεν, quod gratissimum illi est) nunquam placuit ex Italia exire, Tullo multo minus; crebro enim illius literæ ab illis ad nos commeant: sed me illorum sententiæ minus mouebant. minus multa dederant illi Reip. pignora. tua mehercule auctoritas uehementer mouet: affert enim & reliqui temporis recuperandi rationem, & præsentis tuendi. Sed obsecro te, quid hoc miserius, quàm alterum plausus in fœdissima causa quærere: alterum offensiones in optima? alterum existimari conseruatorem inimicorum, alterum desertorem amicorum? & mehercule quanuis amemus Cneum nostrum, ut & facimus, & debemus: tamen hoc, quòd talibus uiris non subuenit, laudare non possum: nam siue timuit, quid ignauius? siue, ut quidam putant, meliorem suam causam illorum cæde fore putauit, quid iniustius? sed hæc omittamus: augemus enim dolorem retractando. VI. Cal. uesperi Balbus minor ad me uenit, occulta uia currens ad Lentulum Cos. missu Cæsaris, cum literis, cum mandatis, cum promissione prouinciæ, Romam ut redeat, cui persuaderi posse non ar

bitror, nisi erit conuentus. idem aiebat, nihil malle Cæsarem, quàm ut Pompeium assequeretur. id credo: ut rediret in gratiam, id non credo: & metuo ne omnis hæc clementia ad unam illam crudelitatem colligatur. Balbus quidem maior ad me scribit, nihil malle Cæsarem, quàm principe Pompeio sine metu uiuere. tu puto hæc credis? Sed cum hæc scribebam V. Cal. Pompeius iam Brundusium poterat uenisse. expeditus enim antecesserat legiones. Lucceia. sed hoc τέρας horribili uigilantia, celeritate, diligentia est. Planè, quid futurum sit, nescio. Vale.

CICERO ATTICO S.

DIONYSIVS cum ad me præter opinionem meam uenisset, locutus sum cum eo liberalissime: tempora exposui: rogaui ut diceret quid haberet in animo: me nihil ab ipso inuito contendere. respondit, se, quod in nummis haberet, nescire quo loci esset: alios non soluere: aliorum diem nondum esse. dixit etiam alia quædam de seruulis suis, quare nobiscum esse non posset. morem gessi: dimisi à me, ut magistrum Ciceronum, non libenter: ut hominem ingratum, non inuitus. Volui te scire, quid ego de eius facto iudicarem. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVOD me magno animi motu perturbatum putas, sum equidem. sed non tam magno, quàm tibi fortasse uideor: leuatur enim omnis cura, cum aut consistit consilium, aut cogitando nihil explicatur. lamentari autē licet. illud tamē totos dies. sed uereor ne, nihil cum proficiam, etiam dedecori sim studijs, ac literis nostris. Con-

Sumo igitur omne tempus considerãs quanta uis sit illius uiri, quem nostris libris satis diligenter (ut tibi quidem uidemur) expressimus. tenésne igitur, moderatorẽ illum Reip. quò referre uelimus omnia? nam sic quin
to, ut opinor, in libro loquitur Scipio. VT enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori uictoria, sic huic moderatori Reip. beata ciuium uita proposita est, ut opibus firma, cõpijs locuples, gloria ampla, uirtute honesta sit: huius enim operis maximi inter homines, atque optimi illum esse effectorem uolo. Hoc Cneus noster cum antea nunquam, tum in hac causa minime cogitauit. dominatio quæsita ab utroq; est: non id actum beata, & honesta ciuitas ut esset. nec uero illa Vrbem reliquit, quòd eam tueri non posset: nec Italiam, quòd ea pelleretur: sed hoc à primo cogitauit, omneis terras, omnia maria mouere, Reges barbaros incitare, gentes feras armatas in Italiam adducere, exercitus cõficere maximos. Genus illud Syllani regni iam pridem appetitur, multis, qui unà sunt, cupientibus. Ancenses, nihil inter eos conuenire? nullam pactionem fieri potuisse? hodie potest. sed neutri συνοπὸς est ille, ut nos beati simus. uterque regnare uult. Hæc à te inuitatus breuiter exposui: uoluisti enim me, quid de his malis sentirem, ostendere. προθεσπίζω igitur noster Atticus, non ariolans, ut illa, cui nemo credidit, sed coniectura prospiciens, Iámque mari magno. non multo inquã tumultu secus possum uaticinari: tanta malorũ impendet ἰλιάς. Atque hoc nostra grauior est causa, qui domi sumus, quàm illorum, unà qui transierunt: quòd illi quidem alterum metuunt, nos utrunque. Cur igitur, inquis, remansimus? Vel tibi paruimus, uel non occurrimus, uel

de scopo sentit
perfec.
maxime
Versus est Ennij ex uetere poeta
mauult mutũ

hoc fuit rectius. conculcari inquam miseram Italiã ui-
debis proxima æstate ab utriusque, mancipijs ex omni
genere collectis. nec tam proscriptio pertimescẽda, quæ
Lucceriæ multis sermonibus denuntiata est, quàm uni-
uersæ interitus: tantas in confligendo utriusque uires
uideo futuras. Habes coniecturam meam. tu autem con
solationis fortasse aliquid expectasti: nihil inuenio: ni-
hil fieri potest miserius, nihil perditius, nihil fœdius.

Quòd quæris, quid Cæsar ad me scripserit: quod
sæpe: gratissimum sibi esse, quòd quierim: orátque, in
eo ut perseuerem. Balbus minor hæc eadem mandata.
iter autem eius erat ad Lentulum Cos. cum literis Cæ
saris, præmiorúmque promissis, si Romam reuertisset.
uerum, cum habeo rationem dierum, ante puto trans-
missurum, quàm potuerit conueniri. Epistolarum
Pompeij duarũ, quas ad me misit, negligentiã, meám-
que in rescribendo diligentiam uolui tibi notam esse.
earum exempla ad te misi. Cæsaris hic per Apu-
liam ad Brunduſium cursus quid efficiat, expecto: u-
tinam aliquid simile Parthicis rebus. simul aliquid au
diero, scribam ad te. tu ad me uelim bonorum sermo-
nes. Romæ frequentes esse dicuntur. scio equidem te in
publicum non prodire: sed tamen, audire te multa, ne-
cesse est. Memini tibi librũ afferri, à Demetrio Ma-
gnete ad te missum, περὶ ὁμοιοτήτων. eũ mihi uelim mit-
tas. uides quam causam meditor. Vale.

Cn. Pompeius Procos. M. Ciceroni Imp. S.

Q. Fabius ad me uenit ad IIII. Id. Feb. is nũtiat L. Do
mitiũ cum suis cohortibus XI, & cohortibus XIIII
quas Vibullius adduxit, ad me iter habere: habuisse in

animo proficiſci Corfinio, & ad V. Id. Feb. C. Hirrum cum V. cohortibus ſubſequi. Cenſeo ad nos Lucæriam uenias: nam te hic tutiſſime puto fore. Vale.

Ciæro Cn. Pompeio Procos. S. magno

A D XV. Cal. Martij Formijs accepi tuas literas, ex quibus ea, quæ in agro Picæno geſta erant, cognoui commodiora eſſe multo, quàm ut erat nobis nuntiatum: Vi bulli'que uirtutem, induſtriámque libenter agnoui.

Nos adhuc in ea ora, ubi præpoſiti ſumus, ita fuimus, ut nauem paratam haberemus: ea enim audiebamus, & ea uerebamur, ut quodcunque tu conſiliũ præcepiſſes, id nobis perſequendum putaremus. Nunc, quoniam auctoritate, & conſilio tuo in ſpe firmiore ſumus, ſi teneri poſſe putas Tarracinam, & oram maritimam, in ea manebo: etſi præſidia in oppidis nulla ſũt: nemo enim noſtri ordinis in his locis eſt, præter M. Eppium, quem ego Minturnis eſſe uolui, uigilantem hominem, & induſtrium. L. Torquatum, uirum fortem, & cum auctoritate, Formijs non habemus: ad te profectum arbitramur. ego omnino, ut proxime tibi placuerat, Capuam ueni eo ipſo die, quo tu Theano Sidicino es profectus: uolueras enim me cum. M. Conſidio Prætor. illa negotia tueri. Cum eò ueniſſem, uidi T. Ampium delectum habere diligentiſſime, ab eo accipere Libonem ſumma item diligentia, & in illa colonia auctoritate. Fui Capuæ, quoad Coss. iterum, ut erat dictum, ab Coss. ueni Capuam ad Non. Febr. cum fuiſſem triduum, recepi me Formias. Nũc quod tuum conſilium, aut quæ ratio belli ſit, ignoro: ſi tenendam hanc oram putas, quæ opportunitatem, & dignitatem ha-

bet, & egregios ciues, &, ut arbitror, teneri potest: opus est esse, qui præsit. Sin omnia in unum locum contrahenda sunt: non dubito quin ad te statim ueniam: quo mihi nihil optatius est: idque teuti, quo die ab Vrbe discessimus, locutus sum. Ego, si cui adhuc uideor segnior fuisse, dum ne tibi uidear, non laboro. & tamen, si, ut uideo, bellum gerendum est, confido me omnibus facile satisfacturũ. M. Tulliũ meũ necessariũ ad te misi, cui tu, si tibi uideretur, ad me literas dares. Vale.

Magnus Cn. Pompeius Procos. M. Ciceroni Imp. S.

TVAS literas libenter legi: recognoui enim tuam pristinam uirtutem etiam in salute communi. Consules ad eum exercitum, quem in Apulia habui, uenerũt. magnopere te hortor pro tuo singulari, perpetuoque studio in Remp. ut te ad nos conferas, ut communi consilio Reip. afflictæ opem, atque auxiliũ feramus. Censeo uia Appia iter facias, & celeriter Brũdusium uenias. Cura ut ualeas.

M. Ciæro Cn. Pompeio Procos. S.

CVM ad te literas misissem, quæ tibi Canusij redditæ sunt, suspicionem nullam habebam, te Reip. causa mare transiturũ, erámque in spe magna, fore, ut in Italia possemus aut cõcordiam cõstituere, qua mihi nihil utilius uidebatur, aut Remp. summa cum dignitate defendere: interim nõdum meis literis ad te perlatis, ex ijs mandatis, quæ Dialio ad Consules dederas, certior tui consilij factus, non expectaui dum mihi à te literæ redderentur, confestimque cum Quinto fratre, & cum liberis nostris iter ad te in Apuliam facere cœpi. Cum

Theanum Sidicinum uenissem, C. Messius familiaris
tuus mihi dixit, aliq́ue complures, Cæsarem iter ha-
bere Capuam, & eo ipso die mansurum esse Eserniæ.
sanè sum commotus: quòd, si ita esset, non modo iter
meum intercluſum, sed me ipsum planè exceptum pu-
tabam. itaque tum Cales proœssi, ut ibi potissimum con
sisterem, dum certum nobis ab Esernia de eo, quod au-
dieram, referretur. At mihi, cum Calibus essem, affertur
literarum tuarum exemplum, quas tu ad Lentulum
Cos. misisses. hæ sic scriptæ erant, literas tibi à L. Do-
mitio ad XIII. Cal. Martij allatas esse, earúmque ex-
emplum subscripseras: magníque interesse Reip. scrip-
seras, omnes copias primo quoque tempore in unum lo-
cum conuenire, & ut, præsidij quod satis esset, Capuæ
relinqueret. His ergo literis lectis, in eadem opinione
fui, qua reliqui omnes, te cum omnibus copijs ad Cor-
finium esse uenturum: quò mihi, cum Cæsar ad oppi-
dum castra haberet, tutum iter esse non arbitrabar.
Cum res in summa expectatione esset, utrunque simul
audimus, & quæ Corfinij acta essent, & te iter Brun-
dusiũ facere cœpisse. Cúmque nec mihi, nec fratri meo
dubiũ esset, quin Brundusium contenderemus, à mul-
tis, qui è Samnio, Apuliáque ueniebant, admoniti su-
mus ut cauereмus ne exciperemur à Cæsare, quòd is in
eadem loca quæ nos petebamus, profectus, cælerius e-
tiam, quàm nos possemus, eò, quò intenderat, uenturus
esset. quod cum ita esset, nec mihi, nec fratri meo, nec
cuiquam amicorum placuit cõmittere, ut temeritas no-
stra non solum nobis, sed etiã Reip. noceret: cum præ-
sertim non dubitaremus quin, si etiam tutum nobis iter
fuisset, te tamen iã consequi non possemus. interim ac-

cæpimus tuas literas, Canusio ad X. Cal. Martij datas, quibus nos hortaris, ut celerius Brundusiũ ueniamus. non quas cum accepissemus ad III. Cal. Martij, non dubitabamus, quin tu iã Brundusium peruenisses: nobisque iter illud omnino intercluſum uidebatur, neque minus nos esse captos, quàm qui Corfinium uenissent: neque enim eos solos arbitrabamur capi, qui in armatorum manus incidissent, sed eos nihilo minus, qui regionibus excluſi, intra præsidia, atque intra arma aliena uenissent. quod cum ita sit, maxime uellẽ primum tecum semper fuisse: quod quidem tibi ostenderam, cum à me Capuam reijciebã: quod feci non utendi oneris causa, sed quòd uidebã teneri illam urbem sine exercitu non posse: accidere autem mihi nolebam, quod doleo uiris fortissimis accidisse. quoniam autem, tecum ut essem, quando non contigit: utinam tui consilij certior factus essem: nam suspicione assequi non potui, quòd omnia prius arbitratus sum fore, quàm ut hæc Reip. causa in Italia non posset duce te consistere. Neque uero nunc consiliũ tuum reprehendo, sed fortunam Reip. lugeo. nec, si ego, quid tu sis secutus, non perspicio, iccirco minus existimo, te nihil, nisi summa ratione, fecisse. Mea quæ semper fuerit sententia, primum de pace uel iniqua conditione retinenda, deinde de Vrbe (nam de Italia quidem nihil mihi unquam ostenderas) meminisse te arbitror. sed mihi non sumo, ut meum consilium ualere debuerit: secutus sum tuũ, neque id Reip. causa, de qua desperaui, quæ & nunc afflicta est, nec excitari sine ciuili pernicioſissimo bello potest: sed te quærebã: tecum esse cupiebam: neque eius rei facultatem, siqua erit, prætermittam. Ego me in hac omni causa facile intelligebam

pugnandi cupidis hominibus non satisfacere: primum enim præ me tuli, me nihil malle, quàm pacem: non quin eadem timerem, quæ illi: sed ea bello ciuili leuiora ducebam. Inde susceptο bello, cum pacis conditiones ad te afferri, à téque ad ea honorificè, & large respõderi uiderem: duxi meam rationem, quam tibi facile me probaturum pro tuo in me beneficio arbitrabar. Memineră me esse unum, qui pro meis maximis in Rẽp. meritis supplicia miserrima, & crudelissima pertulissem: me esse unum, qui si offendissem eius animum, cui tum, cum iam in armis essemus, Consulatus tamen alter & triumphus amplissimus deferebatur, subïcerer eisdem prelïs: ut mea persona semper ad improborũ ciuiũ impetus aliquid uideretur habere populare. Atque hæc nõ ego prius sum suspicatus, quàm mihi palã denuntiata sunt: neque ea tam pertimui, si subeunda essent, quàm declinanda putaui, si honestè uitare possem. Quoniã breuem illius temporis, dum in spe pax fuit, rationem nostrã uides: reliqui facultatem res ademit. Iis autem, quibus non satisfacio, facile respondeo: neque enim ego amicior C. Cæsari unquam fui, quàm illi: neque illi amiciores Reip. quàm ego. Hoc inter me, & illos interest, quòd cum & illi ciues optimi sint, & ego ab ista laude non absim, ego conditionibus, quòd idem te intellexeram uelle, illi armis disceptari maluerũt. quæ quoniam ratio uicit, perficiam profecto, ut neque Resp. ciuis à me animum, neque tu amici desideres. Vale.

CICERO ATTICO S.

MIHI MOLESTIOR lippitudo erat etiã, quàm

ante fuerat: dictare tamen hanc epistolã malui, quàm Gallo Fabio amantissimo utriusque nostrum nihil ad te literarũ dare: nam pridie quidem, quoquomodo potueram, scripseram ipse eas literas, quarum uaticinationem falsam esse cupio. Huius autem epistolæ non solum ea causa est, ut nequis à me dies intermittatur quin dem ad te literas, sed etiam hæc iustior, ut à te impetrarẽ, ut sumeres aliquid temporis, quo quia tibi perexiguo oppus est, explicari mihi tuum cõsilium planè uolo, ut penitus intelligam. Omnia sunt integra nobis. nihil prætermissum est, quod non habeat sapientem excusationem, non modo probabilẽ: nam certe neque tum peccaui, cum imparatam Capuam, non solum ignauiæ delectus, sed etiam perfidiæ suspicionem fugiens, accipere noluì: neque, cum post conditiones pacis per L. Cæsarem, & Fabium allatas caui ne animum eius offenderẽ, cui Pompeius iam armatus armato Cõsulatum, triumphúmque deferret. Nec uero hæc extrema quisquam potest iure reprehẽdere, quòd mare non trãsierim: id enim, etsi erat deliberationis, tamẽ obire non potui: neque enim suspicari debui, præsertim cum ex ipsius Põpeij literis, idem quod uideo te existimasse, non dubitarim, quin is Domitio subuenturus esset. Et planè, quid rectũ, & quid faciẽdum mihi esset, diutius cogitare malui. Primum igitur, hæc qualia tibi esse uideantur, etsi sæpius significata sunt à te, tamen accuratius mihi perscribas uelim: deinde aliquid etiam in posterum prospicias, fingásque quem me esse deceat, & ubi me plurimum prodesse Reip. sentias: ecquæ pacifica persona desideretur: an in bellatore sint omnia. Atque ego, qui omnia officio metior, recordor tamẽ tua

quo modo

a tempore

Fabatum

dentur, & si

& si

et quo

consilia: quibus si paruissem, tristitiam illorum temporum non subiissem. memini quid mihi tum suaseris per Theophanem, per Culeonem: idq; sæpe ingemiscens sum recordatus. quare nũc saltem ad illos calculos reuertamur, quos tum abiecimus, ut non solum glorioſis consilijs utamur, sed etiam paulo salubribus. sed nihil præscribo. accurate uelim perscribas tuam ad me sententiam. uolo etiam exquiras quam diligentissime poteris (habebis autem per quos possis) quid Lentulus noster, quid Domitius agat, quid acturus sit: quemadmodum nunc se gerant, num quem accusent, num cui succenseant: quid dico, num cui? num Pompeio. omnino culpam omnem Pompeius in Domitium conferт: quod ipsius literis cognosci potest: quarum exemplum ad te mitto. Hæc igitur uidebis: & quod ad te ante scripsi, Demetrij Magnetis librum, quem ad te misit, de concordia, uelim mihi mittas. Vale.

A. proc. s. D. Cn. Magnus M. Marcello, L. Lentulo Coss.

EGO, quòd existimabam dispersos nos neque Reip. utiles, neque nobis præsidio esse posse, iccirco ad L. Domitium literas misi, primum uti ipse cum omni copia ad nos ueniret: si de se dubitaret ut cohortes XIX, quæ ex Piceno ad me iter habebãt, ad nos mitteret. Quod ueritus sum, factum est, ut Domitius implicaretur, neque ipse satis firmus esset ad castra facienda, quòd meas XIX. & suas XII cohortes tribus in oppidis distributas haberet (nam partim Albæ, partim Sulmone collocauit) neque, si uellet, expedire posset. Nunc scitote me esse in summa solicitudine: nam & tot, & tales uiros pericu-

lo obſidionis liberare cupio: neque ſubſidio ire poſſum, quòd his duabus legionibus non puto eſſe committendum, ut illuc ducantur. ex quibus tamen non amplius XIIII cohortes contrahere potui, quas Brunduſium miſi: neque Canuſium ſine præſidio, dum abeſſem, putaui eſſe dimittendum. Dellio mandaram, quòd maiores copias ſperabam nos habituros, ut, ſi uobis uideretur, alteruter ueſtrum ad me ueniret, alter in Siciliam cū ea copia, quam Capuæ, & circum Capuam cōparaſtis, & cum ijs militibus, quos Fauſtus legit, proficiſceretur, Domitius cum XII ſuis cohortibus eodem adiungeretur, reliquæ copiæ omnes Brunduſium cogerentur, & inde nauibus Dyrrhachium tranſportarentur. Nunc, cum hoc tempore nihilo magis ego, quàm uos, ſubſidio Domitio ire poſſim, ſeu per montes explicare, non eſt nobis committendum, ut has XIIII. cohorteis, quas dubio animo habeo, hoſtis accedere, aut in itinere me cōſequi poſſit. Quam ob rem placitum eſt mihi etiam uideo C. Marcello, & cæteris noſtri ordinis, qui hic ſunt, ut Brunduſium ducerem hanc copiam, quam ego habeo mecum. Vos hortor, ut quodcunque militum contrahere poteritis, contrahatis, & eodē ueniatis quam primum. arma, quæ ad me miſſuri eratis, ijs cenſeo armetis milites, quos uobiſcū habetis. quæ arma ſuperabunt, ea ſi Brunduſium iumentis deportaritis, uehementer Reip. profueritis. de hac re uellem noſtros ærtiores faceretis. Ego ad P. Lupum, & C. Coponiū Prætt. miſi, ut ſe nobis coniungerent, &, militum quod haberent, ad nos deducerent. Valete.

magno Cn. Pompeius Procos. L. Domitio Procos. S.

MIROR te ad me nihil scribere, & potius ab alijs, quàm à te de Rep. certiorẽ me fieri. Nos disiecta manu pares aduersarijs esse non possumus. Cõtractis nostris copijs, spero nos & Reip. & communi saluti prodesse posse. Quamobrem cum constituisses, ut Vibullius mihi scripserat, ad V. Id. Febr. Corfinio proficisci cum exercitu, & ad me uenire, miror quid causæ fuerit quare consiliũ mutaris: nam illa causa, quam mihi Vibullius scribit, leuis est, te propterea moratũ esse, quòd audieris Cæsarem Firmo progressum in castrũ Truentinum uenisse: quanto enim magis appropinquare aduersarius cœpit, eo tibi celerius agendum erat, ut te mecum coniungeres, prius quàm Cæsar aut tuum iter impedire, aut me abs te excludere posset. Quã ob rem etiam te rogo, & hortor, id quod non desiuti superioribus literis à te petere, ut primo quoque die Lucæriam aduenires ante quàm copiæ, quas instituit Cæsar contrahere, in unum locum coactæ nos à nobis distrahãt. Sed, si erunt, qui te impediant, ut illas suas seruent: æquum est me à te impetrare, ut cohortes, quæ ex Picæno, & Camerino uenerunt, quæ fortunas suas reliquerunt, ad me missum facias. Vale.

magnus Cn. Pompeius Procos. L. Domitio Procos. S.

LITERAS abs te M. Calenius ad me attulit ad XIIII. Calendarum Martij: in quibus literis scribis, tibi in animo esse obseruare Cæsarem, & si secundum mare ad me ire cœpisset, confestim in Samnium ad me uẽturum: sin autem ille circum istæc loca com-

moraretur, te ei, si propius accessisset, resistere uelle. te animo magno, & forti istam rem agere existimo: sed diligentius nobis est uidēdum, ne distracti pares esse aduersario non possimus, cum ille magnas cōpias habeat, & maiores breui habiturus sit. non enim pro tua prudentia debes illud solum animaduertere, quot in præsentia cōhortes contra te habeat Cæsar, sed quantas breui tempore equitum, & peditum cōpias contracturus sit. cui rei testimonio sunt literæ, quas Bussenius ad me misit, in quibus scribit, id quod ab alijs quoque mihi scribitur, præsidia Curionem, quæ in Vmbria, & Tuscis erant, contrahere, & ad Cæsarem iter facere. quæ si copiæ in unum locum fuerint coactæ, ut pars exercitus ad Albam mittatur, pars ad te accedat, ut non pugnet, sed locis suis repugnet: hærebis, neque solus cum ista copia tantam multitudinem sustinere poteris, ut frumentatum eas. Quam ob rem te magnopere hortor, ut quamprimum cum omni copia huc uenias. Consules cōstituerunt idem facere. Ego Metuscilio ad te mandata dedi, prouidendum esse, ne duæ legiones sine Picentinis cohortibus in cōspectum Cæsaris committerentur. quam ob rem nolito commoueri, si audieris me regredi, si forte Cæsar ad me ueniet. cauendum enim puto esse, ne implicitus hæream: nam neque castra propter anni tempus, & militum animos facere possum: neque ex omnibus oppidis contrahere copias expedit, ne receptum amittam. itaque non amplius XIIII cohortes Luceriam coegi. Consules præsidia omnia deducturi sunt, aut in Siciliam ituri. nam aut exercitum firmum habere oportet, quo confidamus perrumpere nos posse: aut regiones eiusmodi obtinere,

omnis illis

Bacbum

bus copijs

ut ne

è quibus repugnemus: id quod neutrum nobis hoc tempore contingit, quòd & magnam partem Italiæ Cæsar occupauit, & nos non habemus exercitum tam amplum, neque tam magnum, quàm ille. itaque nobis prouidendum est, ut summam Reip. rationem habeamus. Etiam, atque etiam te hortor, ut cum omni copia quàprimum ad me uenias. possumus etiã nunc Remp. erigere, si communi consilio negotium administrabimus: si distrahemur, infirmi erimus. mihi hoc constitutum est. His literis scriptis, Sica à te mihi literas attulit, & mandata. Quòd me hortare ut istuc ueniã: id me facere non arbitror posse, quòd non magnopere his legionibus confido. Vale.

Cn. Pompeius L. Domitio S.

LITERAE mihi à te redditæ sunt ad XIII Calen. Mart. in quibus scribis, Cæsarem apud Corfinium castra posuisse. quod putaui, & præmonui, Fit, ut nec in præsentia committere tecum prælium uelit, & omnibus copijs conductis te implicet, ne ad me iter expeditum tibi sit, atque istas copias coniungere optimorum ciuium possis cum his legionibus, de quarum uoluntate dubitamus: quo etiam magis tuis literis sum commotus: neque enim eorũ militum, quos mecum habeo, uoluntati satis confido, ut de omnibus fortunis Reip. dimicem: neque etiam, qui ex dilectibus conscripti sunt à Cõsulibus, conuenerũt. Quare da operam, si ulla ratione etiam nunc efficere potes, ut te explices, huc quàprimum uenias ante, quàm omnes copiæ aduersariorũ conueniant. neque enim æleriter ex dilectibus huc homines * conuenire possunt: & si conuenirent, quantum

ijs committendũ sit, quòd inter se noti sunt, contra uete ranas legiones, non te præterit. Vale.

CICERO ATTICO S.

LIPPITVDINIS meæ signum tibi sit librarij manus, & eadem causa breuitatis. etsi nunc quidem, quod scriberem, nihil erat. Omnis expectatio nostra erat in nuntijs Brundusinis, si nactus hic esset Cneum nostrũ, spes dubia pacis: sin ille ante trãsmisisset, exitiosi belli metus. Sed uidésne in quem hominem inciderit Respũ quàm acutum? quàm uigilantem? quàm paratum? si mehercule neminem occiderit, nec cuiquam quicquam ademerit: ab ijs, qui eum maxime timuerant, maxime diligetur. multum mecũ municipales homines loquũtur, multũ rusticani. nihil prorsus aliud curãt, nisi agros, nisi uillulas, nisi numulos suos. Et uide, quàm conuersa res est. illum, quo antea confidebant, metuunt: hunc amant, quem timebant. Id quantis nostris peccatis, uitijsque euenerit, non possum sine molestia cogitare. quæ autem impendere putarem, scripseram ad te, & iam tuas literas expectabam. Vale.

CICERO ATTICO S.

NON dubito quin tibi odiosæ sint epistolæ quotidianæ, cum præsertim neque noua de re aliqua certiorem te faciam, neque nouam denique iam reperiam scribendi ullam sententiã. sed si dedita opera, cum causa nulla esset, tabellarios ad te cum inanibus epistolis mitterem, facerẽ meptè: euntibus uero, domesticis præsertim, ut nihil ad te dem literarum, facere nõ possum. & simul (crede mihi) requiesco paululum in his miserijs,

cum quasi tecum loquor: cum uero tuas epistolas lego, multo etiam magis. Omnino mœlligo, nullu fuisse tempus post has fugas, & formidines, quod magis debuerit mutum esse à literis, propterea quòd neque Romæ quicquam auditur noui, nec in his locis, quæ à Brundusio absunt propius, quàm tu, biduum, aut triduum. Brunduſij autem omne certamen uertitur huius primi temporis. qua quidem expectatione torqueor. sed omnia antè nos scimus: eodem enim die uideo Cæsarem à Corfinio post meridiem profectũ esse, quo Canusio mane Pompeium. eo modo autem ambulat Cæsar, & ijs diarijs militum celeritatem imitas, ut timeã, ne citius ad Brũdusium, quàm opus sit, accesserit. Dices, Quid igitur proficis, qui anticipes eius rei molestiã, quam triduo sciturus sis? Nihil equidem: sed, ut suprà dixi, tecũ perlibẽter loquor, & simul scito labare meũ consilium illud, quod satis iam fixum uidebatur. non mihi satis idonei sunt auctores ij, qui à te probantur. quod enim unquã eorum in Rep. sorte factum extitit? aut quis ab ijs ullam rem laude dignam desiderat? nec meherculè laudandos existimo, qui trans mare belli parandi causa profecti sunt (quanquã hæc ferenda non erant) uideo enim, quantum id bellum, & quàm pestiferum futurum sit. sed me mouet unus uir, cuius fugientis comes: Remp. recuperantis socius uideor esse debere. Totiẽsne igitur sententiam mutas? Ego tecum, tanquam mecum, loquor. quis autem est, tanta quidem de re, quin uarie secũ ipse disputet? simul & elicere cupio sententiam tuã: si manet, ut firmior sim, si mutata est: ut tibi assentiar. Omnino ad id, de quo dubito, pertinet me scire quid Domitius acturus sit, quid noster Lentu

* *Ius.* De Domitio uaria audimus, modo esse in Tiburti, aut Lepidi, quo cum Lepidus accessisset ad Vrbẽ, quod item falsum uideo esse. ait enim Lepidus, eum nescio quò penetrasse itineribus occultandi sui causa, an maris capiscendi, ne id quidem scit: ignorat enim de filio. addit illud sanè molestum, pecuniam Domitio satis
* grandem, quam is Coreni habuerit, non esse redditam. De Lẽtulo autem nihil audimus. hæc uelim exquiras, ad méque perscribas. Vale.

se
sed
occultis
adipi
* esse

CICERO ATTICO 5.

AD V. Non. Mart. epistolas mihi tuas AEgypta reddidit, unam uetærem IIII. Cal. quam te scribis dedisse Pinario, quem non uidimus, in qua expectas quidnam præmissus agat Vibullius, qui omnino non est usus à Cæsare. in altera epistola uideo te scire ita esse, & quemadmodum redeuntem excipiam Cæsarem, quem
* omnino uitare cogito, & aut Hemonis fugam tendis, commutationémque uitæ tuæ: quod tibi puto esse faciendum: & ignoras, Domitius cum sacabiúsne sit. quod cum scies, facies ut sciamus. Habes ad primam epistolã. Secutæ sunt duæ, prid. Cal. ambæ datæ, quæ me cõuellerunt de pristino statu: iam tamen, ut ante ad te scripsi, labantem. Nec me mouet, quod scribis Ioui ipsi iniquum: nam periculum in utriusque iracundia positum est: uictoria autem ita mœrta, ut deterior causa paratior mihi esse uideatur. Nec me Consules mouent, qui ipsi pluma, aut folio facilius mouentur. officij me deliberatio cruciat, cruciaúitque adhuc. cautior ærte est mansio: honestior existimatur traiectio. malo interdum, multi me non cautè, quàm pauci non honestè fecisse exi

pimario
nem qui
secutæ

stiment. De Lepido, & Tullo quòd quæris: illi uero non dubitant quin Cæsari præsto futuri, in senatúmq; uenturi sint. Recentissima tua est epistola Cal. data in qua optas congressum, pacem non desperas. sed ego, cum hæc scribebam, nec illos congressuros: nec, si congressi essent, Pompeium ad ullã conditionem accessurum putabam. Quòd uideris non dubitare, si Consules transeant, quid nos facere oporteat: certe transeunt, uel, quomodo nunc est, transierunt. sed memento, præter Appium, neminem esse ferè, qui non ius habeat transeundi: nam aut cum imperio sunt, ut Pompeius, ut Scipio, Setenas, Fannius, Vocónius, Sestius, ipsi Cõsules, quibus more maiorũ concessum est uel omnes * adire prouncias, aut legati sunt eorum. sed nihil desero. quid placeat tibi, & quid propemodum rectum sit, intelligo. Plura scriberem, si ipse possem: sed, ut mihi uideor, potero biduo. Balbi Cornelij literarum exemplũ, quas eodem die accepi, quo tuas misi ad te, ut meam uicem doleres, cum me derideri uideres. Vale.

Balbus Ciceroni Imp. S.

OBSECRO te Cicero, suscipe curam, & cogitationem dignissimam tuæ uirtutis, ut Cæsarem, & Pompeium perfidia hominum distractos, rursus in pristinam concordiã reducas. crede mihi, Cæsarem non solum in tua fore potestate, sed etiam maximum beneficium te sibi dedisse iudicaturum, si huc te reijcis. uelim, idem Pompeius faciat: qui ut adduci tali tempore ad ullam cõditionem possit, magis opto, quàm spero. sed cum constiterit, & timere desierit, tum incipiam non desperare, & tuam auctoritatem plurimum ualituram. Quòd

Lentulum Cos. meum uoluisti hic remanere, Cæsari gratum, mihi uero gratissimum mediusfidius feciſti. nam illum tanti facio, qui non Cæsarem magis diligã, qui si passus esset, nos secum, ut consueueramus, loqui, & non se totum etiam, & etiam ab sermone nostro auertisset: minus miser, quàm sum, essem. nam caue putes, hoc tempore plus me quenquam cruciari, quòd eum, quem ante me diligo, uideo in Consulatu quiduis potius esse, quàm Consulem. quòd si uoluerit tibi obtemperare, & nobis de Cæsare credere, & Consulatum reliquum Romæ peragere: incipiam sperare, etiã consilio Senatus, auctore te, illo relatore, Pompeium, & Cæsarem coniungi posse. quod si factum erit, me satis uixisse putabo. Factum Cæsaris de Corfinio totum me probaturum scito: & quomodo in huiusmodi re cõmodius cadere non potuit, quàm ut res sine sanguine confieret. Balbi mei, tuíque aduentu delectatum te, ualde gaudeo. is quæcunque tibi de Cæsare dixit, quæque Cæsar scripsit, scio tibi probabit: quæcunque fortuna eius fuerit, bellissime scripsisse. Vale.

CICERO ATTICO S.

OMNIA mihi prouisa sunt præter occultum, & tum iter ad mare superum. hoc enim mari uti non possumus hoc tempore anni: illuc autem, quò spectat animus, & quò res uocat, quà ueniam? cædendum enim est celeriter, ne forte qua re impediar, atque alliger. nec uero ille me ducit, qui uidetur, quem ego hominem ἀπολιτικώτατον omnium iam ante cognoram, nũc uero etiam ἀστρατηγικώτατον. Non me igitur is ducit, sed

sermo hominum, qui ad me à Philotimo scribitur: is enim me ab optimatibus ait conscindi. quibus optimatibus Dij boni? qui nunc quomodo occurrunt? quomodo autem se uẽditant Cæsari? municipia uero Deum: nec simulant, ut cum de illo ægroto uota faciebant. Sed planè, quicquid mali hic Pisistratus non fecerit, tam gratum est, quàm si aliũ fãcere prohibuerit. hunc propitium sperant: illum iratum putant. quas fieri œnses ἀπαρτήσας, ex oppidis? quos honores? Metuũt, inquies. credo, sed mehercule illum magis. huius insidiosa clementia delectantur: illius iracundiam formidant. Iudicas DCCCL, qui præcipue Cneo nostro delectabantur, ex quibus quotidie aliquem uideo, nescio quas eius Lucerias horrent. itaque quæro qui sint isti optimates qui me exturbent, cum ipsi domi maneant. sed tamen quicunque sunt, αὐδήσομαι Τρῶας. etsi, qua spe proficiscar, uideo: coniungóque me cum homine magis ad uastandum Italiam, quàm ad uincendum parato. domum quem expecto? & quidem, cum hæc scribebam IIII. Non. iam expectabam aliquid à Brunduſio. Quid autem aliquid? quàm inde turpiter fugisset, & uictor hic quà se referret, & quò. quod ubi audissem, si ille Appia ueniret, ego Arpinum cogitabam. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T. POMPONIVM ATTICVM LIBER IX.

CICERO ATTICO S.

TSI, cum tu has literas legeres, putabam fore ut scirem iam quid Brundusii actum esset (nam Canusio VIII Cal. profectus erat Cneus, hæc autem scribebam prid. Non. XIIII. die postquam ille Canusio mouerat) tamen angebar singularum horarum expectatione, mirabárque nihil allatum esse, ne rumoris quidem. nam erat mirum silentium. sed hæc fortasse πινόσουδα sunt: quæ tamẽ iam sciantur, neæsse est. Illud molestum, me adhuc inuestigare non posse, ubi Lentulus noster sit, ubi Domitius. Quæro autem, quo facilius scire possim, quid acturi sint, iturine ad Pompeiũ: & si sint, quà, quandóue ituri sint. Vrbem quidem iam refertam esse optimatium audio. Sosium, & Lupum, quos Cneus noster ante putabat Brũdusium uenturos esse, quàm se, ius dicere. hinc uero uulgo uadunt. Etiam M. Lepidus, quocum diem conterere solebam, cras cogitabat. Nos autem in Formiano morabamur, quo citius audiremus: deinde Arpinũ uolebamus: inde, iter quà maxime ἀναπάυτητον esset, ad mare superum, remotis, siue omnino missis lictoribus. audio enim bonis uiris, qui & nunc, & sæpe antea magno præsidio Reip. fuerũt, hanc cunctationem nostrã non probari: multáque in me, & seuere in con-

uiuijs tempestuis quidem disputari. Cedamus igitur: &, ut boni ciues simus, bellum Italiæ terra, marique inferamus: & odia improborum rursus in nos, quæ iam extincta erant, incedamus, & Lucœij consilia, ac Theophani persequamur. Nam Scipio uel in Syriam proficiscitur sortè, uel cum genero honestè, uel Cæsarem fugit iratum. Marcelli quidem, nisi gladium Cæsaris timuissent, manerent. Appius & eodem timore, & inimicitiarum recentium. Et tamen præter hunc, & C. Cassiũ, reliqui Legati: Faustus Proquæs. Ego unus, cui utrunuis liceret. Frater accesserit, quem socium huius fortunæ esse non erat æquum: cui magis etiam Cæsar irascetur: sed impetrare non possum ut maneat. Dabimus hoc Pompeio, quod debemus: nam me quidẽ alius nemo mouet: non sermo bonorum, qui nulli sunt: non causa, quæ acta timide est, agetur improbe. Vni hoc damus, ne id quidẽ roganti, nec suam causam, ut ait, agenti, sed publicam. Tu quid cogitẽs de transeundo in Epeirum, scire sanè uelim. Vale. &

CICERO ATTICO S.

ETSI Non. Martijs, die tuo (ut opinor) expectabam à te epistolam lõgiorẽ: tamen ad eam ipsam breuem, quam III. Non. Martij ὑπὸ τὴν διάλυσιν dedisti, rescribendum putaui. Gaudere ais te mansisse me: & scribis, in sententia te manere. Mihi autem superioribus literis uidebare non dubitare quin cederem, ita si & Cneus bene comitatus consendisset, & Consules transissent. Verum, hoc tu parum meministi, an ego non satis intellexi? an mutasti sententiam? sed aut ex epistola, quam expecto, perspiciam quid sentias: aut alias abs te lite-

ras eliciam. Brunduſio nihil dum erat allatum. O rem difficilem, planéque perditam. Quàm nihil præ- 81
termittis in conſilio dando, quàm nihil tamen, quod tibi ipſi placeat, explicas. non eſſe me unà cum Pompeio, gaudes: ac proponis, quàm ſit turpe me adeſſe, cum quid de illo detrahatur: nefas eſſe approbare. Certe. contra igitur? Dij, inquis, auerruncent. Quid ergo fiet, annuerit
ſi in altero ſcelus eſt, in altero ſupplicium? Impetrabis, inquis, à Cæſare, ut tibi abeſſe liceat, & eſſe otioſo. Supplicandum igitur? miſerum. Quid, ſi non impetraro? Et de triumpho erit, inquis, integrum. Quid, ſi hoc ipſo premar? accipiam? quid fœdius? negem? repudiari ſe totum, magis etiam, quàm olim in X X ura-
tu putabit. Ac ſolet, cum ſe purgat, in me conferre omnem illorum temporum culpam: ita me ſibi fuiſſe inimicum, ut ne honorem quidem à ſe accipere uellem. Quanto nunc hoc idem accipiet aſperius? tanto ſcilicet, quanto & honor hic illo eſt amplior, & ipſe robuſtior. Nam quod negas te dubitare, quin magna in offenſa ſim apud Pompeium hoc tempore: non uideo cauſam, cur ita ſit, hoc quidem tempore. qui enim amiſſo Corfinio denique certiorem me ſui conſilij fecit, is queretur Brunduſium me non ueniſſe, cum inter me, & Brunduſium Cæſar eſſet? deinde etiam ſcit, ἀπαρρησίαστον eſſe in ea cauſa querelam mea
ſuam. Me putat de municipiorum imbecillitate, de delectibus, de pace, de Vrbe, de pecunia, de Piceno occupando plus uidiſſe, quàm ſe. Sim, cum potuero, non uenero: tum erit inimicus: quod ego non eo uereor, ne mihi noceat (quid enim faciet? τίς δ' ἐσι δοῦ- ut
λος τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὢν;) ſed quia ingrati animi

crimen horreo. Confido igitur aduentum nostrum illi, quoquo tempore fuerit, ut scribis, ἀσμένιστον fore. Nam quòd ais, si hic temperantius egerit, consideratius consilium te daturum: qui hic potest se gerere non perditè uita, mores, antè facta, ratio suscepti negotij, socij, uires bonorum, aut etiam constantia? Vixdum epistolam tuam legeram, cum ad me, currens ad illum, Posthumus Curtius uenit, nihil nisi classes loquens & exercitus. eripiebat Hispanias: tenebat Asiam, Siciliam, Africam, Sardiniam: confestim in Græciam persequebatur. eundum igitur est: nec tam ut belli, quàm ut fugæ socij simus. nec enim ferre potero sermones istorũ, quicunque sunt: non sunt enim certe, ut appellantur, boni. sed tamen id ipsum scire cupio, quid loquantur: idque ut exquiras, méque certiorem facias, te uehementer rogo. Nos adhuc, quid Brundusii actum esset, planè nesciebamus: cum sciemus, tum ex re, & extempore consilium capiemus, sed utemur tuo. Vale.

CICERO ATTICO, 8.

DOMITII filius transiit Formias VIII. Id. currens ad matrem Neapolim, mihíque nuntiari iussit, patrem ad Vrbem esse, cum de eo curiosè quæsisset seruus noster Dionysius. nos autẽ audieramus eum profectum siue ad Pompeium, siue in Hispaniam. id cuiusmodi sit, scire sanè uelim: nam ad id, quod delibero, pertinet, si ille certe nusquam discessit, intelligere Cneũ, non esse faciles nobis ex Italia exitus, cum ea tota armis, præsidijsque teneatur, hieme præsertim. nam si commodius anni tempus esset, uel infero mari licèret uti: nunc nihil potest, nisi supero, transmitti, quò iter

intercluſum eſt. Quæres igitur & de Domitio, & de Lentulo. A' Brunduſio nulla adhuc fama uenerat: & erat hic dies VII. Id. quo die, ſuſpicabamur, aut pridie Brunduſiũ uenisse Cæſarem: nam Calẽdis Arpis mãserat. Sed ſi Poſthumum audire uelles, perſecturus erat Cneum: tranſjſſe enim iam putabat cõiectura tempeſtatum, ac dierum. Ego nautas eum non putabam habiturũ: ille confidebat, & eo magis, quòd audita nauicularijs hominis liberalitas eſſet. Sed tota res Brunduſina iam quomodo habeat ſe, diutius neſcire non poſſum. Ego etſi tã diu requieſco, quàm diu aut ad te ſcribo, aut tuas literas lego: tamen & ipſe ego argumento epiſtolarũ, & tibi idem accidere certo ſcio. quæ enim ſoluto animo familiariter ſcribi ſolent, temporibus his excludũntur: quæ autem ſunt horum temporum, ea iam contriuimus. Sed tamen ne me totum ægritudini dedam, ſumpſi mihi quaſdam tanquam θίσεις, quæ & politicæ ſunt, & temporum horũ: ut & abducam animum ab querelis: & in eo ipſo de quo agitur, exercear. Eæ ſunt huiuſmodi. Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ, τυραννουμένης δὲ αὐτῆς, ἀ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν παρατέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειν. ἀ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα μὴ αὐτὸς ἄρθηται, ἀ παρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι ἀρήγῃ μᾶλλον ἢ πολέμῳ. ἀ πολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν ἀναχωρήσαντά ποι, τῆς πατρίδος τυραννουμένης, ἢ διὰ παντὸς ἰτέον κινδύνῳ τῆς ἐλευθερίας περὶ. ἀ πόλεμον ἐπαιτέον τῇ χώρᾳ, καὶ πολιορκητέον αὐτὴν τυραννουμένην. ἀ καὶ μὴ δοκιμάζοντα τὴν διὰ πολέμου κατάλυσιν τῆς τυραννίδος συναποχραπέον ὅμως τοῖς ἀρίστοις, ἀ τοῖς ἐνεργίταις, καὶ φίλοις συγκινδυνευ-

VIII

&

& I

eo.

a

παρατέον

ἔχειν

& I

τυραννουμένη

δεῖ ἐν τῇ πατρίδι

χώραν

χρα

τέον ἐν τοῖς πολιτικοῖς, καὶν μὴ δοκῶσιν εὖ βεβουλεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων. ἀὸ μεγάλα τὴν πατρίδα εὐεργετήσας δὲ αὐτὸ δὲ τοῦτο ἀνήκεσα παθὼν, καὶ φθονηθεὶς, κινδυνεύσειν ἂν ἐθελοντὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος. ἀαφιτέον αὐτῷ ἑαυτοῦ ποτε, καὶ τῶν οἰκειοτάτων ποιεῖσθαι πρόνοιαν ἀφεμένῳ τὰς πρὸς τοὺς ἰσχύοντας διαπολιτείας. *in his ego me consultationibus exercens, & disserens in utrãque partem tum Græce, tum Latine, & abduco parumper animum à molestijs, & τῶν προύργου τι delibero. Sed uereor, ne tibi ἄκαιρος sim: si enim recte ambulauit is, qui hanc epistolam tulit, in ipsum tuum diem incidit.* Vale.

CICERO ATTICO S.

NATALI die tuo scripsisti epistolã ad me plenam cõsilij, summæque tum beneuolentiæ, tum etiam prudentiæ. Eam mihi Philotimus postridie, quàm à te acceperat, reddidit. Sunt ista quidem, quæ disputas, difficillima: iter ad superum, nauigatio infero, discessus Arpinum, ne hunc fugisse: mansio Formijs, ne obtulisse nos gratulationi uideamur: sed miserius nihil, quàm ea uidere, quæ tamen iam, iam inquam uidenda erunt. Fuit apud me Posthumus: scripsi ad te, quàm grauis. Venit ad me etiam Q. Fusius, quo uultu, quo spiritu? properans Brunduſium, sœlus accusans Pompeij, leuitatem, & stultitiam senatus. Hæc qui in mea uilla non feram, cur tum in curia potero ferre? Age finge me quanuis εὐσωμάχως hæc ferentem. Quid illa, dic M. Tulli, quem habebunt exitum? & omitto causam Reip. quam ego amissam puto cum uulneribus suis, tum medicamentis his, quæ parantur. De

Pŏpeio quid agam? cui planè (quid enim, negem?) succensui: semper enim causæ euentorum magis mouent, quàm ipsa euenta. Hæc igitur mala, quibus maiora esse quæ possunt? considerans, uel potius iudicans eius opera accidisse, & culpa, inimicior eram huic, quàm ipsi Cæsari. Vt maiores nostri funestiorem diem esse uoluerunt Alliensis pugnæ, quàm Vrbis captæ, quòd hoc malum ex illo: itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in uulgus ignotus: sic ego decem annorum peccata recordans, in quibus inerat ille etiam annus, quinos, hoc defendente, ne dicam grauius, afflixerat, præsentisque temporis cognoscens temeritatem, ignauiam, negligentiam, succensebam. sed ea iam mihi excciderunt. beneficia eiusdem cogito. cogito etiam dignitatem. intelligo serius equidem, quàm uellem, propter epistolas, sermonésque Balbi: sed uideo planè nihil aliud agi, nihil actum ab initio, quàm ut hunc occideret. Ego igitur, siquis apud Homerũ, cum ei & mater & Dea dixisset αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' Ἕκτορα πότμος ἑτοῖμος; matri ipse respondit, αὐτίκα τεθναίην ἐπεὶ οὐκ ἄρα μ' ἔμελλον ἑταίρῳ κτανομένῳ ἐπαμῦναι. quid si non ἑταίρῳ solũ, sed etiã ἐυεργέτῃ? adde tali uiro talem causam agenti. Et ego uero hæc officia merenda uita puto. Optimatibus uero tuis nihil confido, nihil iam ne inseruio quidem. Video ut se huic dent, ut daturi sint. quicquam tu illa putas fuisse de ualetudine decreta municipiorũ præ his de uictoria gratulationibus? Timẽt, inquies. At ipsi tum se timuisse dicũt. Sed uideamus quid actum sit Brunduſij. ex eo fortasse mea consilia nascentur, aliéque literæ. Nos adhuc Brũduſio nihil. Roma scripsit Balbus, putare iam Lentulum Cos. transmisisse, nec

1 hoc

minime

& 10 non defendente, ne dicã oppugnante,

mihi / 8/

cui

ego

di

efficiã ei cãdida

1 mare

eum à minore Balbo cõuentum, quòd is hoc iam Canusij audisset: inde ad se eum scripsisse, cõhortéisque sex, quæ Albæ fuissent, ad Curtium Minutia transisse: id Cæsarem ad se scripsisse, & breui tempore eum ad Vrbem futurum. Ergo utar tuo cõsilio, neque me in Arpinum hoc tempore abdam. etsi, Ciceroni meo togam puram cum dare Arpini uellem, hanc erã ipsam excusationem relicturus ad Cæsarem. sed fortasse in eo ipso offendetur, cur non Romæ potius. sed tamen, si est cõueniẽdus, hic potissimum. tum reliqua uidebimus, id est & quò, & quà, & quando. Domitius, ut audio, in Cosano, & quidem, ut aiũt, paratus ad nauigandũ: si in Hispaniam, non probo: si ad Cneum, laudo: quouis potius cærte, quàm ut Curtium uideat, quem ego patronus aspicere non possum. Quid alios? sed opinor quiescamus, ne nostram culpam cõarguamus: qui, dum Vrbem, id est patriam, amamus, dúmque rem cõuenturam putamus, ita nos gessimus, ut planè intercluſi, captíque simus. Scripta iã epistola, Capuã litteræ sunt allatæ hoc exẽplo, Põpeius mare transijt cum omnibus militibus, quos secum habuit. hic numerus est hominum millia X X X, & Consules duo, & Tribuni pl. & senatores, qui fuerat cum eo: omnes cũ uxoribus, & liberis. cõscendisse dicitur ad IIII. Non Mart. ex ea die fuere Septentriones uenti. naues, quibus usus nõ est, omnes aut præcidisse, aut incendisse dicunt. De hac re litteræ L. Metello Trib. pl. Capuam allatæ sunt ab a Clodia socru, quæ ipsa transijt. Ante solicitus eram, & angebar, sicut res scilicet ipsa cogebat, cum consilio explicare nihil possem: nunc autem postquam Pompeius, & Consules ex Italia exierunt, non angor, sed ardeo

dolore. οὐδέ μοι ἦτορ ἔμπεδον ἀλλ' ἀλαλύκτημαι. nõ sum inquam (mihi crede) mentis compos: tantum mihi dedecoris admisisse uideor. me non primum cum Pompeio qualicunque cõsilio usõ, deinde cum bonis esse, quanuis causa temere mstituta? præsertim cum ij ipsi, quorum ego causa timidius me fortunæ committebam, uxor, filia, Ciceroues pueri me illuc sequi mallent, hoc turpe, & me indignum putarent. nam Quintus quidem frater, quicquid mihi placeret, id rectum se putare aiebat, id animo æquissimo sequebatur. Tuas nunc epistolas à primo lego. hæ me paulum recreant. primæ monent, & rogant, ne me proïciam. proximæ gaudere te ostendunt, me remansisse. eas cum lego, munus mihi turpis uideor, sed tandiu dum lego. Deinde emergit rursum dolor, & ἀσχροῦ φαντασία. Quã ob rem obsecro te mi Tite, eripe mihi hunc dolorem, aut minue saltem aut cõsolatione, aut cõsilio, aut quacunque re potes. quid tu autem possis? aut quid homo quisquam? uix iam Deus. Equidem illud molior, quod tu mones, sperásque fieri posse, ut mihi Cæsar cõnædat ut absim, cum aliquid in Senatu contra Cneum agatur: sed timeo ne non impetrem. Venit ab eo Furnius, ut quidẽ scias quos sequamur: Q. Titinij filium cum Cæsare esse nũtiat: sed illum maiores mihi gratias agere, quàm uellem. Quid autem me roget (paucis ille quidẽ uerbis, sed ἐν δυνάμει) cognosce ex ipsius epistola. Me miserum, quòd tu non ualuisti: unà fuissemus: cõsiliũ certe non defuisset σύντειν ἐρχομένω. Sed acta ne agamus: reliqua paremus. Me adhuc hæc duo fefellerunt: * imitio spes cõpositionis, qua facta uolebã, ut populari, ut ea solicitudine senectutem nostram liberari: deinde

bellum crudele, & exitiosum susci pi à Pompeio intel ligebam, Melioris mediusfidius ciuis, & uiri putabam, quouis supplicio affici, quàm illi crudelitati non solum præesse, uerum etiam interesse. uidetur uel mori satius fuisse, quàm esse cum ijs. Ad hæc igitur cogita mi Attice, uel potius excogita: quenuis euentum fortius feram, quàm hunc dolorem. Vale.

Cæsar Imp. S. D. Ciceroni Imp.

CVM Furnium nostrum tantum uidissem, neque loqui, neque audire me commode potuisset properātem, atque essem in itinere præmissis iam legionibus: præterire tamen non potui quin & scriberem ad te, & illum mitterem, gratiásque agerem. etsi hoc officium & feci sæpe, & sæpius mihi facturus uideor: ita de me mereris. In primis à te peto, quoniam confido me celeriter ad Vrbem uenturum, ut te ibi uideam: ut tuo consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum uti possim. Ad propositum reuertar: festinationi meæ, breuitatique literarum ignoscas: reliqua ex Furnio cognoscas. Vale.

CICERO ATTICO S.

SCRIPSERAM ad te epistolam quam darē III Id. sed eo die is, cui dare uolueram, non est profectus. uenit autem eo ipso die ille Celeripes, quem Saluius dixerat: attulit uberrimas tuas literas, quæ mihi quidd& quo starem, instillarunt. recreatum enim me non queo dicere: sed planè τὸ συνέχον effecisti: ego enim non iam id ago (mihi crede) ut prosperos exitus consequar: sic enim uideo, nec duobus his uiuus, nec hoc uno nos

unquã Remp. habituros. Ita neque de otio nostro spero iam, nec ullam acerbitatem recuso. unum illud extime scebam, ne quid turpiter facerem, uel, dicam, iam effecis sem. Sic ergo habeto, salutares te mihi literas misisse, ne que solum has longiores, quibus nihil potest esse expli catius, nihil perfectius: sed etiã illas breuiores, in quibus hoc mihi iucundissimũ fuit, consiliũ, factúmque nostrum ab Sexto probari. Pergratúmque mihi tu feci sti, à quo diligi me, & quid rectum sit, intelligi. Sic. Longior uero tua epistola non me solum, sed meos omneis ægritudine leuauit. itaque utar tuo consilio, & ero in Formiano, ne aut ad Vrbem ἀπάντησις mea animaduertatur, aut, si nec hic, nec illic eum uidero, deuitatum se à me putet. Quòd autem suades, ut ab eo petam, ut mihi concedat, ut idem tribuam Pompeio, quod ipsi tribuerim: id me iampridem agere intelliges ex literis Balbi & Oppij, quarũ exemplã tibi misi: misi etiã Cæsaris ad eos sana mẽtẽ scriptas; quomodo in tanta insania? sin mihi Cæsar hoc non cõcedat, uideo tibi illud placere, me πολίτευμα de pace suscipere: in quo non extimesco periculum: cum enim tot impendeant, cur non honestissimo depaciscí uelim? Sed uereor ne Pompeio quid oneris imponam, μήμοι γοργέην κεφαλὴν δανοῖο πελώρου intorqueat: mirandum enim in modum Cneus noster Sullani regni similitudinem concupiuit. ἀδώς σοι λέγω. nihil inquam ille minus obscure tulit. Cum hoc ne igitur, inquies, esse uis? beneficium sequor (mihi crede) non causam, ut in Milone, ut in. sed hactenus. Causa igitur non bona est? immo optima: sed agetur (memento) fœdissime. primum, consilium est, suffocare Vrbem, & Italiam fame: deinde, agros ua-

stare, urere, pecunijs locupletum non abstinere. Sed cum eadem metuã ab hac parte: si illinc beneficium nõ sit, rectius putem quiduis domi perpeti. sed ita meruisse illum de me puto, ut ἀχαριστίας crimen subire non audeam. quanquam ad te eius quoque rei iusta defensio est explicita. De triumpho tibi assentior: quem quidem totum facile, & libenter abiecero. egregie probo fore, ut, dum agamus, ὁ ἀλοὺς ὡραῖος obrepat: si modo, inquis, satis ille erit firmus. Est firmior etiam, quàm putabamus. de isto licet bene speres: promitto tibi. si nalebit, tegulam illum in Italia nullam relicturum. Téne igitur socio? contra mehercule meum iudicium, & contra omnium antiquorum auctoritatem: nec tam ut illa adiuuem, quàm ut hæc ne uideam, cupio discedere. noli enim putare tolerabiles horum insanias, nec uniusmodi fore. etsi quid te horum fugit, legibus, iudicijs, senatu sublato, libidines, audacias, sumptus, egestates tot egentissimorum hominum nec priuatas posse res, nec Remp. sustinere? Abeamus igitur inde qualibet nauigatione: etsi id quidẽ, ut tibi uidebitur: sed certe abeamus. Sciemus enim id, quod expectas, quid Brundusij actum sit. Bonis uiris quòd ais probari, quæ adhuc fecerimus, scirique ab ijs nõ profectis, ualde gaudeo: si est nunc ullus gaudendi locus. De Lentulo inuestigabo diligentius: id mãdaui Philotimo, homini forti, ac nimium optimati. Extremum est, ut tibi argumentum ad scribendum fortasse iam desit: nec enim alia de re nunc ulla scribi potest: & de hac quid iam amplius inueniri potest? Sed quoniam & ingenium suppeditat (dico mehercule ut sentio) & amor, quo & meum ingeniũ incitatur: perge ut facis, & scribe quã-

tum potes. In Epeirum quòd me non inuitas, comitẽ non moleſtum, ſubiraſcor: ſed uale. nam, ut tibi ambulandum, unguendum, ſic mihi dormiendum. etenim literæ tuæ mihi ſomnum attulerunt.

CICERO ATTICO S.

COENANTIBVS prid. Id. nobis ac noctu quidẽ, Statius à te epiſtolam breuem attulit. De L. Torquato quid modo quæris? non modo Lucius, ſed etiam Aulus profectus eſt, alij multi. De Reatinorum corona quòd ſcribis, moleſtè fero in agro Sabino ſementem fieri proſcriptionis. Senatores multos eſſe Romæ, nos quoque audieramus. ecquid potes dicere cur exierint? In his locis opinio eſt coniectura magis, quàm nuntio, aut literis, Cæſarem Formijs ad XI. Cal. Apr. fore. hic ego uellem habere Homeri illã Mineruam ſimulatam Mentori, cui dicerem, Μέντορ πῶς τ' ἀρέῳ, πῶς τ' ἀρ προσπτύξομαι αὐτόν; nullam rem unquam difficiliorẽ cogitaui, ſed cogito tamen: nec ero, ut in malis, imparatus. Sed curá ut ualeas: puto enim diem tuum heri fuiſſe.

Cæſar Oppio, Cornelio S.

GAVDEO mehercule uos ſignificare literis, quàm ualde probetis ea quæ apud Corfinium ſunt geſta. conſilio ueſtro utar libenter, & hoc libentius, quòd mea ſpõte facere conſtitueram ut quamleniſſimum me præberem, & Pompeium darem operam ut reconciliarem. tentemus, hoc modo ſi poſſumus omnium uoluntates recuperare, & diuturna uictoria uti: quoniam reliqui crudelitate odium effugere non potuerunt: neque uicto

riam diutius tenere, præter unum L. Sullam, quem imitaturus non sum. hæc noua sit ratio uincendi, ut mi sericordia, & liberalitate nos muniamus. id quemadmodum fieri possit, nonnulla mihi in mentem ueniunt, & multa reperiri possunt. de his rebus, rogo uos, ut cogitationem suscipiatis. Cn. Magnum Pompeij præfectum deprehēdi: scilicet meo instituto usus sum, & eum statim missum feci. iam duo præfecti fabrum Pompeij in meam potestatem uenerunt, & à me missi sunt. Si uolent grati esse, debebunt Pompeium hortari, ut malit mihi esse amicus, quàm ijs, qui & illi, & mihi semper fuerunt inimicissimi: quorū artificijs effectum est ut Resp. in hunc statum perueniret. Vale.

Balbus Ciceroni Imp. S.

SVBITO posteaquam literas communes cum Oppio ad te dedi, ab Cæsare epistolam accepi, cuius exemplum tibi misi, ex quibus perspicere poteris, quàm cupiat concordiam, & Pompeium reconciliare, & quàm remotus sit ab omni crudelitate: quod eum sentire, ut debeo, ualde gaudeo. De te, & tua fide, & pietate idem mehercule mi Cicero sentio quod tu, non posse tuam famam, & officium sustinere, ut contra eum arma feras, à quo tantum beneficium te accepisse prædices. Cæsarem hoc idem probaturum, exploratum pro singulari eius humanitate habeo: eique cumulatissime satisfacturum te certo scio, cum nullam partem belli contra eum suscipias, neque socius eius aduersarijs fueris. atque hoc non solum in te tali, & tanto uiro satis habebit, sed etiam mihi ipse sua concessit bonitate, ne in ijs castris essem quæ contra Lentulum aut Pom-

peium futura essent, quorum beneficia maxima haberem: sibique satis esse dixit, si togatus urbana officia sibi præstitissem, quæ etiam illis, si uellem, præstare possem. Itaque nunc Romæ omnia negotia Lentuli procuro, sustineo: meúmque officium, fidem, pietatem ijs præsto. sed mehercule rursus tam abiectam compositionis spem non desperatissimam esse puto, quoniam Cæsar est ea mente qua optare debemus. Hac re mihi placet, si tibi uidetur, te ad eũ scribere, & ab eo præsidium petere, ut petisti à Pompeio, me quidem approbante, temporibus Milonianis. præstabo (si Cæsarem bene noui) eum prius tuæ dignitatis, quàm suæ utilitatis rationem habiturum. Hæc quàm prudenter tibi scribam, nescio. sed illud certe scio, me ab singulari amore, ac beneuolentia, quæcunque scribo, tibi scribere quòd te (ita incolumi Cæsare moriar) tanti facio, ut paucos æque ac te caros habeam. De hac re cum aliquid constitueris, uelim mihi scribas: nam non mediocriter laboro ut utrique, ut uis, tuam beneuolentiam præstare possis, quam mehercule te præstaturum confido. Fac ualeas.

Balbus, & Oppius S. D. M. Ciceroni.

NEDVM hominum humilium, ut nos sumus, sed etiã amplissimorum uirorum consilia ex euentu, nõ ex uoluntate à plerisque probari solent: tamen freti tua humanitate, quod ueri simum nobis uidebitur, de eo quod ad nos scripsisti, tibi consilium dabimus: quod si nõ fuerit prudens, at certe ab optima fide, & optimo animo proficiscetur. Nos, nisi id quod nostro iudicio Cæsarẽ facere oportere existimamus, ut simul Romã uenerit,

agat de reconciliatione gratiæ suæ & Pompeij: id eum facturum ex ipso cognouissemus: te hortari desineremus ut uelles his rebus interesse, quo facilius, & maiore cum dignitate per te, qui utrique es coniunctus, res tota confieret: aut si ex contrario putaremus Cæsarem id non facturum, & eum uelle cum Pompeio bellum gerere sciremus, nunquam tibi suaderemus, contra hominem optime de te meritum arma ferres, sicuti te semper oramus ne contra Cæsarem pugnares. sed cui etiamnum quid facturus Cæsar sit, magis opinari, quàm scire possimus: non possumus nisi hoc, non uideri eã tuã esse dignitatẽ, neque fidẽ omnibus cognitã, ut contra alterutrum, cui utrique sis maxime necessarius, arma feras. & hoc, nõ dubitamus quin Cæsar pro sua humanitate maxime sit probaturus. Nos tamen (si tibi uidebitur) ad Cæsarem scribemus, ut nos, certiores faciat quid in hac re acturus sit. à quo si erit nobis rescriptum, statim, quæ sentiemus: ad te scribemus, & tibi fidẽ faciemus, nos ea suadere quæ nobis uidentur tuæ dignitati, non Cæsaris rationi esse utilissima. & hoc Cæsarẽ pro sua indulgentia in suos probaturum putamus. Vale.

CICERO ATTICO S.

TREIS epistolas tuas accepi postridie Iduum: erãt autem IIII. III. prid. Id. datæ. igitur antiquissimæ cuique primum respondebo. Assentio tibi ut in Formiano potissimum commorer. & iam de supero mari * plabóque, ut antea ad te scripsi, & quonã modo possẽ uoluntate eius nullã Reip. partem attingere? Quod laudas, quia obliuisci me scripsi antefacta, & dicta nostri amici: ego uero ita facio: quin ea ipsa, quæ à te

cõmemorantur, secus ab eo in me ipsum facta esse non memini: tanto plus apud me ualere beneficij gratiam, quàm iniuriæ dolorem uolo. Faciamus igitur ut cæses, colligamúsque nos: festino enim similiurus decurro, atque adsis. Διόσας meas commentari non desino. Sed sunt quædam earum perdifficiles ad iudicandum.

De optimatibus sit sanè ita ut uis: sed nosti illud Διόνυσος ἐν Κορίνθῳ. Titinij filius apud Cæsarem est. Quod autem quasi uereri uideris ne mihi tua consilia displicæant: me uero nihil delectat aliud, nisi consiliũ, & literæ tuæ. Quare fac, ut ostendis, ne desiteris ad me, quicquid tibi in mentem uenerit scribere mihi: nihil potest esse gratius. Venio ad alteram nunc epistolam. recte non credis de numero militum: ipso dimidio plus scripsit Clodia. Falsum etiã de corruptis naubus. Quod Consules laudas, ego quoque animum laudo, cõsilium reprehendo. discessu enim illorũ, actio de pace sublata est, quam quidem ego meditabar. Itaque postea Demetrij librũ de concordia tibi remisi, & Philotimo dedi. Nec uero dubito quin exitiosum bellũ impẽdeat, cuius initium ducetur à fame. Et me tamen doleo non interesse huic bello, in quo tanta uis sceleris futura est, ut, cum parẽtes non alere nefarium sit, nostri principes antiquissimam, & sanctissimam parentem patriam fame necandam putent. Atque hoc non opinione timeo, sed interfui sermonibus. Omnis hæc classis, Alexãdria, Colchis, Tyro, Sidone, Andro, Cypro, Pamphylia, Lycia, Rhodo, Chio, Byzantio, Lesbo, Smyrna, Myleto, Co, ad intercludendos commeatus Italiæ, & ad occupãdas frumentarias prouincias comparatur. At quàm ueniet iratus, & ijs quidem maxime, qui

eam maxime saluam uolebant, quasi relictus ab ijs, quos reliquit. Itaque mihi dubitanti quid me facere par sit, permagnum pondus affert beneuolentia erga illum: qua dempta, perire melius esset in patria, quàm patriam seruando euertere. De Septentrione planè ita est. Metuo, ne uexetur Epeirus. Sed quem tu locum Græciæ non direptum iri putas? prædicat enim palàm, & militibus ostendit, se largitione ipsa superiorem, quàm huc, fore. Illud me præclare admones, cum illum uidero, ne nimis indulgenter, & ut cum grauitate potius loquar. Planè sic faciendum. Arpinum, cum eum conuenero, cogito: ne forte aut absim, cum ueniet: aut cursem huc illuc uia deterrima. Libulum (ut scribis) audio uenisse, & rediisse prid. Id. Philotimum, ut dis epistola tertia, expectabas. At ille Idibus à me profectus est. Eo serius ad tuam illam epistolam, cui ego statim rescripseram, redditæ sunt meæ literæ. De Domitio (ut scribis) ita opinor esse, ut & in Cosano sit, & consilium eius ignoretur. Iste omnium turpissimus, & sordidissimus, qui consularia comitia à Prætore ait haberi posse, est idem qui semper in Rep. fuit. Itaque nimirum hoc illud est, quod Cæsar scribit in ea epistola, cuius exemplum ad te misi, se uelle uti CONSILIO meo: age esto hoc commune, GRATIA: ineptum id quidem, sed puto hoc simulat ad quasdam senatorum sententias. DIGNITATE: fortasse sententia consularis. Illud extremum est, OPE omnium rerũ: id ego suspicari cœpi tum ex tuis literis, aut hoc ipsum esse, aut non multo secus. nam permagni eius interest, rem ad interregnum non uenire. Id assequitur, si per Prætores Consules creantur. Nos autem in

libris habemus, non modo Consules à Prætoribus, sed ne Prætores quidē creari ius esse, idque factū esse nunquam: Consules, eo non esse ius, quòd maius imperium à minore rogari non sit ius: Prætores autem, cum ita rogētur, ut collegæ Consulum sint, quorum est maius imperiū. Aberit non longe, quin hoc à me decerni uelit, neque sit cōtentus Galba, Scæuola, Cassio, Antonio: τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. Sed quanta tempestas impendeat, uides. Qui transierint senatores, scribā ad te, cum certū habebo. De re frumentaria recte intelligis, quæ nullo modo administrari sine uectigalibus potest: nec sine causa & eos, qui circā illū sunt, omnia postulantes, & bellum nefariū times. Trebatiū nostrum, etsi (ut scribis) nihil bene sperat, tamen uidere sanè uelim. Quem fac horteris, ut properet: opportune enim ad me ante aduentum Cæsaris uenerit. De Lanuino statim ut audiui Fameā mortuum, optaui, si modo esset futura Resp. ut id aliquis emeret meorum: neque tamen de te, qui maxime meus, cogitaui: sciebam * enim de quoto anno, & quantum in solo solere quærere, neque solū Romæ, sed etiam deliciū digamma uiderem. Veruntamen ego illud, quanquam est bellū, minoris æstimo, quàm æstimabatur Marcellino Cos. cum ego istos hortulos propter domum, Antij quam tum habebam, iucundiores mihi fore putabam, & minore impensa, quàm si Tusculanum refecissem. uolui HS Q. * ego per prædē, illi daret, Antij cum haberet uenale: noluit. Sed nunc omnia ista iacere puto propter numorum caritatem. Mihi quidem erit aptissimum, uel nobis potius, si tu emeris: sed eius dementias caue contemnas: ualde est uenustum. Quanquam mihi ista

A. Gell. lib. 13. c. 14. mus. 1

creari b. 669 qui

pedar

aū

Ia.

aliquid meor forbā

di

antiquū quā

HS Q. antiquū

omnia iam addicta uastitati uidentur. Respondi epistolis tribus. Sed expecto tuas: nam me adhuc tuæ literæ sustentarunt. D. Liberalibus.

alias

CICERO ATTICO S.

D. Liberalibus

NIHIL habebam, quod scriberem: neque enim noui quicquam audieram, & ad tuas omneis rescripseram pridie. Sed cum me ægritudo non solum somno priuaret, uerum ne uigilare quidem sine summo dolore pateretur: tecum ut quasi loquerer, in quo uno acquiesco, hoc nescio quid nullo argumẽto proposito scribere instituí. Amens mihi fuisse uideor à principio, & me una hæc res torquet, quòd non omnibus in rebus labentem, uel potius ruentem Pompeium tanquam unus manipularis secutus sim. Vidi hominem XIIII. Cal. Febr. plenum formidinis. illo ipso die sensi quid ageret. nũquam mihi postea placuit, nec unquã aliud in alio peccare destitit. Nihil mœrim ad me scire, nihil nisi fugam cogitare. Quid quæris? sicut ἐν τοῖς ἱρωτικοῖς alienantur immundæ, insulsæ, indecoræ: sic me illius fugæ negligẽtiæque deformitas auertit ab amore. nihil enim dignum faciebat quare eius fugæ comitem me adiungerem. Nunc emergit amor: nunc desideriũ ferre non possum: nunc mihi nihil libri, nihil literæ, nihil doctrina prodest. Itaque dies & noctes, tanquã auis illa, mare prospecto, euolare cupio. Do, do pœnas temeritatis meæ. Etsi quæ fuit illa temeritas? quid feci non consideratissime? si enim nihil præter fugam quæreretur, fugissem libentissime: sed genus belli crudelissimi, & maximi, quod nondum uident homines quale futurũ sit, perhorrui. Quæ minæ municipiis? quæ nominatim

ulas unde decorant fit

Nihil.

mine etiam

nomina etiã

uiris bonis? quæ denique omnibus, qui remansissent? quàm crebro illud, Sulla potuit, ego non potero? Mihi autem hæserũt illa, Male Tarquinius, qui Porsenam, qui Octauium Manilium contra patriam: impie Coriolanus, qui auxilium petiit à Volscis: recte Themistocles, qui mori maluit: nefarius Hippias Pisistrati filius, qui in Marathonia pugna cecidit arma cõtra patriam ferens. At Sulla, at Marius, at Cinna recte, immo iure fortasse. Sed quid eorum uictoria crudelius? quid funestius? huius belli genus fugi, & eo magis, quòd crudeliorã etiam cogitari, & parari uidebam. Me, quem nonnulli cõseruatorem istius urbis, quem parentem esse dixerunt, Getarum, & Armeniorum, & Colchorum copias ad eam adducere? me meis ciuibus famem, uastitatem inferre Italiæ? hũc primum mortalem esse, deinde etiam multis modis posse extingui cogitabam: Vrbem autem, & populum nostrum seruandum ad immortalitatem, quantum in nobis esset, putabam. Et tamen spes quædam me obtentabat, fore ut aliquid œnueniret potius, quàm aut hic tantum sceleris, aut ille tantum flagitij admitteret. Alia res nunc tota est, alia mea. Sol (ut est in tua quadam epistola) excidisse mihi è mundo uidetur. Vt ægroto, dum anima est, spes esse dicitur: sic ego, quoad Pompeius in Italia fuit, sperare non desiti. Hæc me fefellerunt, & (ut uerũ loquar) ætas iam à diuturnis laboribus deuexa ad otium, domesticarum me rerum delectatione molliuit. Nunc siue periculo experiundum erit, experiar certe, ut hinc auolem: ante oportuit fortasse: sed ea, quæ scripsisti, me tardarunt, & auctoritas maxime tua. nam cum ad hunc locum uenissem, euolui uolumen episto-

larum tuarum, quod ego sub signo habeo, seruóque diligentissime. Erat igitur in ea, quam X. Cal. Febr. dederas hoc modo, SED videamus, & Cneus quid agat, & illius rationes quorsum fluãt. Quòd si iste Italiam relinquet, faciet omnino male, & (ut ego existimo) ἀλογίστως: sed tum demum consilia nostra commutanda erunt. Hoc scribis post diem quartum, quàm ab Vrbe discessimus. Deinde VIII. Cal. Febr. TANTVMMODO Cneus noster ne, ut urbem ἀλογίστως reliquit, sic Italiam relinquat. Eodem die das alteras literas, quibus mihi consulenti planissime respondes: est enim sic. SED uenio ad cõsultationẽ tuam. Si Cneus Italiã cedit, in Vrbem redeundum puto: qui enim finis peregrinationis? Hoc mihi planè hæsit. Et nunc ita uideo, infinitum bellum iũctum miserrimæ fugæ, quam tu peregrinationem ὑποφορίζῃ. Sequitur χρησμὸς VI. Cal. Febr. EGO, si Pompeius manet in Italia, nec res ad pactionem uenit, longius bellũ puto fore: sin Italiã relinquit, ad posterum bellũ ἄσπονδον strui existimo. Huius igitur belli ego particeps, & socius & adiutor esse cogor, quod & ἄσπονδον, & cum ciuibus. Deinde VI. Id. Feb. cum iam plura audires de Põpeij consilio, concludis epistolam quandam hoc modo, EGO quidẽ tibi non sim auctor, si Pompeius Italiam relinquit, te quoque profugere: summo enim periculo facies, nec Reip. proderis: cui quidem posterius poteris prodesse, si manseris. Quem φιλόπατριν, ac πολιτικὸν hominis prudẽtis, & amici tali admonitu nõ moueret auctoritas? Deinceps III. Id. Febr. iterũ mihi respondes consulenti, sic, QVOD quæris à me fugámne fidẽ, an moram deserendã uti-

deserendã

liorẽ putem: ego uero in præsentia subitum discessum, & præcipitẽ profectionem cũ tibi, tum ipsi Cneo inutilem, & periculosam puto: & satius esse existimo, uos dispartitos, & in speculis esse. Sed mediusfidius turpe nobis puto esse de fuga cogitare. Hoc turpe Cneus noster biennio antè cogitauit: ita Sullaturit animus eius, & proscripturit iandiu. Inde, ut opinor, cum tu ad me quædam γενικώτερον scripsisses, & ego mihi à te quædam significari putassem, ut Italia cederem: detestaris hoc diligenter XI. Cal. Mart. EGO uero nulla epistola significaui, si Cneus Italia cederet, ut tu unà cederes: aut si significaui, non dico fui incõstans, sed demens. In eadem epistola alio loco, NIHIL relinquitur, nisi fuga: cui te socium neutiquam puto esse oportere, nec unquam putaui. Totam autẽ hanc deliberationem euoluis accuratius in literis VIII. Cal. Mart. datis, SI M. Lepidus, & L. Volcatius remanent, manendum puto, ita ut, si saluus sit Põpeius, & cõstiterit alicubi, hãc γενικῶς relinquas, & te in certamine uinci cũ illo facilius patiaris, quàm cũ hoc in ea, quæ perspicitur, futura collumie regnare. Multa disputas huic sententiæ conueniẽtia. Inde ad extremum, QVID si, inquis, LEPIDVS, & Volcatius discedunt? planè ἀπορῶ. Quod euenerit igitur, & quod egeris, id στρατήγιον putabo. Si tum dubitares, nunc certe non dubitas istis manentibus. Deinde in ipsa fuga V. Cal. Mart. INTEREA nõ dubito quin in Formiano mãsurus sis: cõmodissime enim τὸ μέλλον ibi κατασκοπήσεις. ad Cal. Mart. cũ ille quintũ iam diẽ Brũdusij esset. TVM poterimus deliberare. nõ. S. integra re, sed certe minus infracta, quàm si unà proiecerit te.

Deinde IIII. Non. Mart. ὑπὸ τὴν λῆψιν cū breuiter scriberes, tamen ponis hoc, CRAS scribā plura, & ad omnia. Hoc tamen dicam, non pœnitere me consilij de tua māsione: & quanquam magna solicitudine, tamē quia minus mali puto esse, quàm in illa profectione, maneo in sententia, & gaudeo te mansisse.

Cum uero iā angerer, & timerem ne quid à me dedecoris esset admissum, III. Non. Mart. TAMEN te non esse unà cum Pompeio, non fero moleste. Postea si opus fuerit, non erit difficile: & illi, quoquo tempore fiet, erit ἀσύνιστον. Sed hoc ita dico, si hic qua ratione initium fecit, eadem cætera aget, sincere, temperate, prudenter, ualde uidero, & considerātius utilitati nostræ cōsuluero. VII. Id. Mart. scribis, Peduceo quoque nostro probari, quòd quierim: cuius auctoritas multum apud me ualet. His ego tuis scriptis me consolor, ut nihil à me adhuc delictum putem. Tu modo auctoritatem tuam defendito, aduersus me nihil opus esse, conscius ego alijs. Ego, si nihil peccaui, reliqua tuebor. Ad ea tute hortare, & me omnino tua cogitatione adiuua. Hic nihildum de reditu Cæsaris audiebatur. Ego his literis hoc tamen profeci: perlegi omnes tuas, & in eo acquieui. Lentulū nostrum scis Puteolis esse: quod cum è uiatore quodam esset auditum, qui se diceret, eum in Appia, cum is paulum lecticam aperuisset, cognosse, etsi uix uerisimile, misi tamen Puteolos pueros, qui perueſtigarent, & ad eum literas. Inuentus est uix, in hortis suis se occultans, literásque mihi remisit, mirificè gratias agens Cæsari: de suo autem consilio C. Cæcio mandata ad me dedisse. Eum ego hodie expectabam, id est XIIII. Cal. Apr. Ve-

nit etiam ad me Matius Quinquatribus, homo mehercule, ut mihi uisus est, temperatus, & prudẽs: existimatus quidem est semper auctor otij. Quàm ille hæc non probare mihi quidẽ uisus est? quàm illã γυνώτην (ut tu appellas) timere? huc ego in multo sermone epistolam ad me Cæsaris ostendi, eam, cuius exemplum ad te antea misi: rogauique, ut interpretaretur quid esset quod ille scriberet, cõsilio meo se uti uelle, gratia, dignitate, ope rerum omnium. Respondit, se non dubitare quin & opem, & gratiam meam ille ad pacificationem quæreret. Vtinam aliquod in hac miseria Reip. πολιτικὸν opus efficere, & nauare mihi liceat. Matius quidem & illum in ea sententia esse confidebat, & se auctorem fore pollicebatur. Pridie autem apud me Crassippus fuerat, qui se prid. Non. Martij Brũdusio profectum, atque ibi Pompeium reliquisse dicebat: quod etiam, qui VIII. Id. illuc profecti erant, nuntiabant: illa uero omnes, in quibus etiam Crassippus, qui prudentia potuit attendere sermones, minaces inimicos optimatium, municipiorum hostes, meras proscriptiones, meros Sullas: quæ Lucium loqui, quæ totam Græciã, quæ uero Theophanem. & tamẽ omnis spes salutis in illis est: & ego excubo animo, nec partem ullam capio quietis: & ut has pestes effugiam, cum dissimillimis nostri esse cupio. quid enim tu illuc Scipionem, quid Faustum, quid Libonem præterm̃issurum sceleris putas? quorum creditores conuenire dicuntur. Quid eos autem, cum uicerint, in ciues effecturos? quam uero putas μακροθυμίαν Cnei nostri esse? nuntiant AEgyptũ, & Arabiam ὑδαίμονα cogitare, Hispaniam abiecisse. Mõstra narrant: quæ falsa

esse possunt. sed certe & hæc perdita sunt, & illa non salutaria. Tuas literas iam desidero. Post fugam nostram, nunquam iam nostrum earum interuallũ fuit.

tam longum

Misi ad te exemplum literarum mearum ad Cæsarem, quibus me aliquid profecturum puto. Vale.

Cicero Imp. S. D. Cæsari Imp.

VT legi tuas literas, quas ab Furnio nostro acceperam, quibus mecum agebas, ut ad Vrbem essem, te uelle uti cõsilio, & dignitate mea, minus sum admiratus: de gratia, & de ope quid significares, mecum ipse quærebã: spe tamen deducebar ad eam cogitationẽ, ut te pro tua admirabili, ac singulari sapientia de otio, de pace, de concordia ciuium agi uelle arbitrarer: & ad eam rationem existimabam satis aptam esse & naturam, & personam meam. quod si ita est, & siqua de Põpeio nostro tuendo, & tibi, ac Reip. reconciliando cura te attingit: magis idoneum, quàm ego sum, ad eam causam profecto reperies neminem: qui & illi semper, & senatui, cum primum potui, pacis auctor fui: nec sumptis armis belli ullam partem attigi: iudicauíque te eo bello uiolari, contra cuius honorem populi R. beneficio conæssum inimici, atque inuidi niterẽtur. sed, ut eo tempore non modo ipse auctor dignitatis tuæ fui, uerũ etiã cæteris auctor ad te adiuuandum: sic me nunc Põpeij dignitas uehemẽter mouet: aliquot enim sunt anni, cũ uos duos delegi, quos præcipue colerẽ, & quibus essem, sicut sum, amicissimus. Quamobrẽ à te peto, uel potius precibus omnibus oro, & obtẽstor, ut in tuis maximis curis aliquid impertias tẽporis huic quoque cogitationi, ut tuo beneficio bonus uir, gratus, pius denique esse

in maximi beneficij memoria possim. quæ si tantum ad me ipsum pertinerent, sperarem me à te tamen impetraturum: sed ut arbitror, & ad tuam fidem, & ad Remp. pertinet, me & pacis, utriusque uestrum, & ad ciuium concordiam, per te, quam accommodatissimum conseruari. Ego, cum antea tibi de Lentulo gratias egissem, cum ei saluti, qui mihi fuerat, fuisses: tamen eius literis lectis, quas ad me gratissimo animo de tua liberalitate, beneficióque misit, eandem me salutem à te accepisse putaui, quam ille. in quẽ si me intelligis esse gratum, cura obsecro ut etiam in Pompeium esse possim. Vale.

CICERO ATTICO S.

LEGEBAM tuas literas XIII. Cal. cum mihi epistola affertur à Lepta, circũiri allatum esse Põpeium, ratibus etiam exitus portus teneri. Non mediusfidius præ lacrimis possum reliqua nec cogitare, nec scribere. misi ad te exẽplum. Miseros nos, cur non omnes fatũ illius unà executi sumus? Ecce eadem à Matio, & Trebatio: quibus Minturnis obuij Cæsaris tabellarij. Torqueor infelix, ut iã illum Mutianum exitum exoptẽ. At quàm honesta, at quàm expedita tua consilia? quàm euigilata tuis cogitationibus? quà itineris, quà nauigationis, quà congressus, sermonisque cum Cæsare. Omnia tum honesta, tum cauta. In Epeirum uero imitatio quàm suauis, quàm liberalis, quàm fraterna? De Dionysio sum admiratus: qui apud me honoratior fuit, quàm apud Scipionem Panetius: à quo impurissime hæc nostra fortuna despecta est. Odi hominem, & odero: utinam ulcisci possem: sed illum ulciscentur mores

sui. Tu quæso nunc uel maxime, quid agendum nobis sit, cogita. Populi R. exercitus Cn. Pompeium circunsidet: fossa & uallo septum tenet: fuga prohibet. Nos uiuimus, & stat urbs ista? Prætores ius dicunt? AEdiles ludos parant? uiri boni usuras perscribunt? ego ipse sedeo? coner illuc ire, ut insanus? implorare fidem municipiorum? boni non sequentur: leues irridebunt: rerum nouarum cupidi, uictores præsertim, & armati, um, & manus afferēt. Quid cēnses igitur? & quid-
* nam est tui cōsilij adfinis huius miserrimæ uitæ? nunc
dŏm doleo, nunc torqueor, cum quibusdam aut sapiens uideor, quòd unà non ierim, aut felix fuisse: mihi contra: nunquam enim illius uictoriæ socius esse uolui, cala-
mā(a mitatis mallem fuisse. Quid ego nunc tuas literas, quid tuam prudentiam, aut beneuolentiā implorem? actum est. nulla re iam possum iuuari, qui nequid optem quidem iam habeo, nisi ut aliqua inimici misericordia li-
miseri cōcordiā beretur. οὐκ ἐς ἴτυμος λόγος (ut opinor) ille de ratibus. quid enim est, quod Dolabella ijs literis, quas III. Id. Mart. à Brundusio dedit, hanc ὀκνιρίαν quasi Cæsaris scriberet, Pompeium in fuga esse, eúmque primo uento nauigaturum? quod ualde discrepat ab ijs epistolis, quarum exempla antea ad te misi. Hic quidē mera scelera loquuntur: sed non erat nec recentior auctor, nec huius rei quidē melior Dolabella. Vale.

Ead epistola in uulgari

CICERO ATTICO S.

TVAS XI. Cal. accepi literas, quibus omnia consilia differs in id tempus, cum scierimus quid actum sit.
nō modo Et certe ita est: nec interim potest quicquam statui, ne cogitari quidem. Quanquam hæ mihi literæ Dolabel-

læ iubent ad priſtinas cogitationes reuerti: fuit enim pridie Quinquatrus egregia tẽpeſtas, qua ego illum uſum puto. συναγωγὴ conſiliorum tuorum non eſt à me collecta ad querelam, ſed magis ad conſolationem meam. nec enim me tam hæc mala angebant, quàm ſuſpicio culpæ, ac temeritatis meæ. Eam nullam puto eſſe, quoniam cum conſilijs tuis mea ꝙ facta, & cõſilia conſentiunt. Quòd mea prædicatione factum eſſe ſcribis magis, quàm illius merito, ut tantum ei deberе uiderer: eſt ita. Ego illũ extuli ſemper, & eo quidem magis, nequidille ſuperiorum meminiſſe me putaret. Quæ ſi maxime meminiſſem, tamen illius temporis ſimilitudinem iam ſequi deberem. Nihil me adiuuit, cum poſſet: & poſtea fuit amicus, & tam ualde, & quam ob cauſam, planè ſcio. Ergo ego quoque illi. Quum etiam illud par in utroque noſtrum, quòd ab * eiſdem illecti ſumus. Sed utinam tantum ego ei prodeſſe potuiſſem, quantum ille mihi potuit. Mihi tamen, quod fecit, eſt gratiſſimum. Nec ego eum nunc iuuare quaꝫre poſſum, ſcio: nec ſi poſſem, cum tam peſtiferum bellum pararet, adiuuandum putarem. Tantum offendere animum eius hic manens nolo. Nec mehercule iſta uidere, quæ tu potes iã animo prouidere, nec intereſſe iſtis malis poſſem. Sed eo tardior ad diſcedendum fui, quòd difficile eſt de diſceſſu uolũtario ſine ulla ſpe reditus cogitare: nam ego hunc ita paratum uideo peditatu, equitatu, claſſibus, auxilijs Gallorum, quos Matius ἐσάλπιγκτον (ut puto) ſed certe dicebat, peditũ, equitum ſe pollicẽri ſumptu ſuo annos decem. Sed ſit hoc κάτισμα. Magnas habet certe copias, & habebit non ille uectigal, ſed ciuium bona. Adde confidentiam ho-

minis, adde imbecillitatem bonorũ urorum, qui quidem, quòd illum sibi merito iratum putant, oderunt.

* Vt tu scribis ludum. Ac uellem, scribis, quisnam hæc significasset. Sed & iste, quia plus ostenderat, quàm fecit, & uulgo illum, qui amarunt, non amant. Municipia uero, & rustici Romani illum metuunt: hunc adhuc diligunt. quare ita paratus est, ut, etiam si uincere non possit, quomodo tamen ipse iunci possit, non uideam. Ego autem non tam γοητείαν huius timeo, quàm παθανάγκην: αἱ γὰρ τῶν τυράννων δέησεις, inquit πλάτων, οἶδ' ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις. illa ἀλίμενα uideo tibi non probari: quæ ne mihi quidẽ placebant: sed habebam in illis & occultationem, & ὑπηρεσίαν fidelem. quæ si mihi Brundusij suppetant, mallem. Sed ibi occultatio nulla est. Verum (ut scribis) cum sæmus. Viris bonis me non nimis excuso: quas eos enim cœnas & facere, & obire scripsit ad me Sextus? quàm lautas, quàm tempestiuas? sed sint quamuis boni: non sunt meliores, quàm nos: mouerent me, si essent fortiores.

De Lanuino Phameæ erraui: Troianum somniaueram. Id ego uolui Q. sed pluris est. Istud tamen, cuperem emeres, si ullam spem fruendi uiderem. Nos quæ monstra quotidie intelligamus, ex illo libello, qui in epistolam coniectus est. Lentulus noster Puteolis est, ἀδημονῶν, ut Cæcius narrat. Quid agat? διατροπὴν Corfiniẽsem reformidat: Pompeio nunc putat satisfactum: beneficio Cæsaris mouetur: sed tamen mouetur magis prospecta re, nec hæc posse ferre. Omnia misera: sed hoc nihil miserius. Pompeius Cn. Magum de pace misit, & tamen oppugnatur, quod ego non credebam. Sed habeo à Balbo literas, quarum

ad te exemplum misi. Lege, quæso, & illud imsimum caput ipsius Balbi optimi, cui Cneus noster locum ubi hortos ædificaret, dedit: quem cui nostrum non sæpe prætulit? itaque miser torquetur. Sed, ne bis eadem legas, ad ipsam te epistolam reijcio. Spem autem pacis habeo nullam. Dolabella suis literis Idib. Martij datis meerum bellum loquitur. Maneamus ergo in illa eadē sententia misera, & desperata, quando hoc miserius esse nihil potest.

Balbus Ciceroni Imp. S.

CAESAR *nobis literas perbreues misit, quarum exemplū subscripsi. Breuitate epistolæ scire poteris eum ualde esse distentum, qui tanta de re tam breuiter scripserit. Siquid prætereà noui fuerit, statim tibi scribā. Cæsar Oppio Cornelio S. Ad VII. Id. Mart. Brunduſium ueni: ad murum castra posui. Pompeius est Brunduſij: misit ad me Cn. Magium de pace. quæ uisa sunt, respondi. Hoc uos statim scire uolui. Cum in spem uenero de compositione aliquid me confícere, statim uos certiores faciā. Valete. Quomodo me nunc putas mi Cicero torqueri, postquam rursus in spem pacis ueni, nequa res cōpositionem eorum impediat? nanque, quod absens facere possum, opto. quod si unà essem, aliquid fortasse proficere possem. Nunc expectatione crucior. Vale.*

CICERO ATTICO S.

MISERAM *ad te VIII. Cal. exemplū epistolæ Balbi ad me, & Cæsaris ad eum. Ecce tibi eodē die Capua literas accepi ab Q. Pedio, Cæsarem ad se prid. Id.*

Mart. misisse literas hoc exemplo, Pompeius se oppido tenet. Nos ad portas castra habemus: conamur opus magnum, & multorum dierum propter altitudinem maris: sed tamen nihil est quod potius faciamus. Ab utroque portus cornu moles iacimus, ut aut illum quamprimum transire quod habet Brundusij copiarũ cogamus, aut exitu prohibeamus. Vbi est illa pax, de qua Balbus scripserat torqueri se? ecquid acerbius? ecquid crudelius? atq; cũ loqui quidã αὐθεντικῶς narrant, Cn. Carbonis, M. Bruti se pœnas persequi, omniúmque eorum, in quos Sulla crudelis hoc socio fuisset: nihil Curionem se duce facere, quod non hic Sulla duce fecisset: ad ambitionem, quibus exilij pœna superioribus legibus non fuisset, ab illo patriæ proditores de exilio reductos esse: queri de Milone per uim expulso: neminem tamen se uiolaturum, nisi qui arma hæc contra. Bebius quidã à Curione III. Id. profectus, homo non infans, sed quis ulli nõ dicat? planè nescio quid agam. Illinc quidem Cneum profectum puto. Quicquid est, biduo scietis. Ad te nihil ne ante prorsus quidem quid literarum: nec mirum: quid enim est quod scribamus? ego tamen nullũ diem prætermitto. Scripta epistola, literæ mihi ante lucem à Lepta Capuã redditæ sunt Idib. Mart. Pompeium à Brundusio conscendisse, ac Cæsarem ad VII. Cal. Apr. Capuæ fore. Vale.

CICERO ATTICO S.

CVM dedissem ad te literas, ut scires Cæsarem Capuæ VII. Cal. fore, allatæ mihi sunt literæ, eum in Albano apud Curionem V. Cal. fore. Eum cum uidero, Arpi-

num pergam. si mihi ueniam, quam peto, dederit, utar conditione: sin minus, impetrabo aliquid à me ipso. Ille, ut ad me scripsit, legiones singulas posuit Brundusij, Tarenti, Siponti. claudere mihi uidetur maritimos exitus, & tamen ipse Græciam spectare potius, quàm Hispanias. sed hæc longius absunt. Me nunc & congressus huius stimulat (is uero adest) & primas eius actiones horreo: uolet enim (credo) S. C. facere: uolet Augurũ decretum: rapiemur, aut absentes uexabimur, uel ut Consules roget Prætor, uel Dictatorem dicat, quorum neutrum ius est. at si Sulla potuit effiere, ab interrege ut Dictator diceretur, & magister equitum: cur hic non possit? nihil expedio, nisi ut aut ab hoc tanquam Q. Mutius, aut ab illo tanquã L. Scipio. Cum tu hæc leges, ego illum fortasse conuenero. πέτλα νύντερον, ne illud quidem nostrum propriũ. erat enim spes propinqui reditus, erat hominum querela: nunc exire cupimus, qua spe reditus, mihi quidem nunquam in mentem uenit. non modo autem nulla querela est municipalium hominum, ac rusticorum, sed contrà metuunt ut crudelẽ, iratum. nec tamen mihi quicquam est miserius, quàm remansisse: nec optatius, quàm euolare, non tam ad belli, quàm ad fugæ societatem. sed tu omnia cõsilia differebas in id tempus, cum sciremus quæ Brundusij acta essent, scimus nempe: hæremus nihilo minus: uix enim spero mihi hũc ueniam daturum: etsi multa affero iusta ad impetrandum. Sed tibi omnem illius meúmque sermonem omnibus uerbis expressum statim mittam. Tu nunc omni amore enitere ut nos cura tua, & prouidentia iuues. Ita subito accurrit, ut ne Trebatiũ quidem, ut constitueram, possim uidere. om-

de

ab

&

ob

te enim

&

&

&

prudẽtia

trabelio

nia nobis imparatis agenda, sed tamen ἄλλα μὲν αὐτὸς, ut ait ille, ἄλλα δ' ἐκ καὶ δαίμων ὑποθήσεται. quicquid egero, continuo scies. Mandata Cæsaris ad Consules, & ad Pompeium quæ rogas, nulla habeo: quæ descripta attulit, illa è mea misi ad te: è quibus mandata puto intelligi posse. Philippus Neapoli est, Lentulus Puteolis. De Domitio, ut facis, sciscitare ubi sit, quid cogitet. Quòd scribis asperius me, quàm mei patiantur mores, de Dionysio scripsisse: uide, quàm sim antiquorum hominum. te mediusfidius hanc rem grauius putaui laturũ esse, quàm me. nã præterquam quòd te moueri arbitror oportere iniuria, quæ mihi à quoquã facta sit: præterea te ipsum quodam modo hic uiolauit, cum in me tam improbus fuit: sed tu id quanti æstimes, tuum iudicium est: nec tamen in hoc tibi quicquã oneris impono: ego autem illum male sanum semper putaui, nunc etiam impurum, & sceleratum puto, nec tamen mihi inimiciorem, quàm sibi. Philargyro bene: causam certe habuisti & ueram, & bonam: relictum esse me potius, quàm reliquisse. † Cum dedissem iam literas ad VIII. Cal. quos cum Matio pueros, & Trebatio miserã, epistolam mihi attulerunt hoc exemplo.

Matius, & Trebatius Ciceroni Imperatori S.

Cum Capua exissemus, in itinere audiuimus Pompeiũ Brundusio ad XVI. Calen. Apr. cum omnibus copijs, quas habuerat, profectum esse: Cæsarem postero die in oppidum introisse, concionatum esse, inde Romam contendisse, uelle ante Cal. esse ad Vrbem, & paucos dies ibi commorari, deinde in Hispanias proficisci. nobis non alienum uisum est, quoniam de aduentu Cæsaris pro certo habebamus, pueros tuos ad te remittere,

ut id tu quamprimum ſcires. Mandata tua nobis curæ ſunt. eáque, ut tempus poſtularit, agemus. Trebatius Scæuola facit, ut antecedat. Epiſtola conſcripta nũciatum eſt nobis, Cæſarem ad VIII. Cal. Capuæ, ad VII. Sinueſſæ. hoc pro certo putamus. Vale.

CICERO ATTICO S.

CVM quid ſcriberem ad te nihil habere, tamen, ne quẽ diem intermitterem, has dedi literas. Ad VII. Calend. Cæſarem Sinueſſæ manſurum nunciabant. ab eo mihi literæ redditæ ſunt ad VII. Cal. quibus iam opes meas, nõ, ut in ſuperioribus literis, opẽ expectat. cũ eius clementiã Corfinienſem illã per literas collauda uiſſem, reſcripſit hoc exemplo. Cæſar imp. Ciceroni imp. S. Recte auguraris de me (bene enim tibi cogni tus ſum) nihil à me abeſſe longius crudelitate. atq; ego cum ex ipſa re magnã capio uoluptatem: tum meum fa ctum probari abs te triumpho, & gaudeo. neque illud me mouet, quòd ij qui à me dimiſſi ſunt, diſceſſiſſe dicũtur, ut mihi rurſus bellũ inferrent: nihil enim malo, quàm & me mei ſimilẽ eſſe, & illos ſui. Tu uelim mihi adVrbẽ præſto ſis, ut tuis cõſilijs, atque opibus (ut conſueui) in omnibus rebus utar. Dolabella tuo nihil ſcito mihi eſſe iucundius. hanc adeo habebo gratiã illi: neque enim aliter facere poterit: tanta eius humanitas, is ſenſus, ea in me eſt benẽuolentia. Valẽ.

CICERO ATTICO S.

TREBATIVM VI. Cal. quo die has literas dedi, expectabã. ex eius nuntio, Matij q; literis meditabor quo modo cum illo loquar. ò tempus miſerum, nec dubito

quin à me contendat ad Vrbẽ ueniam: senatum enim Cal. uelle se frequẽtem adesse, etiam Formijs proscribi iussit. Ergo ei negandum est? sed quid præripi? statim ad te perscribam omnia. ex illius sermone statuam, Arpinúmne mihi eundum sit, an quò alió. Volo Ciceroni meo togam puram dare, istic puto. tu quæso cogita quid demde: nam me hebetem molestiæ reddiderunt. A' Curio, uelim scire ecquid ad te scriptum sit de Tirone: ad me enim ipse Tiro ita scripsit, ut uerear quid agat. qui autem ueniunt inde, id modo nuntiant. sanè in magnis curis etiam hæc me solicitant: in hac enim fortuna perutilis eius & opera, & fidelitas esset.

CICERO ATTICO S.

VTRVNQVE ex tuo consilio: nam & oratio fuit ea nostra, ut bene potius ille de nobis existimaret, quàm gratias ageret: & in eo mansimus, ne ad Vrbem. illa fefellerunt, facilem quòd putaramus: nihil uidi minus. dãnari se nostro iudicio: tardiores fore reliquos, si in his nõ ueniremus, dicere. ego, dissimulem illorum esse causam. Cum multa, Veni igitur, & age de pace. Meóne, inquam, arbitratu? An tibi, inquit, ego præscribã? Sic, inquam, agam, senatui non placere in Hispanias iri, nec exercitus in Græciam transportari: multáque inquã de Cneo deplorabo. Tum ille, Ego uero ista dici nolo. Ita putabam, inquam. Sed ego eo nolo adesse, quòd aut sic mihi dicendum est, multáque, quæ nullo modo possẽm silere, si adessem: aut non ueniendum. summa fuit, ut ille quasi exitum quærens, ut deliberarem. non fuit negandum. ita discessimus. Credo igitur hunc

me non amare. at ego me amaui, quod mihi iam pridem usu non uenit. Reliqua ὁ Διί, qui comitatus, quæ, * ut tu soles dicere, νυνὶ τὰς; in qua erat Eros Celeri. Ὁ rem perditam, ὁ copias desperatas. Quid? Seruij filius. quot, in his castris fuerunt, quibus Pompeius circunsederetur? Sex legiones. multum uigilat, audet. nullum ui deo finem mali. nunc certe promenda tibi sunt consilia. hoc fuerat extremum. illa tamen ἀκατάπυστος illius est odiosa, quam penè præterij: si sibi consilijs nostris uti non licæret, usurum quorum posset, ad omniaque esse descensurum. Vidisti igitur uirum, ut scripseras? ingemuisti? certe. cedo reliqua. quid? continuo ipse in Puteolanum, ego Arpinum. inde expecto quidem ἀλλὰ τίλσαν illam tuam. Tu (malum) inquies, actum ne agas. etiam illum ipsum, quem sequimur, multa fefellerunt. Sed ego tuas literas expecto: nihil est enim iam, ut antea, VIDEAMVS HOC QVORSVM EVADAT. Extremum fuit de congressu nostro. quo quidem non dubito quin istum offenderim. eo maturius agendum est. amabo te epistolam, καὶ πολιτικήν. ualde tuas literas nunc expecto. Vale.

CICERO ATTICO S.

EGO meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potissimum togam puram dedi: idque municipibus nostris fuit gratum. etsi omneis, & illos, & qua iter feci mœstos, afflictósque uidi: tam tristis, & tam atrox est ἀναβιώρησις huius ingentis mali. delectus habetur. in hiberna deducantur. ea quæ, etiam cum à bonis uiris, cum iusto in bello, cum modeste fiunt, tamen ipsa per se molesta sunt: quàm censes acerba nunc esse,

cum à perditis, in ciuili nefario bello, petulantissime fiant? caue autem putes quenquam hominem in Italia turpē esse, qui hinc absit. uidi ipse Formijs uniuersos: neque mehercule unquam homines putaui: & non eram omneus, sed nunquam uno loco uideram. Pergamus igitur quò placet, & nostra omnia relinquamus: proficiscamur ad eum, cui gratior noster aduētus erit, quàm si unà fuissemus: tum enim eramus in maxima spe: nunc, ego quidem, in nulla: nec præter me quisquam Italia cessit, niſi qui hunc inimicum ſibi putaret. nec mehercule hoc facio Reip. causa, quam funditus deletam puto, ſed nequis me putet ingratum in eū qui me leuauit ijs incōmodis, quibus idē affecerat: & ſimul quòd ea quæ fiūt, aut quæ ærte futura ſunt, uidere non potero. Etiam equidem S.C. facta quædam iam puto: utinā in Volcatij ſententiam. ſed quid refert? eſt enim una ſententia omnium. ſed erit immitiſſimus Seruius, qui filium miſit ad affligendum Cn. Pōpeium, aut ærte capiendum, cum Pontio Titiniano. etſi hic quidem timoris causa, ille uero. ſed ſtomacharī deſinamus, & aliquando ſententiam terminemus, ut nihil noui, niſi id quod minimum uellem, ſpiritum reliquum eſſe. Nos, quoniam ſuperū mare obſidetur, infero nauigabimus: & ſi Puteolis erit difficile, Crotonem petēmus, aut Thurios, & boni ciues amantes patriæ mare infeſtum habebimus. aliam rationem huius belli gerendi nullam uideo. in AEgyptum nos abdimus. exercitu pares eſſe non poſſumus. pacis fides nulla eſt. ſed hæc ſatis deplorata ſunt. Tu uelim literas Cephaloni des de omnibus rebus actis, denique etiam de ſermonibus hominum, niſi planè obmutue-

runt. ego tuis consilijs usus sum, maxime quòd & grauitatem in congressu nostro tenui, quam debui, & ad Vrbem ut non accederem, perseueraui. Quod superest, scribe quæso quàm accuratissime (iam enim extrema sunt) quid placeat, quid conseas: etsi iam nulla dubitatio est: tamen si quid, uel potius quicquid ueniet in mentem, scribas uelim. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T. POMPONIVM ATTICVM LIBER X.

CICERO ATTICO S.

III. Non. cum in Laterium fratris ueni essem, accepi literas, & paulum respiraui, quod post has ruinas mihi non acciderat: per enim magni æstimo, tibi firmitudinem animi nostri, & factum nostrum probari: Sexto enim nostro quòd scribis probari, ita lætor, ut me quasi patris eius, cui semper uni tribui plurimum, iudicio, comprobari putem: qui mihi, quod sæpe soleo recordari, dixit olim Nonis illis, illis Decembribus, cum ego, Sexte, quidnam ergo? Μὴ μὰν, inquit ille, ἀσπαστά γε καὶ ἀκλεᾶς ἀπολοίμην, Ἀλλὰ μίγα ῥίξας, τίνα ἐσομένοισι πυθέσθαι. eius igitur mihi uiuit auctoritas, & simillimus eius filius eodem est apud me pondere, quo fuit ille: quem saluere uelim

iubeas plurimum. tu tuum cõsilium etsi non in longum tẽpus differs (iam enim illum emptum pacificatorem peroraſſe puto, iam actum aliquid eſſe in cõ
ſeſſu Senatorum, tamen ſuſpenſum me detines, ſed eõ minus, quòd non dubito quid nobis agendũ putes. quid enim Flauio legionem, & Siciliam dari ſcribis? & id iam fieri? quæ tu ſcelera partim parari, & iam cogitari, partim ex tempore futura cenſes? Ego uero Solonis popularis tui, & ut puto, etiam mei, legem neglegam, qui capite ſanxit, ſiqui in ſeditione non alterutrius partis fuiſſet (niſi tu aliter cenſes) & hinc abero, & filij: ſed alterum mihi eſt ærtius: nec præripiam tamen, expectabo tuum cõſilium, & eas literas, niſi alias iam dediſti, quas ſcripſi ut Cephaloni dares. Quòd ſcribis, nõ quo alicunde audieris, ſed ipſum putare, me attractum iri, ſi de pace agatur: mihi omnino non uenit in mentem, quæ poſſit actio eſſe de pace, cum illi ærtiſſimum ſit, ſi poſſit, expoliare exercitu, & prouincia Pompeium. niſi fortè iſte ſummarius ei poteſt perſuadere, ut, dum oratores eant, & redeant, quieſcat. nihil uideo quod ſperem, aut quòd iam putem fieri poſſe. ſed tamen hominis hoc ipſum probi eſt, & magnũ ſit τῶν πολιτικωτάτων σημμάτων, ueniendúmne ſit in cõſilium tyrãni, ſi is aliqua de re bona deliberaturus ſit. Quare ſiquid eiuſmodi eue nerit ut acœrſamur: quod equidem non curo: quid enim eſſem de pace dicturus, dixi: ipſe ualde repudiauit: ſed tamen ſiquid acciderit, quid cenſeas mihi faciendum, utique ſcribito. nihil enim mihi adhuc accidit quod maioris cõſilij eſſet. Trebatij boni uiri, & ciuis uerbis te gaudeo delectatum: tuáque iſta crebra

ἐυφώνιος ὑπάρχα me sola adhuc delectauit. Literas tuas uehementer expecto, quas quidem credo iam datas esse. Tu cum Sexto seruasti grauitatem eandem, quam mihi præcipis. Celer tuus disertus magis est, quàm sapiens. De iuuenibus, quæ ex Tullia audisti, uera sunt. M. Antonij istud quod scribis, non mihi uidetur tam re esse triste, quàm uerbo. hæc est ἄλη, in qua nunc sumus, mortis instar: aut enim mihi libere inter malos πολιτεύτεον fuit, aut uel periculose cum bonis, aut nos temeritatem bonorum sequamur, aut audaciã improborũ insectemur. utrunque periculosum est. at hoc quod agimus, & turpe, nec tamen tutum. Istum, qui filiũ Brundusium de pace misit, (de pace idem sentio quod tu, simulationem esse apertam, parari autem bellum acerrime) me legatum iri non arbitror, cuius adhuc (ut optaui) mentio facta nulla sit. eo minus habeo necesse scribere, aut etiam cogitare quid sim facturus, si acciderit, ut legarer. Vale.

CICERO ATTICO S.

EGO CVM accepissem tuas literas Non. Apr. quas Cephalio attulerat, essémq; Minturnis postridie mansurus, & inde protinus insustinui me in Arcano fratris, ut, dum aliquid certius afferretur, occultiore in loco essemus, agerentúrque nihilo minus quæ sine nobis * agi possunt. MMTEYCA iam adest, & animus ardet: nec est quicquam, quò, & quà: sed hæc nostra erit cura, & peritorum. tu tamẽ, quoad poteris, ut adhuc feceris, nos consilijs iuuabis. res sunt inexplicabiles. fortunæ sunt committenda omnia. sine spe conamur nulla. melius si quid acciderit, mirabimur. Dionysiũ

nolim ad me profectũ: de quo ad me Tullia *mea scripsit, sed & tẽpus alienum est, & homuni nõ amico nostra incõmoda, tanta præsertim, spectaculo esse nollem: cui te meo nomine inimicum esse nolo.* Vale.

CICERO ATTICO S.

CVM: *quid scriberem, planè nihil haberem, hæc autem reliqua essent, quæ scire cuperẽ, profectúsne esset, quo in statu* Vrbem *reliquisset, in ipsa* Italia *quem cuique regioni, aut negotio præfecisset, & qui essent ad* Pompeium, *& ad Consules ex S.C. de pace legati: ut igitur hæc scirem, dedita opera has ad te literas misi. feceris igitur commode, mihique gratum, si me de his rebus, & siquid erit aliud quod scire opus sit, feceris certiorem. ego in* Arcano *opperior, dum ista cognosco.* Ad VII Id. *alteram tibi eodem die hanc epistolam dictaui, & pridie dederam mea manu longiorem.* Visum te aiunt *in regia. nec reprehendo, quippe cui ipse istam reprehẽsionem non fugerim. sed expecto tuas literas: neque iam sanè uideo quid expectem: sed tamen, etiam si nihil erit, id ipsum ad me uelim scribas.* Cæsar *mihi ignoscit per literas quòd non uenerim, seséque in optimam partem id accipere dicit. facile patior, quod scribis, secum* Tullium, *&* Seruium *questos esse, quia non idem sibi quod mihi, remisisset. homines ridiculos, qui cum filios misissent ad* Cn. Pompeium *circunsidendũ, ipsi in senatum uenire dubitarent. sed tamen exemplũ misi ad te* Cæsaris *literarum.* Vale.

ego

CICERO ATTICO S.

MVLTAS *à te accepi epistolas eodem die, omneis di-*

litteras

ligenter scriptas. ea uero, quæ uoluminis instar erat sæpe legenda, sicuti facio: in qua non frustra laborem suscepisti: mihi quidem pergratum feceris. quare, ut id, quoad licebit, id est quoad scies ubi sumus, quàm sæpissime facias, te uehementer rogo. At deplorandi quidem, quod quotidie facimus, sit iam nobis aut finis omnino, si potest: aut moderatio quædã, quod profecto potest: nõ enim quam dignitatem, quos honores, quẽ uitæ statũ amiserim, cogito: sed quid consecutus sim, quid præstiterim, qua in laude uixerim: his deniq; in malis quid interfuit inter me, & istos, quos propter omnia amisimus. hi sunt, qui, nisi me ciuitate expulissent, obtinere se non posse putarunt licentiã cupiditatum suarũ: quorũ societas, & sceleratæ consensionis fides quò eruperit, uides. alter ardet furore, & scelere, nec remittit aliquid, sed in dies ingrauescit: modo Italia expulit: nunc alia ex parte persequi, ex alia prouincia spoliare conatur: nec iam recusat, sed quodammodo postulat ut, quemadmodum est, sic etiam appelletur tyrannus. alter, is qui nos sibi quondã ad pedes stratos ne subleuabat quidem, qui se nihil contra huius uoluntatem aiebat facere posse, elapsus è soceri manibus, ac ferro, bellum terra, & mari comparat, non iniustum ille quidem, sed tum pium, tum etiam necessarium, suis tamẽ ciuibus exitiabile, nisi uicerit: calamitosum etiam, si uicerit. Horum ego summorum imperatorũ nõ modo res gestas non antepono meis, sed ne fortunam quidem ipsam, qua illi florentissima, nos duriore conflictati uidemur. quis enim potest aut deserta per se patria, aut oppressa beatus esse? & si (ut nos à te admonemur) recte in illis libris diximus, nihil esse bonum, nisi

quod honestum: nihil malum, nisi quod turpe sit: certe uterque istorum est miserrimus, quorũ utrique semper patriæ salus, & dignitas posterior sua dominatione, & domesticis commodis fuit. Præclara igitur con- & scientia sustentor, cum cogito me de Rep. aut meruisse optime, cum potuerim: aut certe nunquam, nisi diuine, cogitasse, eáque ipsa tempestate euersam esse Rempu. quam ego XIIII annis ante prospexerim. Hac igitur conscientia comite proficiscar, magno equidem cum dolore, nec tam id propter me, aut propter fratrem meum, quorum iam acta ætas, quàm propter pueros: quibus interdum uidemur præstare etiam Remp. debuisse: quorum quidẽ alter non tam quia maiore pietate est, me mirabiliter excruciat: alter (ò rem miserã, nihil enim mihi accidit in omni uita acerbius) indulgentia uidelicet nostra depranatus, eò progressus est, quò non audeo dicere: & expecto tuas literas: scripsisti enim te scripturum esse plurima, cum ipsum uidisses. omne meum obsequium in illum fuit cum multa seueritate: neque unum eius, nec paruum, sed multa magna delicta compressi. patris autem lenitas amanda potius ab illo, quàm tam crudeliter negligenda. nam literas eius ad Cæsarem missas ita grauiter tulimus, ut te quidem ælaremus: sed ipsius uidemus uitam insuauem reddidisse. hoc uero eius iter, simulatióque pietatis qualis fuerit, nõ audeo dicere. tantum scio, post Hirtium conuẽtum, accersitum ab Cæsare: cum eo de meo animo ab suis rationibus alienissimo, & consilio relinquẽdi Italiam. & hæc ipsa timide: sed nulla nostra culpa est: natura metuẽda est. Hæc Curionẽ, hæc Hortensij filium, non patrum culpa, corrupit. iacet in mœ-

rore meus frater, neque tam de sua uita, quàm de mea metuit. Huic tu, huic tu malo affer cõsolationes, si ullas poteris: maxime quidem illam uelim, ea quæ ad nos delata sint, aut falsa esse, aut minora: quæ si uera sint, quid futurum sit in hac fuga, nescio. nam si haberemus Remp. consilium mihi non deesset nec ad seueritatem, nec ad indulgentiã. hæc siue iracundia, siue dolore, siue metu permotus, grauius scripsi, quàm aut tuus in illum amor, aut meus postulabat. si uera sunt, ignoscas: si falsa, me libentè eripies mihi hunc errorem. quoquo modo uero se res habeat, nihil assignabis nec patruo, nec patri. Cum hæc scripsissem, à Curione mihi nuntiatum est, eũ ad me uenire: uenerat enim is in Cumanum uesperi pridie, id est Idibus. siquid eius igitur sermo eiusmodi attulerit, quod ad te scribendũ sit, id in literis adiungam. Præterijt uillam meam Curio, iussitque mihi nuntiari mox se uenturum: cucurrítque Puteolos, ut ibi concionaretur. concionatus est: rediit: fuit ad me sanè diu. O rem fœdam. nosti hominem: nihil occultauit: in primis nihil esse ærtius, quàm ut omnes, qui lege Pompeia condemnati essent, restituerẽtur: itaque se in Sicilia eorum opera usurum. De Hispanijs non dubitabat quin Cæsaris essent. inde ipsum cum exercitu, ubicunque Pompeius esset: eius interitu finem belli fore: propius factum esse nihil, eum planè iracundia elatum, uoluisse excidi Metellum Trib. pl. quod si esset factum, cædem magnam futuram esse: permultos hortatores esse cædis, ipsum autem non uoluntate, aut natura non esse crudelem, sed quòd putaret popularem esse clementiam: quòd si populi studium amisisset, crudelem fore: eúmque perturbatum,

quòd intelligeret, se apud ipsam plebem offendisse de ærario: itaque ei cui ærtissimum fuisset ante quàm proficisceretur, concionem habere, ausum non esse, uehemẽtérque animo perturbato profectum. Cũ autem ex eo quærerem, quid uideret, quod exẽplum, quam Remp. planè fatebatur, nullam spem reliquam: Pompeij classem timebat: quæ si esset, se de Sicilia abiturũ. Quid isti, inquã, sex tui fasces? si ab senatu, cur laureati? si ab ipso, cur sex? Cupiui, inquit, ex S.C. surrepto: nam aliter non poterat. At ille impendio nunc magis odit senatum. Ame, inquit, omnia proficiscentur. sex autem, quia duodecim nolui: nam licebat. Tum ego, Quàm uellẽ, inquam, petijsse ab eo, quod audio Philippum impetrasse: sed ueritus sum, quia ille à me nihil impetrabat. Libenter, inquit, tibi concessisset. uerum puta te impetrasse: ego enim ad eum scribam, ut tu ipse uoles, de ea re nos inter nos locutos. quid autem illius interest, quoniam in senatum non uenis, ubi sis? quin nunc ipsum minime offendisses, eius causa si in Italia non fuisses. Atque ego me recessum, & solitudinẽ quærere, maxime quòd lictores haberem. Laudabat consilium. Quid ergo, inquã? nam mihi cursus in Græciã per tuã prouinciã est, quoniam ad mare superum milites sunt. Quid mihi, inquit, optatius? Hoc loco multa perliberaliter. ergo hoc quidẽ est uerum profecto, ut non modo tuto, uerum etiam palàm nauigaremus. Reliqua in posterum diem distulit: ex quibus scribam ad te, siquid erit epistola dignum. Sunt autem, quæ præterij, interrogúmne esset expectaturus, an quomodo dixerim. ad se ille quidem deferri Consulatum, sed se nolle in proximum annum. & alia sunt, quæ exquiram. iurabat ad

summam, quòd nullo negotio facæret, amicissimum mihi Cæsarẽ: Esse debet: quid enim, inquã, scripsit ad me Dolabella? Dico Quid? Affirmabat, cũ scripsisset, quòd me cuperet ad urbẽ uenire, illũ quidem gratias agere maximas, & non modo probare, sed etiam gaudere. quid quæris? atque iubebat: est enim suspicio illa domestici mali, & sermonis Hirciani. quàm cupio illum dignum esse nobis, & quàm ipse me muito, quæ pro illo sit suspicandum, sed opus fuit Hircio conuento. est profecto nescio quid. sed uelim quàm minimo. & tamen eum nondũ rediisse miramur. sed hæc uidebimus. Tu Oppios Terentiæ dabis: iam enim Vrbis unum periculum est. me tamen consilio iuua, pedibúsne Rhegyum, an hinc statim in nauem. cæterum, quoniam commoror, ego ad te statim habebo quod scribam, simul ut uidero Curionẽ. De Tirone cura quæso, quod facis, ut sciam quid is agat. De tota mea cogitatione scripsi ad te antea satis, ut mihi uisus sum, diligenter. de die nihil sanè potest scribi certi præter hoc, non ante lunam nouam. Curionis sermo postridie eandem habuit ferè summam, nisi quòd apertius significauit, se ea earum rerum exitum non uidere. Quod mihi mandas de quodam regendo, ἀρμοδίαν: tamen nihil prætermittam: atque utinam tu: sed modestior non ero. Epistolam ad Vestorium statim de Tullia: ac ualde requirere solebat. commodius tecum Vectenus est locutus, quàm ad me scripserat. sed mirari satis homines negligentiã non queo: cum enim mihi Philotimus dixisset, HS L. emere de Canuleio diuersorium illud posse, minoris etiam empturum, si Vectenum rogassem, rogaui ut siquid posset, ex ea summa detraheret: promisit:

ad me nuper, se HS XXX emisse, ut scriberem cui uellem addici: diem pecuniæ Idib. Nou. esse. rescripsi ei stomachosius, cum loco tamen familiari. nunc, quoniam agit liberaliter, nihil accuso hominem: scripsique ad eum, me à te œrtiorem esse factum. Tu de tuo iti nere quid, & quando cogites, uelim me œrtiorem facias. Ad XV Cal. Maij. Vale.

CICERO ATTICO S.

ME ADHVC nihil præter tempestatem moratur. astute nihil sum acturus. fiat in Hispania quidlibet: quo & tamen retiœ. Meas cogitationes omneis explicaui tibi superioribus literis. quo circa hæ sunt breues: & tamen quia festinabam, erámque occupatior de Quinto fratre, ita me quidem sedulo: sed nosti reliqua. Quod dem me mones, & amice, & prudenter mones: sed erũt omnia facilia, si ab uno illo cauero. magnum opus est. mirabilia multa. nihil simplex, nihil sincerum. uellem, suscepisses iuuenem regendum: pater enim nimis indulgens, quicquid ego astrinxi, relaxat. si sine illo possem, regerẽ, quod tu potes: sed ignosco. magnum inquam opus est. Põpeium pro œrto habemus per Illyricum proficisci in Galliam: ego nunc, quà, & quò, uidebo. Ego uero Apuliam, & Sipontum, & terguersationem istam probo, nec tuam rationem eandem esse duco, quàm meam. non quin in Rep. rectum idem sit utrique nostrum: sed ea non agitur. Regnandi contentio est, in qua pulsus est modestior Rex, & probior, & integrior, & is, qui nisi uincit, nomen populi R. deleatur necesse est: sin autem uincit, Sullano more, exemplóque uincet. Ergo hac in contentione neutrum tibi

palàm sentiendum, & tẽpori seruiẽdum est. mea causa autem alia est, quòd beneficio unctus, ingratus esse non possum: nec tamen in acie, sed Melitæ, aut alio in loco, siue in oppidulo futurum puto. Nihil, inquies, iuuas eum, in quem ingratus esse non uis? immo minus fortasse uoluisset. sed de hoc uidebimus. exeamus modo: quod ut meliore tempore possimus, facit Adriatico mari Dolabella, freto Siculensi Curio. iniecta autẽ mihi spes quædã est, uelle mecum Ser. Sulpitium colloqui. ad eum misi Philotimũ, cum literis. si uir esse uolet, præclara συνοδία: sin autem, erimus nos qui solemus. Curio mecum uixit, iacere Cæsarem putans offensione populari, Siciliáque diffidens. si Pompeius nauigare cœpisset. Quintum puerum accepi uehementer. auaritiã uideo fuisse, & spem magni congiarij. magnum hoc malũ est: sed scelus illud, quod timueramus, spero nullum fuisse. hoc autem utium puto te existimare non nostra indulgentia, sed à natura profectum. quẽ tamen nos disciplina regimus. De Oppijs Velienſibus quid placeat, cum Philotimo uidebis. Epeirum nostram putabimus: sed alios cursus uidebamur habituri. Vale.

CICERO ATTICO S.

ET RES ipsa monebat, & tu ostenderas, & ego uidebam, de his rebus quas intercipi periculosum esset, finem inter nos scribendi fieri tẽpus esse. sed cum ad me sæpe mea Tullia scribat, orans ut quid in Hispania geratur, expectem, & semper ascribat idem uideri tibi, idque ipse etiã ex tuis literis intellexerim: non puto esse alienum, me ad te, quid de ea re sentiam, scribere. Consilium istud tunc esset prudens, ut mihi uidetur, si no-

stras rationes ad Hispaniensem casum accommodaturi essemus: quod fieri dicitis oportere: necesse est enim aut id quod maxime uelim, pelli istũ ab Hispania, aut tra hi id bellum, aut istum, ut considere uidetur, apprehendere Hispanias. si pelletur, quàm gratus, aut quàm honestus tum erit ad Pompeium noster aduentus, cum ipsum Curionem ad eum trãsiturum putem? si trahitur bellum, quid expectem? aut quandiu? relinquitur, ut si uincimur in Hispania, quiescamus: id ego contra puto: istum enim uictorem magis relinquendum puto, quàm uictum, & dubitantem magis, quàm fidentem suis rebus: nam eædem uideo, si uicerit, & impetum in priuatorum pecunias, & exulum reditum, & tabulas nouas, & turpissimorum honores, & regnum non modo Romano homini, sed ne Persæ quidem cuiquam tolerabile. tacita esse poterit in id dignitas nostra? pati poterunt oculi me cum Gabinio sentẽtiam dicere? & quidẽ illum rogari prius? præsto esse clientẽ tuum Chlœlium, Catuli Plaguleium, cæteros? Sed cur inimicos colligo, qui meos necessarios à me defensos nec uidere in curia sine dolore, nec uersari inter eos sine dedecore potero? quòd si ne id quidẽ est exploratum, fore ut mihi liceat (scribũt enim ad me amici eius, me illi nullo modo satisfecisse quòd in senatũ non uenerim) tamẽn ne dubitemus, an si nos etiam cum periculo uenditemus, quicum coniuncti ne cum præmio quidem uoluimus esse? deinde hoc uide, non esse iudicium de tota contentione in Hispanijs: nisi forte his amissis arma Pompeium abiecturum putas, cuius omne consilium Themistocleũ est: existimat enim, qui mare teneat, eum necesse rerum potiri. Itaq; qui nunquam egit, ut Hispaniæ per

se tenerentur, naualis apparatus ei semper antiquissima cura fuit. nauigabit igitur, cum erit tempus, maximis classibus, & ad Italiam accedet: in qua nos sedentes quid erimus? nam medios esse iam non licebit. classibus aduersabimur igitur? quod malum maius scilicet tãtum? denique quid turpius? Annibal hic in absentis solus tuli scelus: eiusdem cum Pompeio, & cum reliquis principibus non feram? quòd si iam misso officio periculi ratio habenda est: ab illis est periculum, si peccaro: ab hoc, si recte fecero: nec ullum in his malis cõsilium periculo uacuum inueniri potest, ut non sit dubium, quin cum periculo fugiamus, quod fugeremus etiam cum salute. non simul cum Pompeio mare transierimus: omnino non potuimus. extat ratio dierum. Sed tamen (faceamur enim, quod est) ne condamnus quidem, ut possumus: fefellit ea res, quæ fortasse non debuit, sed fefellit: pacem putaui fore: quæ si esset, iratum mihi Cæsarem esse, cum idem amicus esset Pompeio, nolui: senseram enim, quàm ijdem essent. hoc ueritus in hanc tarditatem incidi: sed assequar omnia, si propero: si cunctor, amitto. Et tamen mi Attice auguria quoque me incitant quadã spe non dubia, non hæc collegij nostri ab Appio, sed illa Platonis de tyrannis: nullo enim modo posse uideo stare istum diutius, quin ipse per se, etiam languentibus nobis, concidat: quippe qui florentes ac nouos, ut uti diebus ipsi illi egenti, ac perditæ multitudini in odium acerbissimum uenerit, qui duarum rerum simulationem tam cito amserit, mansuetudinis in Metello, diuitiarum in ærario. Iam quibus utatur uel socijs, uel ministris, si ij prouincias, si Remp. regent, quorum nemo duos menses potuit patri-

an in caldo

cs /

/ turpius facto

cs /

rata /

eris

cs /

attico /

nouũ primo

uinet

in Afranio

monium suum gubernare? non sunt omnia colligenda: quæ tu acutissime prospicis. sed tamen ea pone ante oculos, iam intelliges id regnum uix semestre esse posse. quòd si me fefellerit, feram, sicut multi præclarissimi homines in Rep. excellentes tulerunt: nisi forte me Sardanapali uicę in suo lectulo mori malle censueris, quàm exilio Themistocleo: qui cum fuisset, ut ait Thucydides, τῶν τε παραχρῆμα δι' ἐλαχίστης βουλῆς πράτισος γνώμων, καὶ τῶν μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος ἀναξής, tamen incidit in eos casus, quos uitasset, si eũ nihil fefellisset. et si is erat (ut ait idem) qui τό, τε ἄμεινον ἢ χεῖρον ἐν τῷ παρεῖναι ἔτι προεώρα μάλιστα: tamen non uidit nec quomodo Lacædæmoniorum, nec quomodo suorum ciuium inuidiam effugeret, nec quid Artaxerxi polliceretur. non fuisset & illa nox tam acerba Africano sapientissimo uiro, non tam dirus ille dies Sullanus callidissimo uiro C. Mario, si nihil utrunque eorum fefellisset. Nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quod diximus: nec fallit, nec aliter accidet. corruat iste necesse est, aut per aduersarios, aut ipse per se, qui quidem sibi est aduersarius unus acerrimus. id spero uiuis nobis fore. quanq; tempus est nos de illa perpetua iam, non de hac exigua uita cogitare. sin quid acciderit maturius, haud sanè mea multum interfuerit, utrum factum uideam, an futurum esse multo ante uiderim. quæ cum ita sint, non est committendum, ut ijs pareamus, quos contra me senatus, nequid Resp. detrimenti acciperet, armauit. Tibi sunt omnia commendata: quæ commendationis meæ pro tuo in nos amore non indigent. ne hercule quidem reperio quid scribam: sedeo enim πλουσιώτατος: etsi nihil unquam tam

fuit scribendum, quàm nihil mihi unquã ex plurimis tuis iucunditatibus gratius accidisse, quàm quòd meam Tulliam suauissime, diligentissimeque coluisti. ualde eo ipsa delectata est, ego autem non minus. cuius quidem uirtus mirifica. quomodo illa fert publicam cladẽ? quomodo domesticas tricas? quantus autem animus in discessu nostro? σοφῆς sit summa σύντηξις: tamen nos recte facere, & bene audire uult. Sed hac super re nimis, ne meam ipse συμπάθειαν uocem. Tu, siquid de Hispanijs certius, & siquid aliud, dum adsumus, scribes: & ego fortasse discedens dabo ad te aliquid, eo etiã magis, quòd Tullia te non putabat ex Italia hoc tempore. cum Antonio item est agendum, ut cum Curione Melitæ me uelit esse, huic bello nolle interesse. eo uelim tam ut facili uti possem, & tam bono in me, quàm Curio. is ad Missenum VI. Non. uenturus dicebatur, id est hodie. sed præmisit mihi odiosas literas hoc exemplo. &

Antonius Trib. pl. Propr. Ciceroni Imp. S.

NISI te ualde amarem, & multo quidẽ plus, quàm putas, non extimuissem rumorem qui de te prolatus est, cum præsertim falsum esse existimarẽ: sed quia te nimio plus diligo, nõ possum dissimulare, mihi famã quoque, quãuis sit falsa, magni esse. te iturum trans mare, credere non possum, cum tanti facias Dolabellam, & Tulliam, fœminam lectissimam, tantique ab omnibus nobis fias, quibus mehercule dignitas, amplitudóq; tua penè charior est, quàm tibi ipsi. Sed tamen nõ sum arbitratus esse amici, nõ commoueri etiã improborum sermone. atq; eo feci studiosius, quòd iudicabam duriores partes mihi impositas esse ab offensione nostra, quæ

magis à ζηλοτυπία mea, quàm ab iniuria tua nata est: sic enim uolo te tibi persuadere, mihi neminem esse charioré te, excepto Cæsare, méque illud unà iudicare, Cæsarem maxime in suis M. Cicæronem reponere. Quare mi Cicero te rogo, ut tibi omnia integra serues, eius fidem improbes, qui tibi ut beneficium daret, prius iniuriam fecit: contrà, ne profugias, qui te, etsi non amabit (quod accidere non potest) tamẽ saluum, amplissimúmque esse cupiet. dedita opera ad te Calpurnium familiarissimum meum misi, ut mihi magnæ curæ tuam uitam, ac dignitatem esse scires. Eodem die à Cæsare Philotimus literas attulit hoc exemplo.

Cæsar Imp. M. Cicæroni Imp. S.

ETSI te nihil temere, nihil imprudenter facturũ iudicaram: tamen permotus hominum fama, scribẽdum ad te existimaui, & pro nostra benenolentia petendum, nequò progredereris inclinata iam re, qua integra etiam progrediendum tibi non existimasses: nanque & amicitiæ grauiorem iniuriam feceris, & tibi minus commode consuleris, si non fortunæ obsecutus uidebere: omnia enim secundissima nobis, aduersissima illis accidisse uidentur: nec causam secutus, eadẽ enim tum fuit, cũ ab eorũ consilijs abesse iudicasti: sed meum aliquod factum condemnasse: quo mihi grauius abs te nil accidere potest. quod ne facias, pro iure nostræ amicitiæ à te peto. Postremo quid uiro bono, & quieto, & bono ciui magis conuenit, quàm abesse à ciuilibus controuersijs? quod nonnulli cum probarent, periculi causa sequi non potuerunt. Tu explorato & uitæ meo testimonio, & amicitiæ iudicio, neque tutius, neque honestius repe

vries quicquã, quàm ab omni contentione abesse. XV. Cal. Mai. *ex itinere.* Vale.

CICERO ATTICOS.

A DVENTVS Philotimi (*at cuius hominis, quàm insulsi, & quàm sæpe pro* Pompeio *mentiẽtis*) *exanimauit omneis, qui mecum erant: nam ipse obdurui. dubitauit nostrum nemo, quin Cæsar itinera repressisset,* (*uolare dicitur*) Petreius *cum* Afranio *coniunxisset. nihil affert eiusmodi. quid quæris? etiam illud erat persuasum,* Pompeium *cum magnus copijs iter in* Germaniam *per* Illyricum *fecisse: id enim* ἀοθεντιῶς *nuntiabatur.* Melitam *igitur opinor capessemus, dum, quod in* Hispania *: quod quidẽ propemodum uideor ex Cæsaris literis ipsius uoluntate facere posse, qui negat neq; honestius, neque tutius mihi quicquã esse, quàm ab omni cõtentione abesse.* Dices, *Vbi ille ergo tuus animus, quem proximis literis? Adest, & idem est: sed utinam meo solum capite decernerem: lacrimæ meorũ me interdum molliunt precantium ut de* Hispanijs *expectemus.* M. Celij *quidem epistolam scriptam miserabiliter quæ hoc idẽ obsecraret, ut expectarẽ, ne fortunas meas, ne unicam filiam, ne meos omneis tam temere proderem, non sine magno fletu legerunt pueri nostri. etsi meus quidẽ est fortior, eóque ipso uehementius commouet, nec quicquã nisi de dignatione laborat.* Melitam *igitur, deinde quod uidebitur.* Tu *tamen etiam nunc mihi aliquid literarũ, & maxime siquid ab* Afranio. *ego, si cum* Antonio *locutus ero, scribam ad te quid actum sit: ero tamen in credendo, ut mones, cautus: nam occultandi ratio tum difficilis, tum etiam periculosa est.*

Seruũ expecto ad Nonas, & adijcit à Posthumia. sed & Seruij filij quartanam leuiorẽ esse gaudeo. Misi ad te Celij etiam literarum exemplum. Vale.

Celius M. Ciceroni Imp. S.

EXANIMATVS tuis literis, quibus te nihil, nisi triste cogitare ostendisti, neque id quod esset perscripsisti, neque non tamen quale esset quod cogitares, aperuisti: has ad te ilico literas scripsi. Per fortunas tuas Cicero, per liberos te oro, & obsecro, nequid grauius de salute, & incolumitate tua consulas: nam Deos, hominésque, amicitiámque nostrã testificor, me tibi prædixisse, neque temere monuisse: sed postquam Cæsarem conuenerim, sententiámque eius, qualis futura esset parta uictoria, cognorim, te ærtiorem fecisse. si existimas eandem rationem fore Cæsaris in dimittendis aduersarijs, & cõditionibus ferendis, erras. nihil nisi atrox & sæuum cogitat, atque etiã loquitur. iratus senatui exijt. his interæssionibus planè incitatus est. non mehercule erit deprecationi locus. Quare si tibi tu, si filius unicus, si domus, si spes tuæ reliquæ tibi caræ sunt, si aliquid apud te nos, si uir optimus gener tuus, ualet: eorũ fortunã non debes uelle cõturbare, ut eã causam, in cuius uictoria salus nostra est, odisse, aut relinquere cogamur: aut impiam cupiditatem contra salutem tuam habeamus. deniq; illud cogita, quod offensæ fuerit, in ista cunctatione te subisse. nunc te contra uictorem facere, quẽ dubijs rebus lædere noluisti, & ad eos fugatos accedere, quos resistentes sequi nolueris, summæ stultitiæ est. Vide, ne, dum pudet te parum optimatem esse, parum diligenter, quod optimum sit, eligas. Quòd si

totum tibi persuadere non possum, saltém, dum quid de Hispanijs agamus, scitur, expecta. quas tibi nuncio aduẽtu Cæsaris fore nostras. Quam isti spem habeant amissis Hispanijs, nescio. quod porrò tuum cõsilium sit ad desperatos accedere, nõ mediusfidius reperio. Hoc quod tu non dicendo mihi significasti, Cæsar audierat: ac simul atq;, Aue, mihi dixit, statim, quid de te audisset, exposuit. Negaui me scire: tamen ab eo petiui ut ad te literas mitteret, quibus maxime ad remanendum commoueri posses. me secum in Hispaniam ducit. nam, nisi ita faceret, ego prius, quàm ad Vrbem accederem, ubicunque esses, ad te perurrissem, & hoc à te præsens contendissem, atque omni ui te retinuissem. Etiam atque etiam Cicero cogita, ne te, tuósque omneis funditus euertas, ne te scies prudénsq; eò demittas, unde exitum uides nullũ esse. quòd si te aut uoces optimatium commouent: aut nonnullorum hominum insolentiam, & iactationem ferre non potes: eligas cènseo aliquod oppidum uacuum à bello, dum hæc decernuntur, quæ iam erunt confecta. Id si feceris, ego te sapienter fecisse iudicabo, & Cæsarem non offendes. Vale.

CICERO ATTICO S.

M E CAECVM, qui hæc ante non uiderim. misi ad te epistolã Antonij. Et cum ego sæpissime scripsissem, nihil me contra Cæsaris rationes cogitare, meminisse me generi mei, meminisse amicitiæ, potuisse si aliter sentirem, esse cum Pompeio: me autem, quia cum lictoribus inuitus cursarem, abesse uelle, nec id ipsum certum etiam nunc habere: uide quàm ad hæc τυραννικῶς. Tuum cõsiliũ quàm uerũ est: nam qui se me-

dium esse uult, in patria manet: qui proficiscitur, aliquid de alterutra parte iudicare uidetur. Sed ego is nō sum, qui statuere debeam, iure quis proficiscatur nécne. Parcis mihi Cæsar has impositi, ne quem omnino discedere ex Italia paterer. quare parui refert me probare cogitationem tuā, si nihil tamen tibi remittere possum. Ad Cæsarem mittas, cēnseo, & ab eo hoc petas. non dubito, quin impetraturus sis, cum præsertim te amicitiæ nostræ rationē habiturum esse pollicearis. habes συντάλην λακωνικήν. omnino excipiam hominem. erat autem V. Non. uenturus uesperi, id est hodie. cras igitur ad me fortasse ueniet. tentabo, audeā nihil properare. missurum ad Cæsarē clamabam, cum paucissimis aliquibi occultabor. certe hinc istis inuitissimis euolabo, atque utinam ad Curionem. σὺν θεῷ τοι λέγω. magnus dolor accessit. efficietur aliquid dignum nobis. σωτηρία tua mihi ualde molesta. medere amabo, dum est ἀρχή. De Massilienſibus gratæ tuæ mihi literæ. quæso, ut sciam, quicquid audieris. Siciliam cuperem, si possem palàm, quòd à Curione effecēram. Hic ego Seruium expecto: rogor enim ab eius uxore, & filio: & puto opus esse. hic tamen Cytheridē secum lectica aperta portat, altera uxorem. septem præterea coniunctæ lecticæ amicarum. hæ sunt amicorum. Vide, quàm turpi leto pereamus. & dubita, si potes, quin ille, seu uictus, seu uictor redierit, cædem facturus sit. Ego uero uel lintriculo, si nauis non erit, eripiam me ex istorum parricidio. sed plura scribā, cum illū conuenero. Iuuenem nostrum non possum non amare: sed ab eo nos non amari planè intelligo. nihil ego uidi tā ἀνηθοποίητον, tam auersum à suis, tam nescio quid cogitans. uim

incredibilem molestiarum. sed erit curæ, & est, ut regatur: mirum est enim ingenium: ἦθος ἐπιμελητέον.

CICERO ATTICO S.

OBSIGNATA iam epistola superiore, non placuit ei dari, cui constitueram, quòd erat alienus: itaque eo die data non est. interim uenit Philotimus, & mihi à te literas reddidit: quib⁹ quæ de fratre meo scribis, sunt ea quidem parum firma, sed habent nihil ἄτεχνον, nihil fallax, nihil non flexibile ad bonitatem, nihil quod non, quò uelis, uno sermone possis perducere. ne multa, omnes suos, etiam quibus irascitur crebrius, tamen charos habet, me quidẽ se ipso chariorẽ. Quòd de puero aliter ad te scripsit, & ad matrem de filio, non reprehendo. De itinere, & de sorore, quæ scribis, molesta sunt, eóque magis, quòd ea tempora nostra sunt, ut ego his mederi non possim. nam certe mederer: sed quibus in malis, & qua in desperatione rerum simus, uides. Illa de ratione numaria non sunt eiusmodi (sæpe enim audio ex ipso) ut non cupiat tibi præstare, & in eo laboret. sed si mihi Q. Axius in hac mea fuga HS XIII non reddit, quæ dedi eius filio mutua, & utitur excusatione temporis: si Lepta, si cæteri: soleo mirari de nescio quos, HS X X. cum audio ex illo se urgeri: uides enim profecto angustias: curaritamen ea tibi utique iubet. An existimas illum in isto genere lentulum, aut restrictum? nemo est minus. De fratre satis. de eius filio: indulsit illi quidẽ suus pater semper, sed non facit indulgentia mendacem, aut auarum, aut non amantem suorum: ferocem fortasse, & arrogantem, & infestum facit. itaq; habet hæc quoq;, quæ na-

scuntur ex indulgentia: sed ea sunt tolerabilia: quid enim dicam hac iuuentute? ea uero quæ mihi quidem, & qui illum amo, sunt his ipsis malis, in queis sumus, miseriora, non sunt ab obsequio nostro: nam suas radices habent, quas tamen euellerem profecto, si licëret: sed ea omnia mihi sunt patienda. Ego meũ facile teneo: nihil est enim eo tractabilius. cuius quidem misericordia languidiora adhuc consilia cepi: & quo ille me fortiorẽ uult esse, eo magis timeo ne in eum existam crudelior. Sed Antonius uenit heri uesperi. iam fortasse ad me ueniet, aut ne id quidem, quoniam scripsit, quid fieri uellet. sed scies continuo quid actum sit. nos iam nihil nisi occulte. De pueris quid agam? paruóne nauigio committam? quid mihi animi in nauigando cënses fore? Recordor enim æstate cum illo Rhodiorum ἀφράκτῳ nauigans, quàm fuerim solicitus. quid duro tempore anni actuariolo fore cënses? ò rem undique miserã. Trebatius erat mecum, uir planè & ciuis bonus, quæ ille monstra, Dij immortales, etiámne Balbus in senatũ uenire cogitet? sed ei ipsi cras ad te literas dabo. Vectenum mihi amicum, ut scribis, ita puto esse. cum eo (quod ἀποτόμως ad me scripserat de numis candis) θυμικώτερον erat. id tu, si aliter acceperit ac debuit, lenies. Monetali autem ascripsi, quòd ille ad me, Proconsuli. sed quoniam est homo, & nos diligit, ipse quoque à nobis diligatur. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVIDNAM mihi futurũ est? aut quis me non solum infelicior, sed iam etiam turpior? nominatim de me sibi impetratum dicit Antonius: nec me tamen ipse ad-

huc uiderat, sed hoc Trebatio narrauit. Quid agam nunc, cui nihil procedit, cadúntq; ea quæ diligẽtissime sunt cogitata, teterrime? ego enim Curionem nactus, omnia me consecutum putaui, is de me ad Hortensium scripserat. Regnus erat totus noster. huic nihil suspicabamur aũ hoc marẽ negotij fore. quò me nunc uertam? undique custodior. sed satis lacrimis. παραπλυτέον igitur, & occultæ in aliquam onerariam corrependũ: non committendũ, ut etiam compacto prohibiti uideamur. Sicilia petẽda: quam si erimus nacti, maiora quædam consequemur. sit modo rectè in Hispanijs. quanquam de ipsa Sicilia utinam sit uerũ, sed adhuc nihil secundi. concursus Siculorum ad Catonem dicitur factus: orasse, ut resisteret: omnia pollicitus: commotum illũ, delectum habere cœpisse. non credo, ut est luculentus auctor. potuisse certe tenere illam prouinciam scio. ab Hispanijs autem iam audietur. Hic nos C. Marcellum habemus eadem de re cogitantem, aut bene simulantem. quanquam ipsum non uideram, sed ex familiarissimo eius audiebã. Tu quæso, si quid habebis noui. ego, si quid moliti erimus, ad te statim scribam. Quantum filium seuerius adhibebo. utinam proficere possem. tu tamen eas epistolas, quibus asperius de eo scripsi, aliquando concerpito, ne quando quid emanet: ego item tuas. Seruiũ expecto, nec ab eo quicquam ὑγιές. scies, quid erit. sine dubio errasse nos confitendum est. at semel? at una in re? immo omnia quo diligentius cogitata, eo facta sunt imprudentius. ἀλλὰ τὰ μὲν προτέτυχθαι, ἰάσομεν ἀχνύμενοί περ. in reliquis modo ne ruamus: iubes enim profectionem meam prouidere. quid prouideã? ita patent omnia quæ accidere possunt, ut

ea si uitem, sedendum sit cum dedecore, & dolore: si negligam, periculum est ne in manus incidam perditorum. Sed uide, quãtis in miseriis simus. optandum interdũ uidetur, ut aliquam accipiamus ab istis quamuis acerbã iniuriam, ut tyranno in odio fuisse uideamur. Quòd si nobis is cursus, quẽ speraram, pateret: effecissem aliquid profecto, ut tu optas, & hortaris, dignum nostra mora. sed mirificæ sunt custodiæ: & quidem ille ipse Curio suspectus. quare ui, aut clàm agẽdum est: & si ui, fortè nec cum tempestate: clàm autem cum istis in quo si quod σφάλμα, uides quàm turpe est. trahimur, nec fugiendum, si quid uiolentius. De Celio sæpe mecum agito, nec si quid habuero tale, dimittã. Hispanias spero firmas esse. Massiliensiũ factum cum ipsum per se lucullentum est, tum mihi argumento est, rectè esse in Hispaniis: minus enim auderent, si aliter esset: & scirent: nam & iuncti, & diligentes sunt. Odiũ autem rectè animaduertis significatum in theatro. Legiones etiam has, quas in Italia assumpsit, alienissimas esse uideo: sed tamen nihil inimicius, quàm sibi ipse. illud rectè times, ne ruat: si desperarit, certè ruet. quo magis efficiendum aliquid est, fortuna uelim meliori, animo Celiano: sed primũ quidque, quod qualecunq; erit, continuo scies. Nos inueni, ut rogas, suppeditabimus, & Pelopõnesum ipsam sustinebimus. Est enim indoles, modo aliquid hoc sit ἦθος ΑΚΙΜΟΔΟΝ. Quod si adhuc nullũ est, esse tamen potest, aut ἀρετὴ non est ἀπὸ ἀκαιρὸν, quod mihi persuaderi non potest. Vale.

CICERO ATTICO S.

EPISTOLA tua gratissima fuit meæ Tulliæ, & me-

hercule mihi. semper secum aliquid afferunt tuæ literæ. Scribes igitur: ac siquid ad spem poteris, ne dimiseris. Tu Antonij leones pertimescas caue. Nihil est illo homine iucundius. Attende πρᾶξιν πολιτικῆν. Euocauit literis è municipijs denos: & quatuor uiri uenerunt ad illã eius mane. Primum dormijt ad horas tres. deinde, cum esset nuntiatũ uenisse Neapolitanos, & Cumanos (his enim est Cæsar iratus) postridie redire iussit, lauari se uelle, & περὶ ποιλιολυσίαν γίνεσθαι. Hoc heri effecit. hodie autem in Aenariam transire constituit. exulibus reditũ polliçetur. Sed hæc omittamus, de nobis aliquid agamus. Ab Axio accepi literas. de Tirone gratum. Vectenum diligo. Vestorio reddidi. Seruius pridie Non. Maij Mvnturnis mansisse dicitur, hodie in Liternino mansurus apud C. Marcellũ. cras igitur nos mature uidebit, mihique dabit argumentũ ad te epistolæ. iam enim non reperio quid tibi scribam. Illud admiror, quòd Antonius ad me ne nuntium quidem, cum præsertim me ualde obseruarit. uidelicet (aut aliquid atrocius de me imperatum est) coram negare mihi non uult. quod ego nec rogaturus eram, nec si impetrassem crediturus. Nos tamen aliquid excogitabimus. Tu quæso, siquid in Hispanijs. iam enim poterit audiri: & omnes ita expectant, ut si recte fuerit, nihil negotij futurum putent. Ego autem, nec retentis his, confectam rem puto: neque amissis, desperatum. Siluium & Ocellam, & cæteros credo retardatos. Te quoque à Curtio impediri uideo. Etsi, ut opinor, habes Scythanovv uitam miseram, maiúsque malum, tandiu timere, quam est illud ipsum, quod timetur. Seruius, ut antea scripsi, cum uenisset Non. Maij, postridie ad me uenit. ne

X.iiij.

diutius te teneam, nullius consilij exitum inuenimus. nunquam uidi hominem perturbatiorem metu. neque hercule quicquam timebat, quod non esset timendum: illum sibi iratum, hunc non amicum: horribilem utriusque uictoriam, cum propter alterius crudelitatem, alterius audaciã, tum propter utriusq; difficultatem pecuniariam, qua frui nusquam, nisi ex priuatorum bonis, posset. atque hæc ita multis cum lacrimis loquebatur, ut ego mirarer eas tam diuturna miseria non exaruisse. Mihi quidem etiam lippitudo hæc, propter quam non ipse ad te scribo, sine ulla lacrima est: sed sæpius odiosa est propter uigilias. quã ob rem quicquid habes ad consolandum, collige, & illa scribe, non ex doctrina, neque ex libris: nam id quidem domi est: sed nescio quomodo imbecillior est medicina, quàm morbus: hæc potius conquire de Hispanijs, de Massilia: quæ quidem satis bella Seruius affert: qui etiã de duabus legionibus Luculletos auctores esse dicebat. hæc igitur si habebis, & talia. & quidem paucis diebus aliquid audiri necesse est. Sed redeo ad Seruium. distulimus omnino sermonem in posterum, sed tardus ad exeundum: multo se in suo lectulo malle, quicquid foret. odiosus scrupulus de filij militia Brundusina. unum illud firmissime asseuerabat, si damnati restituerẽtur, in exiliũ se iturum. nos autem ad hæc, & ipsum certo fore, & quæ iam fiebant, non esse leuiora: multáque colligebamus. uerum ea non animum eius augebant, sed timorem, ut iam cælandus magis de nostro consilio, quàm ad idem uideretur. quare in hoc non multum est. Nos à te admoniti de Celio cogitabimus. Vale.

CICERO ATTICO 5.

SERVIVS cum esset apud me, Cephalio cum tuis literis VI. Id. uenit, quæ nobis magnam spem attulerũt meliorum rerum de octo cohortibus: etenim hæ quoque, quæ in his locis sunt, labare dicuntur. Eodem die Funisulanus à te attulit literas, in quibus erat confirmatius idem illud ei de suo negotio respondi cumulate, cum omni tua gratia. adhuc non satisfaciebat: debet autem mihi multos numos, nec habetur locuples. nunc ait se daturum: cui expensum tulerit, morari: ta bellarijs, si apud te esset, quà satisfecisses, dares: quantum sit, Eros Philotimi tibi dicet. Sed ad maiora redeamus. Quod optas, Celianum illud matureſcit. itaque torqueor, utrũ uentum expectem. uexillo opus est: conuolabunt. Quòd suades, ut palàm: prorsus assentior. itaque me profecturum puto. tuas tamen interim literas expecto. Seruij consilio nihil expeditur. omnes captiones in omni sententia occurrunt. unum C. Marcello cognoui timidiorẽ, quem Consulem fuisse pœnitet. ὦ πολλῆς ἀγεννάδος, qui etiam Antonium confirmasse dicitur, ut me impediret, quo ipse credo honestius. Antonius autem VI. Id. Capuam profectus est. ad me misit, se pudore deterritum ad me nõ uenisse, quòd me sibi succensere putaret. Ibitur igitur, & ita quidem ut censes, nisi cuius grauioris personæ suscipiendæ spes erit ante oblata. sed uix erit tam cito. Halienus autem Præt. putabat aliquem, si ego non, ex collegis suis. quiuis licet, dũmodo aliquis. De sorore laudo. De Quinto puero, datur opera: spero esse meliora. De Quinto fratre, scito eum non mediocriter laborare de usura:

sed adhuc nihil à L. Egnatio expressit. Axius de XII millibus pudens. sæpe enim ascripsit, ut Gallio, quantum is uellet, darem. quod si non scripsisset, possémne aliter? & quidem sæpe sum pollicitus. sed tantum uoluit cito. Me uero adiuuarent ijs in angustijs. sed tu istos. uerum aliàs. Te à quartana liberatum gaudeo, itémque Piliam. Ego, dum panes, & cætera in nauem parantur, excurro in Pompeianum. Vectetne no uelim gratias, quòd studiosus, si quenquam nactus fueris qui perferat, literas des antè quàm discedimus. Vale.

CICERO ATTICO S.

COMMODVM ad te dederam literas de pluribus rebus, cum ad me bene mane Dionysius fuit. cui quidem ego non modo placabilem me præbuissem, sed totum remisissem, si uenisset qua mente tu ad me scripseras: erat enim sic in tuis literis, quas Arpini acceperam, eum uenturum, facturúmque quod ego uellem. Ego uolebam autem, uel cupiebam potius, esse cum nobiscum. quod quia planè, cum in Formianum uenisset, præciderat, asperius ad te de eo scribere solebam. at ille perpauca locutus, hanc summam habuit orationis, ut sibi ignoscerem, se rebus suis impeditum nobiscum ire non posse. pauca respondi: magnum accepi dolorem: intellexi fortunam ab eo nostrã despectam esse. Quid quæris? fortasse miraberis: in maximis horum temporum doloribus hunc mihi scito esse. uelim, ut tibi amicus sit. hoc cum tibi opto, opto ut beatus sis: erit enim tandiu. Consilium nostrũ spero uacuum periculo fore: nam & dissimulauimus, &, ut opinor, acerrime

asse obseruabimus. nauigatio modo sit, qualem opto. Cætera quæ quidem consilio prouideri poterunt, cauebuntur. Tu, dum adsumus, non modo quæ scieris, audieríue, sed etiam quæ futura prouidebis, scribas uelim.

Cato qui Siciliam tenere nullo negotio potuit, & si tenuisset, omnes boni ad eum se contulissent: Syracusis profectus est ante diem VIII Cal. Maï, ut ad me Curio scripsit. Vtinam, quod aiunt, Cotta Sardiniam teneat: est enim rumor. O, si id fuerit, turpem Catonem. Ego, ut minuerem suspicionem profectionis, aut cogitationis meæ, profectus sum in Pompeianum ad IIII Id. ut ibi essem, dum, quæ ad nauigandum opus essent, pararentur. cum ad illam uenissem, uentum est ad me: cæturiones trium cohortium, quæ Pompeij sunt, me uelle postridie (hæc mecum Nimnius noster) uelle eos mihi se, & oppidum tradere. At ego tibi postridie à uilla ante lucem, ut me omnino illi ne uiderent. Quid enim erat in tribus cohortibus? Quid si plures, quo apparatu? cogitau eadem illa Celiana, quæ legi in epistola tua, quam accepi simul in Cumanum ueni eodem die. & simul fieri poterat, ut tentaremur. Omnem igitur suspicionem sustuli. sed cum redeo, Hortensius uenerat ad Terentiam salutatum diuerterat, sermone erat usus honorifico erga me. tamen eum (ut puto) uidebo: misit enim puerum se ad me uenire. Hoc quidem melius, quàm collega noster Antonius, cuius inter lictores lectica mima portatur. Tu, quoniam quartana cares, & non modo morbum remousti, sed etiam grauedinem, te uegetum nobis in in Græcia siste, & literarum aliquid interea. Vale.

CICERO ATTICO S.

PRID. Id. Hortensius ad me uenit scripta epistola. uellem cætera eius. quàm in me incredibilem ἐντέναν: qua quidem cogito uti: deinde Serapion cum epistola tua: quam priusquam aperuissem, dixi ei, te ad me de eo scripsisse antea, ut fecëras. deinde epistola lecta, cumulatissime cætera, & heraule hominem probum & doctum, & probum existimo. quin etiam naui eius me, & ipso conuectore usurum puto. Crebro refricat lippitudo, non illa quidem perodiosa, sed tamen quæ impediat scriptionem meã. Valetudinem tuam iam confirmatam esse & à uetere morbo, & à nouis tentationibus, gaudeo. Oœllam uellem haberemus. uidentur enim esse hæc paulo faciliora. nunc quidem æquinoctium nos moratur, quod ualde perturbatum erat. id scilicet cras erit. utinã idẽ maneat Hortensius, siquidem adhuc erat. liberalius esse nihil potest. De diplomate admiraris, quasi nescio cuius te flagitij insimularem negas enim te reperire qui mihi id in mentem uenerit. Ego autem, quia scripseras te proficisci cogitare (etenim audieram nemini aliter liœre) eo te habere cœnsebã, & quia pueris diploma sum pseras. Habes causam opinionis meæ. & tamẽ uelim scire quid cogites, in primisque siquid etiam nunc nouis est. XVII. Cal. Iun.

CICERO ATTICO S.

TVLLIA mea peperit XIIII Cal. Iun. puerum ἐπαχμνιαῖον. quòd οὐτόυησεν, gaudebam. quod quidem est natum, perimbecillum est. Me mirificæ trãquil-

litates adhuc tenuerunt, atque maiore impedimento fuerunt, quàm custodiæ quibus asseruor: nam illa Hortensiana omnia fuere infantia. ita fiet homo nequissimus: à Saluio liberto deprauatus est. itaque posthac non scribã ad te, quid facturus sim, sed quid fecerim. Omnes enim ὑπερυπάϊοι uidentur subausultare quæ loquor. tu tamen, siquid de Hispanijs, siue quid aliud, perge quæso scribere: nec meas literas expectaris, nisi cum, quò opto, peruenerimus, aut siquis ex cursu. sed hoc quoque timide scribo: ita omnia adhuc tarda & spissa, ut male posuimus initia, sic cætera sequẽtur. furias nunc sequimur. eædem nos fortasse furiæ persequentur. Ex Balbi autem sermone, quẽ tecum habuit, non probamus de Melita. Dubitas igitur quin nos in hostium numero habeat? scripsi equidem Balbo, te ad me de beneuolentia scripsisse, & de suspicione. de altero egi gratias: de altero ei me purgaui. Ecquem tu hominem infeliciorem? non loquor plura, ne te quoque excruciem. ipse conficior uenisse tempus, cum iam nec fortiter, nec prudenter quicquam facere possim. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T. POMPONIVM ATTICVM LIB. XI.

CICERO ATTICO S.

ACCEPI à te signatum libellum, quẽ Anteros attulerat: ex quo scire nihil potui de nostris domesticis rebus, de quibus acerbissime afflictor, quòd qui eas dispensauit, neque adest

istic, neque, ubi terrarum sit, scio. omnem autem spem habeo existimationis, priuatarúmque rerum in tua erga me mihi perspectissima beneuolentia: quam si his tẽporibus miseris, & extremis præstiteris, hæc pericula, quæ mihi communia sunt cum cæteris, fortius feram. ídque ut facias, te obtestor, atque obsecro. Ego in cistophoro in Asia habeo ad HS bis, & uicies. huius pecuniæ permutatione fidem nostram facile tuebere. Quam quidem ego nisi expeditam relinquere putassem, credens ei, cui tu scis iam pridem minime credere: commoratus essem paulisper, nec domesticas res impeditas reliquissem: ob eámque causam serius ad te scribo, quòd sero intellexi, quid timendum esset. Te etiam, atque etiam oro, ut me totum tuẽdum suscipias, ut, si ij salui erunt quibuscum sum, unà cum ijs possim incolumis esse, salutémque meam beneuolẽtiæ tuæ acceptam referre. Vale.

CICERO ATTICO S.

LITERAS tuas accepi prid. Non. Feb. eóque ipso die ex testamento creui hæreditatem. ex multis meis, & * miserrimis curis est una enata, si, ut scribis, ista hereditas fidem, & famam meam tueri potest: quam quidem te intelligo etiam sine hereditate tuis opibus defensurum fuisse. De dote quod scribis, per omneis deos te obtestor, ut totam rem suscipias, & illam miseram mea culpa & negligentia, tueare meis opibus, siquæ sunt: tuis, quibus tibi molestum non erit, facultatibus. cui quidem deesse omnia, quod scribis, obsecro te noli pati. in quos enim sumptus abeũt fructus prædiorum? Iam illa HS LX quæ scribis, nemo mihi unquam dixit ex

dotæ esse detracta: nunquam enim essem passus. Sed hæc minima est ex ijs iniurijs, quas accepi, de quibus ad te dolore, & lacrimis scribere prohibeor. ex ea pecunia quæ fuit in Asia, partem dimidiam ferè exegi. qui tutius uidebatur fore ibi, ubi est, quàm apud publicanos. Quod me hortaris, ut firmo sim animo: uellem posses aliquid afferre, quam ob rem id facere possem. sed si ad cæteras miserias accessit etiam id, quod mihi Chrysippus dixit parari (tu nihil significasti) de domo, quis me miserior uno iã fuit? Oro, obsecro, ignosce. non possum plura scribere. quanto mœrore urgear profecto uides. Quod si mihi cõmune cum cæteris esset, qui uidentur in eadem causa esse, minor mea culpa uideretur, & eo tolerabilior esset: nunc nihil est, quod consoletur, nisi quòd tu efficis, si modo etiam nunc efficis potest, ut nequã singulari afficiar calamitate, & iniuria. Tardius ad te remisi tabellarium, quòd potestas mittendi non fuit. A tuis & numorum accepi HS LXX & uestimentorum quod opus fuit. Quibus tibi uidebitur, uelim des literas nomine meo nostri meos familiares. signum requirent, aut manum dices, ijs, me propter custodias ea uitasse. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVID hic agatur, scire poteris ex eo, qui literas attulit: quem diutius tenui, quia quotidie aliquid noui expectabamus. neque nunc mittendi tamen ulla causa fuit, præter eam de qua tibi rescribi uoluisti. Quòd ad Cal. Quint. pertinet, quid uellẽ, utrunq; graue est, & tam graui tempore periculũ tantæ pecuniæ, & dubio rerũ exitu, ista quã scribis, abruptio. quare ut alia,

sic hoc uel maxime tuæ fidei, beneuolentiæque permitto, & illius consilio, & uoluntati, cui miseræ consuluisse melius, si tecum olim coràm potius, quàm per literas de salute nostra, fortunisque deliberauissem.

Quòd negas præcipuũ mihi ullum incommodũ impendere, etsi ista res nihil habet consolationis, tamen etiam præcipua multa sunt, quæ tu profecto uides, grauissima esse, & me facillime uitare potuisse: ea tamen erunt minora, si (ut adhuc factum est) administratione, diligentiáque tua leuabuntur. Pecunia apud Egnatium est. sit à me, ut est: neque enim hoc, quod agitur, uidetur diuturnum esse posse, ut scire iam possim quid maxime opus sit. etsi ego rebus omnibus, quòd is quoque in angustijs est quicum sumus, cui magnam dedimus pecuniam mutuam, opinantes nobis constitutis rebus eam rem etiam honori fore. Tu, ut antea feceris, uelim, si qui erunt ad quos aliquid scribendum à me existimes, ipse conficias. Tuis salutem dic. Cura ut ualeas. in primis id quod scribis, omnibus rebus cura, & prouide, ne quid ei desit, de qua scis me miserrimum esse. Idib. Iun. ex castris.

CICERO ATTICO S.

ACCEPI ab Isidoro literas, & postea datas binas. ex proximis cognoui, prædia non uenisse. uidebis ergo ut sustentetur per te. De Frusinati, si modo futuri sumus, erit mihi res opportuna. Meas literas quòd requiris, impedior inopia rerum, quas nullas habeo literis dignas: quippe cui nec quæ accidunt, nec quæ aguntur, ullo modo probentur. utinam coràm tecum olim potius quàm per epistolas. Hic tua, ut possum, tueor apud

Lucia

hos: cætera Celer. ipse fugi adhuc omne munus, eo magis, quòd ita nihil poterat agi, ut mihi, & meis rebus aptũ esset. Quid sit gestum noui, quæris: ex Isidoro scire poteris: reliqua non uidentur esse difficiliora. Tu id
15 uelim quod scis me maxime uelle cures, ut scribis, ut facis. Me cõficit solicitudo, ex qua etiã summa infirmitas cõporis: qua leuata, ero unà cum eo qui negotiũ gerit, éstq; in spe magna. Brutus amicus in causa uersatur acriter. Hactenus fuit, quod caute à me scribit posse.
De pẽsione alterà, oro te, omni cura cõsidera quid sit faciendum, ut scripsi ijs literis, quas Pollex tulit. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVAE me causæ mouerint, quàm acerbæ, quàm graues, quàm nouæ, cœgerintque impetu magis quodã animi uti, quàm cogitatione, non possum ad te sine maximo dolore scribere: fuerunt quidẽ tantæ, ut id quod uides, effecerint. Itaque nec quid ad te scribã de meis rebus, nec quid à te petã, reperio: rem, & summã negotij uides. Equidẽ ex tuis literis intellexi, & ijs, quas cõmuniter cum alijs scripsisti, & ijs, quas tuo nomine, quod etiã mea sponte uidebã, te subdebilitatum nouas rationes tuẽdi mei quærere. Quòd scribis placere ut propius accedã, itérque per oppida noctu faciam: non sanè uideo quemadmodum id fieri possit. Neq; enim ita apta habeo diuersoria, ut tota tẽpora diurna in his possim cõsumere: neque ad id quod quæris, multũ interest, utrum me homines in oppido uideant, an in uia. Sed tamen hoc ipsum, sicut alia, considerabo quẽadmodum cõmodissime fieri posse uideatur. Ego propter incredibilẽ & animi & cõporis molestiam cõficere plureis lite-

ras non potui: iijs tantum rescripsi, à quibus acceperam. Tu uelim & Basilio, & quibus præterea uidebitur, etiã Serulio, conscribas ut tibi uidebitur, meo nomine. Quòd tanto interuallo nihil omnino ad uos profecto mælligis rem mihi deesse de qua scribã, non uolumtatem. Quòd de Vatinio quæris: neque illius, neque cuiusquam mihi præterea officiũ deest, si reperire possent qua in re me iuuarent. Quintus auersissimo à me animo patris fuit: eodẽ Corcyra filius uenit: inde profectos eos unà cum cæteris arbitror. Vale.

CICERO ATTICO S.

SOLICITVM esse te cũ de tuis, cõmunibusque fortunis, tũ maxime de me, ac de dolore meo sentio. qui quidem dolor meus non modo non minuitur cum socium sibi adiungit dolorẽ tuum, sed etiam augetur. Omnino pro tua prudẽtia sentis qua cõsolatione leuari maxime possim: probas enim meum consiliũ, negásque mihi quicquam tali tempore potius faciẽdum fuisse. Addis etiam (quod etsi mihi leuius est, quàm tuũ iudiciũ, tamen non est leue) cæteris quoque, id est qui pondus habeãt, factũ nostrum probari. id si ita putarẽ, leuius dolerẽ. Crede, inquis, mihi. Credo equidẽ: sed scio quàm cupias minui dolorem meum. Me discessisse ab armis nunquã pœnituit. tanta erat in illis crudelitas, tanta cum barbaris gentibus coniunctio, ut non nominatim, sed generatim proscriptio esset informata: ut iam omniũ iudicio constitutum esset, omnium uestrum bona prædã esse illius uictoriæ, uestrum planè dico: nunquã enim de te ipso, nisi crudelissime cogitatũ est. Quare uolũtatis mẽ meæ nunquam pœnitebit: consiliỹ pœnitet. In oppido aliquo

at

mallẽ resedisse,quoad accerserer: minus sermonis subijs sem:minus accepissem doloris:ipsum hoc me non angeret. Brũdusij iacere, in omneis partes est molestũ. propius accedere(ut suades)quomodo sine lictoribus,quos populus dedit, possum? qui mihi incolumi adimi non possunt : quos ego modo pauliſper cum bacillis in turbã conieci ad oppidũ accedẽs,nequis impetus militũ fieret. recipio tempore me domo.te nunc ad Oppium,quoniã ijs placeret modo propius accedere, ut hac de re cõsiderarent. credo fore auctores: sic enim recipiunt, Cæsari non modo de conseruãda, sed etiam de augẽda mea dignitate curæ fore:méq; hortãtur ut magno animo sim, ut omnia summa sperem,ea spondent,confirmant. quæ quidẽ mihi exploratiora essent,si remansissem. Sed ingero præterita. Vide quæso igitur ea quæ restãt,& explora cũ istis:& si putabis opus esse,& si istis placebit,quo magis factum nostrum Cæsar probet,quasi de suorum sententia factum,adhibeantur Trebonius,Pansa,siqui alij,scribãntq; ad Cæsarẽ,me,quicquid fecerim,de sua sententia fecisse. Tulliæ meæ morbus,& imbecillitas corporis me exanimat:quam tibi intelligo magnæ curæ esse,quod est mihi gratissimum. De Pompeij exitu mihi dubiũ nunquã fuit: tanta enim desperatio rerum eius omniũ Regum,& populorũ animos occuparat,ut quocunque uenisset,hoc putarem futurum. nõ possum eius casum nõ dolere:hominẽ enim integrum,& casum.& grauẽ cognoui. De Fãnio consoler te? perniciosa loquebatur de mãsione tua. Lucius uero Lẽtulus Hortẽsij domum sibi,& Cæsaris hortos,& Baias despõderat. Omnino hæc eodẽ modo ex hac parte fiũt: nisi quòd illud erat infinitũ. omnes enim,quim Italia remãserãt,hostiũ

non.f

oppidũ fieret

Pompeij exitus

numero habebantur. Sed uelim hæc aliquãdo solutiore animo. Quintum fratrẽ audio profectum in Asiã, ut deprecaretur. De filio nihil audiui. sed quære ex Diocare Cæsaris liberto, quẽ ego nõ udi, qui istas Alexãdrinas literas attulit. Is dicitur udisse an euntẽ, an iã in Asia. Tuas literas, prout res postulat, expectu: quas uelim cu res quãprimũ ad me perferendas. Vale. IIII. Cal. Dec.

CICERO ATTICO. S.

GRATAE mihi tuæ literæ sunt, quibus accurate perscripsisti omnia, quæ ad me pertinere arbitratus es, facturum igitur, ut scribis istis placere, iisdẽ istis lictoribus me uti, quod cõcessum Sestio sit: cui non puto suos esse cõcessos, sed ab ipso datos: audio enim eum ea S.C. improbare, quæ post discessum Tribunorum facta sunt. quare potuerit, si uolet sibi cõstare, nostros lictores comprobare. quanquã quid ego de lictoribus, qui penè ex Italia decedere sim iussus? nam ad me misit Antonius exemplum Cæsaris ad se literarũ, in quibus erat, se audiuisse Catonem, & L. Metellum in Italiã uenisse, Romæ ut essent palàm: id sibi nõ placere, nequi motus ex eo fierent: prohiberíque omneis Italia, nisi quorum ipse causam cognouisset. déque eo uehemẽtius erat scriptũ. itaque Antonius petebat à me per literas, ut sibi ignoscerem: facere se non posse quin his literis pareret. tum ad eum misi L. Lamiam, qui demonstraret illum Dolabellæ dixisse ut ad me scriberet ut in Italiã quamprimum uenirem: eius me literis uenisse. tum ille edixit ita, ut me exciperet, & Lælium nominatim: quod sanè nollẽ: potuerat enim sine nomine re ipsa excipi. O mul tas, & graueis offensiones: quas quidem, tu das operã am

ut lenias: nec tamen nihil proficis: quin hoc ipso minuis dolorem meum, quòd ut minuas, tam ualde labor.is: idque uelim ne grauere quamsæpissime facere. Maxime autem assequere quod uis, si me adduxeris ut existimem me bonorum iudicium non funditus perdidisse. quanquam quid tu in eo potes? nihil scilicet. Sed si quid res dabit tibi facultatis, id me maxime cõsolari poterit. quod nunc quidem uideo non esse. Sed si quid ex euentis: ut hoc nunc accidit. Diebar debuisse cum Pompeio proficisci. exitus illius minuit eius officij prætermissi reprehensionem. Sed ex omnibus nihil magis tamen desideratur, quàm quòd in Africam non ierim. iudicio hoc sum usus, non esse barbaris auxilijs fallacissimæ gentis Remp. defendendam, præsertim contra exercitũ sæpe uictorem. non probant fortasse: multos enim uiros bonos in Africam ueniisse audio, & scio fuisse antea. ualde hoc loco urgeor. hic quoque opus est casu aliqui sint ex eis, aut si potest, omnes, qui salutem anteponant: nam si perseuerant, & obtinent, quid nobis futurũ sit uides. Dices, Quid illis, si uicti erũt? Honestior est plaga. hæc me excruciant. Sulpitij autem consilium, non scripsisti, cur meo non anteponeres. quod & si nõ tam glorioſum est quàm Catonis, tamen & periculo uacuum est, & dolore. Extremum est eorum, qui in Achaia sunt. ij tamen ipsi se hoc melius habent, quàm nos, quòd & multi sunt uno in loco, & cum in Italiã uenerint, domum statim uenerint. hæc tu perge, ut facis mitigare, & probare quamplurimis. Quòd te excusas: ego uero & tuas causas noſco, & mea interesse puto, te istic esse, uel ut cum ijs, quibus oportebit, agas, quæ erunt agẽda de nobis, ut ea quæ egisti. In primisque hoc

labat

supplici

ijsi

uelim animaduertas. multos esse arbitror qui ad Cæsarem detulerint, delaturiue sint, me aut pœnitere consilij mei, aut non probare quæ fiant. quorum etsi utrunque uerum est, tamen ab illis dicitur animo à me alienato, non quo ita perspexerint. sed totum ut hoc Balbus sustineat, & Oppius, & eorũ crebris literis illius uoluntas erga me confirmetur, & hoc planè ut fiat, diligentiam adhibebis. Alterum est, cur te nolim discedere, quòd scribis Terentiã flagitare. O rem miseram. quid scribam? aut quid uelim? breue faciam: lacrimæ enim se subito profuderunt. tibi permitto: tu consule. tantum uide, ne hoc temporis Terentiæ obesse aliquid possit. Ignosce, obsecro te: non possum præ fletu, & dolore diutius in hoc loco commorari. tantum dicam, nihil mihi gratius esse, quàm quòd eã diligis. Quòd literas, quibus putas opus esse curas dandas, facis commode. Quintum filiũ, udi, qui sami uidisset, patrem Sicyone: quorum deprecatio est facilis. Vtinam illi, qui prius illũ uiderunt, me apud eum uelint adiutum tantum, quantum ego illos uellẽ, siquid possem. Quod rogas, ut in bonam partem accipiam, si qua sint in tuis literis, quæ me mordeant: ego uero in optimam, téque rogo, ut aperte, quemadmodum facis, scribas ad me omnia, idque facias quamsæpissime. Vale. XIIII. Cal. Ian.

CICERO ATTICO S.

QVANTIS curis afficiar, etsi profecto uides, tamen cognosces ex Lepta, & Trebatio. maximas pœnas pendo temeritatis meæ, quã tu prudentiã mihi uideri ius: neq; te deterreo quo minus id disputes, scribásque ad me q̃ sæpissime: nonnihil enim me leuãt tuæ literæ hoc tẽ-

pore. Per eos, qui nostra causa uolunt, ualéntque apud illũ, diligentissime contendas opus est, per Balbum, & Oppium maxime, ut de me scribant quam diligentissime. Oppugnamur enim, ut audio, & à præsentibus quibusdam, & per literas. ijs ita occurrendum, ut rei magnitudo postulat. Furnius est illic mihi inimicissimus. Quintus misit filium non solum sui deprecatorem, sed etiam accusatorem mei. Dicitat, se à me apud Cæsarem oppugnari. quod refellit Cæsar ipse, omnésque eius amici. neque uero desistit, ubicunque est, omnia in me maledicta conferre. Nihil mihi unquam tam incredibile accidit, nihil in his malis tam acerbũ. qui ex ipso audissent, cum Sicyone palàm multis audientibus loqueretur nefaria quædam, ad me pertulerunt. Nosti genus, etiam expertus es fortasse: in me id est omne conuersum. Sed augeo cõmemorãdo dolorem, & facio etiam tibi. Quare ad illud redeo. cura, ut huius rei causa dedita opera mittat aliquẽ Balbus. Ad quos uidebitur, uelim cures literas meo nomine. Vale. XV. Cal. Ian.

CICERO ATTICO S.

EGO uero & incaute, ut scribis, & celerius quàm oportuit, feci, nec mi ulla sum spe: quippe qui exceptionibus edictorum retinear. quæ si non essent sedulitate effectæ, & beneuolentia tua, literet mihi abire in solitudines aliquas. nunc ne id quidem licet. Quid autem me iuuat, quòd ante initũ Tribunatum ueni, si ipsum, quod ueni, nihil iuuat? iam quid sperem ab eo, qui mihi amicus nunquam fuit, cum iam lege etiam sim confectus, & oppressus? quotidie Balbi ad me literæ languidiores, multæque multorum ad illum fortasse contra me.

meo uitio pereo. nihil mihi mali causa attulit. omnia culpa contracta sunt: ego enim, cum genus belli uiderem, imparata & infirma omnia, contra paratissimos iueram (quid facerem?) æperámque consilium non tam forte, quàm mihi præter cæteros concedendum. æssimus, uel potius parui. ex quibus unus qua mente fuerit is, quem tu mihi commendas, cognosces ex ipsius literis quas ad te & ad alios misit. quas ego nunquam aperuissem, nisi res acta sic esset. delatus est ad me fascaculus: solui, siquid esset ad me literarũ: nihil erat. Epistola Vatinio, & Ligurio altera: iussi adeos deferri. illi ad me statim ardentes dolore uenerũt, sœlus hominis clamantes. Epistolas mihi legerunt plenas omnium in me probrorũ. hic Ligurius furere: se enim scire summo illum in odio fuisse Cæsari, illum tamen non modo fuisse, sed & tãtam pecuniã illi dedisse honoris mei causa. Hoc ego dolore acæpto, uolui scire quid scripsisset ad cæteros: ipsi enim illi putaui pernicaosum fore, si eius hoc tãtum sœlus percrebruisset, cognoui. Eiusdem generis literas ad te misi: quas si putabis illi ipsi utile esse reddi, reddes. nil me lædet: nam quòd resignatæ sunt, habet opinor eius signum Pomponia. hac ille acerbitate initio nauigationis cũ usus esset, tanto me dolore affecit, ut postea iacuerim. neque nunc tam pro se, quàm contra me laborare dicitur. ita omnibus rebus urgeor, quas sustinere uix possum, uel planè nullo modo possum. quibus in miseriis una est pro omnibus, quòd ista miseram, patrimonio, fortuna omni spoliatam relinquã. Quare te, ut pollicéris, uidere planè uelim: alium enim, cui illam commendem, habeo neminem, quoniam matri quoque eadem intellexi esse parata, quæ mihi.

ſed ſi me non offendes, ſatis tamen habeto commendatam, patruúmque in ea, quãtum poteris, mitigato. Hæc ad te die natali meo ſcripſi: quo utinam ſuſceptus non eſſem, aut nequid ex eadem matre poſtea natum eſſet. Plura ſcribere fletu prohibeor. Vale.

CICERO ATTICO S.

AD MEAS incredibileis ægritudines aliquid noui ac cœdit ex ijs quæ de Q. Q. ad me afferuntur. P. Terẽtius meus neceſſarius, operas in portu, & ſcriptura Aſiæ pro magiſtro dedit. Is Quintum filiũ Epheſi uidit VI Id. Dec. eúmque ſtudioſe propter amicitiam noſtram mutauit. eúmque ex eo de me contaretur, eum ſibi ita dixiſſe narrabat, ſe mihi eſſe inimiciſſimum, uoluméque ſibi oſtendiſſe orationis, quam apud Cæſarem contra me eſſet habiturus: multa à ſe dicta contra eius amẽtiam: multa poſtea Patris conſimuli ſcelere ſecum Quintum patrem locutum: cuius furorem ex ijs epiſtolis, quas ad te miſi, perſpicere potuiſti. hæc tibi dolori eſſe certo ſcio: me quidem excruciant, & eo magis, quòd mihi cum illis ne querendi quidem locum futurũ puto. De Africanis rebus longe alia nobis, ac tu ſcripſeras, nuntiantur: nihil enim firmius eſſe dicunt, nihil paratius. accedit Hiſpania, & alienata Gallia: legionum nec uis eadem, nec uoluntas, urbanæ res perditæ. Quid eſt ubi acquieſcam? niſi quandiu tuas literas lego. quæ eſſent profecto crebriores, ſiquid haberes, quo putares meam moleſtiam minui poſſe. Sed tamen te rogo, ne intermittas ſcribere ad me, quicquid erit: eóſque, qui mihi tã crudeliter inimici ſunt, ſi odiſſe non potes, accuſes tamen: non ut aliquid proficias,

ſed ut tibi me carum eſſe ſentiant. Plura ad te ſcribam, ſi mihi ad eas literas quas proxime ad te dedi, reſcripſeris. Vale. XII. Cal. Febr.

CICERO ATTICO S.

CONFECTVS iam cruciatu maximorũ dolorum, ne ſi ſit quidem, quod ad te debeam ſcribere, facile id exequi poſſem, hoc minus, quòd res nulla eſt quæ ſcribenda ſit: cum præſertim ne ſpes quidem ulla oſtendatur fore melius. Ita iam ne tuas quidem literas expecto. quanquam ſemper aliquid afferunt, quod uelim. Quare tu quidẽ ſcribito, cum erit cui des. Ego tuis proximis, quas tamen iam pridem accepi, nihil habeo quod reſcribam: longo enim interuallo uideo immutata eſſe omnia, illa eſſe firma quæ debeant, nos ſtultitiæ noſtræ grauiſſimas pœnas pendere. P. Salluſtio curanda ſunt HS XXX quæ accepi à Cn. Salluſtio. uelim uideas, ut ſine mora curentur. De ea re ſcripſi ad Terentiam. atque hoc ipſum iam propè conſumptum eſt. Quare id quoq; uelim, cum illa uideas, ut ſit, qui utamur. hic fortaſſe potero ſumere, ſi ſciam iſtic paratum fore: ſed prius, quàm id ſcirem, nihil ſum auſus ſumere. Qui ſit omnium rerum ſtatus noſter, uides. nihil eſt mali quod non & ſuſtineam, & expectem. quarum rerum eo grauior eſt dolor, quo culpa maior. Ille in Achaia non ceſſat de nobis detrahere. nihil uidelicet tuæ literæ profecerunt. Vale. VIII Id. Martij.

CICERO ATTICO S.

CEPHALIO mihi à te literas reddidit ad VIII.

Id. Martij uespere. eo autem die mane tabellarios miseram, quibus ad te dederam literas. tuis tamen lectis literis, putaui aliquid rescribendum esse, maxime, quòd ostendis te pendere animi, quamnam rationem sim Cæsari allaturus profectionis meæ tum, cum ex Italia discesserim. Nihil opus est mihi noua ratione: sæpe enim ad eum scripsi, multisque mandaui non potuisse, cum cupijssem sermones hominum sustinere: multáque in eã sententiam. nihil enim erat, quod minus eum uellem existimare, quàm me tanta de re nõ meo consilio usum esse. Postéaq; quàm mihi literæ à Balbo Cornelio minore missæ essent, illum existimare Quintum fratrem lituum meæ profectionis fuisse (ita enim scripsit) qui nondum cognossem quæ de me Quintus scripsisset ad multos: etsi multa præsens in præsentem acerbe dixerat, & fecerat, tamen L. in eo his uerbis ad Cæsarem scripsi. de Quinto fratre meo non minus laboro, quã de me ipso. sed eum tibi commẽdare hoc meo tempore non audeo. illud duntaxat tamen audebo petere abs te, quod te oro, nequid existimes ab illo factum esse, quo minus mea in te officia constarent, minúsue te diligerẽ, potiúsque illum semper auctorem nostræ coniunctionis fuisse, meique itineris comitem, non ducem. Quare cæteris in rebus tantum ei tribues, quãtum humanitas tua, amicitiáque uestra postulat. ego ei nequid apud te obsim, id te uehementer etiã, atque etiã rogo. Quare, siquis congressus fuerit mihi cum Cæsare (etsi nõ dubito quin is lenis in illũ futurus sit, idque iã declarauerit) ego tamen is ero, qui semper fui. sed ut uideo, multo magis est nobis laborandum de Africa. quam quidẽ tu scribis confirmari quotidie magis ad conditionis

ſpem, quàm uictoriæ. quod utinam ita eſſet, ſed longe aliter eſſe intelligo, téque ipſum ita exiſtimare arbitror, aliter autem ſcribere non fallendi, ſed confirmandi mei cauſa: præſertim cum adiungatur ad Africam etiam Hiſpania. Quòd me admones, ut ſcribam ad Antoniũ, & ad cæteros: ſiquid uidebitur tibi opus eſſe, uelim facias id, quod ſæpe feciſti: nihil enim uenit mihi in mentem quod ſcribendũ putem. Quod me audis fractiorem eſſe animo: quid putas, cũ uideas accęſſiſſe ad ſuperiores ægritudines præclaras generi actiones? Tu tamen uelim, ne intermittas, quoad eius facere poteris, ſcribere ad me, etiam ſi rem, de qua ſcribas, nõ habebis: ſemper enim afferũt aliquid mihi literæ tuæ. Galeonis hereditatem creui: puto enim cretionem ſimplicem fuiſſe, quoniam ad me nulla miſſa eſt. Vale. VIII. Id. Mart.

CICERO ATTICOS.

A MVRENAE liberto nihil adhuc accęperam literarum. P. Siſer reddiderat eas, quibus reſcribo. De Seruij patris literis quòd ſcribis, item Quintum in Syriam ueniſſe, quòd dis eſſe qui nuntient: ne id quidem uerum eſt. Quòd certiorem te uis fieri, quo quiſque in me animo ſit, aut fuerit eorum, qui huc uenerunt: neminem alieno intellexi. Sed quantum id mea interſit, exiſtimare te poſſe certo ſcio. Mihi cum omnia ſunt intolerabilia ad dolorem, tum maxime, quòd in eam cauſam ueniſſe me uideo, ut ſola utilia mihi eſſe uideantur, quæ ſemper nolui. P. Lentulum patrẽ Rhodi eſſe aiunt, Alexandriæ filium: Rhodóque Alexandriam C. Caſſiũ profectum eſſe conſtat. Quintus mihi

per literas satisfacit, multo asperioribus uerbis, quàm cum grauissime accusabat: ait enim se ex literis tuis intelligere, tibi non placere, quòd ad multos de me asperius scripsit. Itaque se pœnitere, quòd animum tuũ offenderit. Sed se iure fecisse. Deinde perscribit spurcissime, quas ob causas fecerit. Sed neque hoc tempore, nec antea patefecisset odium suum in me, nisi omnibus rebus me esse oppressum uideret. Atque utinam uel no Eburnis, queamadmodum tu scripseras, itineribus propius te accessissem. Nunc nec ubi, nec quando te sim uisurus, possum suspicari. De cõheredibus Fusidianis nihil fuit quod ad me scriberes: nam & æquũ postulant, & quicquid egisses, recte esse actum putarem.

De fundo Frusinati redimendo iam pridem intellexisti uoluntatem meam. etsi tum meliore loco res erant nostræ, neque tam mihi desperaturi uidebamur. tamen in eadem sum uoluntate. Id quemadmodum fiat, uide bis. & uelim, quoad poteris, cõsideres, ut sit unde nobis suppeditentur sumptus necessarij. siquas habuimus facultates, eas Pompeio tum, cum id uidebamur sapienter facere, detulimus. Itaque tum & à tuo uillico sumpsimus, & aliunde mutuati sumus, cum Quintus quereretur per literas, sibi nos nihil dedisse, qui neque ab illo rogati sumus, neque ipsi eam pecuniam aspeximus. Sed uelim uideas quid sit quod cõficí possit, quídque mihi de omnibus des cõsilij. & causam nosti. Plura ne scribam, dolore impedior. siquid erit quod ad quos scribendum meo nomine putes, uelim, ut soles, facias: quotiesque habebis, cui des ad me literas, nolim prætermittas. Vale.

CICERO ATTICO S.

NON me offendit ueritas literarũ tuarũ, quòd me tum cũ cõmunibus, tum præcipuis malis oppressum ne incipis quidem, ut solebas, cõsolari: fateríque id fieri iam non posse. nec enim ea sunt, quæ erant antea, cum, ut nihil aliud, comites me, & socios habere putabã: omnes enim Achaici deprecatores, item qui in Asia, quibus nõ erat ignotum, etiam quibus erat, in Africam dicuntur nauigaturi. Ita, præter Lælium, neminem habeo culpæ socium: qui tamen hoc meliore in causa est, quòd iam est receptus. de me autem, non dubito, quin ad Balbum, & ad Oppium scripserit: à quibus, siquid esset lætius, certior factus essem, tecum etiam essent locuti: quibuscum tu de hoc ipso colloquare uelim, & ad me quid tibi responderint, scribas: non quòd ab isto salus data quicquam habitura sit firmitudinis: sed tamen aliquid consuli, & prospici poterit. etsi omnium conspectum horreo, præsertim hoc genere: tamen, in tantis malis quid aliud uelim, non reperio. Quintus pergit, ut ad me & Pãsa scripsit, & Hirtius: ísque item Africam petere cum cæteris dicitur. Ad Minutium parẽtem scribã, & tuas literas mittam. ad te scribam, num quid egerit. HS XXX potuisse mirarer, nisi multa de Fufidianis prædijs. & id uideo tamen. Te expecto, quem uidere, si ullo modo potes uenire, peruellẽ. Iam extremum concluditur. ibi facile est, quid, quale sit, grauius existimare. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVONIAM iustas causas affers, quòd te hoc tempo cõ

re uidere non possim: quæso, quid sit mihi faciendum: illę enim ita uidetur Alexandriam tenere, ut eum scribere etiam pudeat de illis rebus. ij autem ex Africa iam affuturi uidentur. Achæi item ex Asia redituri ad eos, aut libero aliquo loco commoraturi. quid mihi igitur putas agendum? uideo difficile esse consilium: sum enim solus, aut cum altero, cui neque ad illos reditus sit, neque ab ijs ipsis quicquam ad spem ostendatur. sed tamen scire uelim, quid censeas: idque erat cum alijs, cur te, si fieri posset, cuperem uidere. Minutium XII sola curasse scripsi ad te antea. quod superest, uelim uideas ut curetur. Quintus non modo non cum magna prece ad me, sed acerbissime scripsit: filius uero mirifico odio. nihil fingi potest mali, quo non urgear. omnia tamen sunt faciliora, quàm peccati dolor, qui & maximus est, & æternus. cuius peccati si socios essem habiturus ego, quos putaui, tamē esset ea consolatio tenuis: sed habet aliorum omnium ratio exitum, mea nullum. alij capti, alij intercluſi non ueniunt in dubium de uoluntate: eo minus scilicet, cum se expedierint, & una esse cœperint. ij autem ipsi, qui sua uoluntate ad Fusium uenerunt, nihil possunt, nisi timidi existimari. multi autem sunt, qui, quicunq; sunt, modo ad illas se recipere uolent, recipientur. quo minus debes mirari, non posse me tanto dolori resistere: solius enim meū peccatum corrigi non potest, & fortasse Lælij: sed quid me id leuat? nam C. quidem Cassium aiunt consilium Alexandriam eundi mutauisse. Hæc ad te scribo, ut non queas tu demere solicitudinem, sed ut cognoscam, ecquid tu ad ea afferas, quæ me cōficiūt, ad quæ gener accedit, & cætera, quæ, fletu reprimor,

ne scribam. Quin etiam AEsopi F. me excruciat. prorsus nihil abest quin sim miserrimus. Sed ad primum reuertor: quid putes faciendum, occulténe aliquò propius ueniendũ, an mare transeundum: nam hic maneri di
utius non potest. De Fusidianis quare nihil potuit
conficiẽ genus enim conditionis eiusmodi fuit, in quo non solet esse controuersia: cum ea pars, quæ uidetur esse minor, licitatione expleri posset. Hæc ego non sine causa quæro: suspicor enim coheredes dubiam nostram causam putare, & eo rem in integro esse, Vale. prid. Id. Maij. ras

CICERO ATTICO S.

NON meo uitio fit hoc quidem tempore (ante enim est peccatum) ut me ista epistola nihil consoletur: nam & exigue scripta est, & suspiciones magnas habet, nõ esse ab illo, quas animaduertisse te existimo. De obuiam itione ita faciam ut suades: neque enim ualde aduentus eius opinio est: neque, siqui ex Asia ueniunt, quicquã auditum esse dicunt de pace: cuius ego spe in hanc fraudem incidi. Nihil uideo quod sperandum putem, nunc præsertim, cum ea plaga in Asia sit accepta, in Illyrico, in Cassiano negotio, in ipsa Alexãdria, in Vrbe, in Italia. ego uero, etiãsi rediturus ille est, qui adhuc bellum gerere dicitur, tamen ante reditũ eius negotium confectum iri puto. Quòd autẽ scribis quandam lætitiam bonorum esse commotam, ut sit auditum de literis: tu quidem nihil prætermittis in quo putes aliquid solatij esse: sed ego non adducor quẽquam bonum ullam salutem putare mihi tanti fuisse, ut eam peterem ab illo: & eo minus, quòd huius consilij iam

ne ſocium quidem habeo quenquam. qui in Aſia ſunt, rerum exitum expectant. Achaici etiam Fuſio ſpem deprecationis afferunt. horum & timor idem fuit primo, qui meus, & conſtitutum. mora Alexandrina causam illorum correxit, meam euertit. Quã ob rem idẽ à te nunc peto, quod ſuperioribus literis, ut ſiquid in perditis rebus diſpiceres, quod mihi putares faciendum, me moneres. ſi recipior ab ijs, quod uides non fieri, tamen quoad bellum erit, quid agam, aut ubi ſim, non reperio. ſin iactor, eo minus. Itaque tuas literas expecto: eáſque ut ad me ſine dubitatione ſcribas, rogo. Quòd ſuades, ut ad Quintum ſcribam de his literis: facerem ſi me quicquam iſtæ literæ delectarent. Etſi quidã ſcripſit ad me his uerbis, Ego, ut in his malis, Patris ſum non inuitus: eſſem libẽtius, ſi frater tuus ea de te loqueretur, quæ ego audire uellem.

Quòd ais illum ad te ſcribere, me ſibi nullas literas remittere: ſemel ab ipſo accepi: ad eas Cephalioni dedi, qui multos menſes tempeſtatibus retentus eſt. Quintum filium ad me acerbiſſime ſcripſiſſe, iam antè ad te ſcripſi. Extremum eſt, quod te orem, ſi putas rectum eſſe, & à te ſuſcipi poſſe, cum Camillo cõmunices, ut Terentiam moneatis de teſtamento. tempora monẽt, ut uideat, ut ſatisfaciat, quibus debeat. Auditum ex Philotimo eſt, eam ſcelerate quædam facere. credibile uix eſt. ſed certe, ſiquid eſt, quod fieri poſſit, prouidẽdum eſt. De omnibus rebus uelim ad me ſcribas, & maxime quid ſcribas de ea: in quo tuo conſilio ego, etiam ſi nihil excogitas: id enim mihi erit pro deſperato. Valẽ. III. Non. Iun.

CICERO ATTICO S.

PROPERANTIBVS tabellarijs alienis hãc epistolam dedi, eo breuiorem quòd eram missurus meos.

Tullia mea uenit ad me prid. Id. Iun. déque tua erga se obseruantia, beneuolentiáque mihi plurima exposuit, literáque reddidit trinas. Ego autem ex ipsius uirtute, humanitate, pietate non modo eã uoluptatem non cepi, quam capere ex singulari filia debui: sed etiam incredibili sum dolore affectus, tale ingenium in tam misera fortuna uersari: idque accidere nullo ipsius delicto, summa culpa mea. Itaque à te neque consolationem iam, qua capere te uti uideo, neque consilium, nec quod capi nullum potest, expecto, téque omnia cum superioribus sæpe literis, tum proximis tentasse intelligo.

Ego cum Sallustio Ciceronem ad Cæsarem mittere cogitabam. Tulliam autem non uidebam esse causam cur diutius mecum tanto in communi mœrore retinerem. Itaque erã tibi eã, cum primum per ipsam licuerit, remissurus. pro ea, quemadmodũ consolandis scripsisti, * P. tanta eo me scripsisse, quæ tu ipse intelligis responderi potuisse. Quòd Oppium tecum scribis locutum: non abhorret à mea suspicione eius oratio: sed nõ dubito quin istis persuaderi nullo modo possit, ea quæ faciant, mihi probari posse, quoquo modo loquar. ego tamen utar moderatione, qua potero. quanquam quid mea interest, ut eorum odium subeam, non intelligo.

Te iusta causa impediri quo minus ad nos uenias uideo, idque mihi ualde molestum est. Illum ab Alexandria discessisse nemo nuntiat, constátque ne profectum quidem illo quenquam post Id. Mart. nec post

Id. Dec. ab illo datas ullas literas. ex quo intelligis illud de literis ad V. Id. Febr. datis (quod mane esset, etiam si uerum esset) non uerum esse. L. Terentium discessisse ex Africa scimus, Pæstúmque uenisse: quid is afferat, aut quomodo exierit, aut quid in Africa fiat, scire uelim: dicitur enim per Nasidium emissus esse. id quale sit, uelim si inueneris, ad me scribas. De HS X. ut scribis, faciam. Vale. XVIII. Calend. Quint.

CICERO ATTICO S.

DE ILLIVS ab Alexãdria discessu nihil adhuc rumoris, contráque opinio, ualde esse impeditum. Itaque nec mitto, ut constitueram, Ciceronem: & te rogo, ut me hinc expedias. quoduis enim supplicium leuius est hac permansione. Hac de re & ad Antoniũ scripsi, & ad Balbum: & ad Oppium: siue enim bellum in Italia futurum est, siue classibus utetur, hic esse me minime conuenit: quorum fortasse utrunque erit: alterum certe intellexi omnino ex Oppii sermone, quem tu mihi scripsisti, quæ istorum uita esset. sed ut eam flectas te rogo. Nihil omnino iam expecto, nisi miserum. sed hoc perditius, in quo nunc sum, fieri nihil potest. Quare, cum Antonio loquare uelim, & cum istis, & rem ut poteris, expedias, & mihi quamprimum de omnibus rebus rescribas. Vale. XII. Cal. Quint.

CICERO ATTICO S.

CVM tuis dare possem literas, nõ prætermisi: etsi quid scriberem, non habebam. Tu ad nos & rarius scribis, quàm solebas, & breuiõ: credo quia nihil habes quod

me putes libenter legere, aut audire posse. Veruntamẽ uelim, quid erit, qualecunque erit, scribas. Est autem unum, quod mihi sit optandum, si quid agi de pace possit: quod nulla equidem habeo in spe: sed quia tu leuiter interdum significas, cogis me sperare, quod optandum uix est. Philotimus dicitur Idib. Sext. nihil habeo de illo amplius. tu uelim ad ea mihi rescribas, quæ ad te antea scripsi. mihi tantum tẽporis satis est, dum, ut in pessimis rebus, aliquid caueam, qui nihil unquã caui. Vale. XI. Cal. Sext.

CICERO ATTICO S.

AD VII. ~~X VII.~~ Cal. Sept. uenerat die XXVIII. Seleuceæ Peria C. Trebonij, is qui se Antiochiæ dicæret apud Cæsarẽ uidisse Quintum filiũ cum Hircio: eos de Quinto, quæ uoluissent impetrasse nullo quidem negotio. quod ego magis gauderem, si ista nobis impetrata quicquam ad spem explorati haberent. Sed & alia timenda sunt ab aliq́sque: & ab hoc ipso quæ dantur, ut à domino, rursus in eiusdem sunt potestate. etiam Sallustio ignouit, Omnino dicitur nemini negare. quod ipsum est suspectum, notionem eius differri. M. Gallius Q. F. mancipia Sallustio reddidit. Is uenit, ut legiones in Siciliam traduceret, & protinus iturum Cæsarem Patris. quod si faciet, ego quod antè mallem, aliquò propius accedam. Tuas literas ad eas, quibus à te proxime consilium petiui, uehementer expecto. Vale XVI. Cal. Sept.

CICERO ATTICO S.

ACCEPI VI. Cal. Sept. literas à te datas XII. Cal.

dolorémque, quem ex Quinti scelere iampridem acceptum iam abiecéram, lecta eius epistola grauissimum cepi. Tu etsi non potuisti ullo modo facere, ut mihi illam epistolam non mitteres, tamen mallem non esse missam. Ad ea autem, quæ scribis de testamento, uidebis quid, & quo modo. De numis, & illa sic scripsit, ut ego ad te antea, & nos si quid opus erit, utemur ex eo, de quo scribis. Ille ad Cal. Sept. Athenis non uidetur fore: multa eum in Asia dicuntur morari, maxime Pharnaces. Legio XII. ad quam primum Sulla uenit, lapidibus egisse hominem dicitur. nullam putant se commoturam. illum arbitrantur protinus Patris in Siciliam. sed, si hoc ita est, huc ueniat necesse est: ac mallem illum: aliquo enim modo hinc euasissem. nunc metuo, ne sit expectandum: & cum reliquis etiam loci grauitas hic miserrime perferenda. Quòd me mones ut ea uideam, quæ ad tempus accommodem, facerem, si res pateretur, & si ullo modo fieri posset: sed in tantis nostris peccatis, tantisque nostrorum iniurijs nihil est, quod aut facere dignum nobis, aut simulare possim. Sullana confers: in quibus omnia genere ipso præclarissima fuerunt, moderatione paulo minus temperata: hæc autem eiusmodi sunt, ut obliuiscar, multóque malim, quod omnibus sit melius, quorũ utilitati meam iũxi. Tu ad me tamen uelim quam sæpissime scribas: eóque magis, quòd præterea nemo scribit: ac si omnes, tuas tamen maxime expectarem. Quod scribis, illum per me Quinto fore placatiorem: scripsi ad te antea, eum statim Q. F. omnia tribuisse, nostri nullam mentionem. Vale.

CICERO ATTICO S.

DILIGENTER mihi fasciculum reddidit Balbi tabellarius: accepi enim à te literas, quibus uideris uereri, ut epistolas illas acceperim: quas quidem uellem mihi nunquam redditas: auxerunt enim mihi dolorẽ: nec si in aliquem incidissent, quicquam noui attulissent. Quid enim tam peruulgatum, quàm illius in me odium? & genus hoc literarum, quod ne Cæsar quidẽ ad istos uidetur misisse, quasi quo illius improbitate offenderetur: sed credo uti notiora nostra mala essent. Nã quòd te uereri scribis, ne illi obsint, eíque rei mederi: ne rogari quidem se passus est de illo. quod quidem mihi molestum non est: illud molestius, istas impetrationes nostras nihil ualere. Sulla, ut opinor, cras erit hic cum Messala. currunt ad illum pulsi à militibus, qui se negant usquam, nisi acceperint. ergo ille huc ueniet: quod non putabant: tarde quidem: itinera enim ita facit, ut multos dies in oppidum ponat. Pharnaces autem quomodo agit, afferet moram. quid mihi igitur cẽnses? * iam enim corpore uix sustineo grauitatem huius cæli, qui mihi laborem affert in dolore. An his illuc euntibus mandem, ut me excusent? ipse accedam propius? quæso attende: & me, quod adhuc sæpe rogatus non feci, consilio iuua. scio rem difficilem esse, sed ut in malis. Etiam illud mea magni interest, te ut uideam. profecto aliquid profecero, si id acciderit. De testamento, ut scribis, animaduertes. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVOD ad te scripseram, ut cum Camillo communica-

res, de eo Camillus mihi scripsit, te cum eo locutum. Tu as literas expectabam: nisi illud quidem mutari, si aliter est ac oportet, non uideo posse: sed cum à nullo accepissem literas, desideraui tuas (etsi putabam te fortiorem factum non esse) modo ualeres: scripseras enim te quodam ualetudinis genere tentari. Augustus quidem Rhodo uenerat VIII. Id. Quint. is nuntiabat, Quintum F. ad Cæsarem profectum III I. Cal. Iun. Philotimum Rhodũ pridie eius diei uenisse, habere ad me literas. ipsum Augustum audies, sed tardius iter faciebat. eo feci, ut celeriter eunti darem. quid sit in his literis, nescio. sed mihi ualde Quintus frater gratulatur. Equidem in meo tanto peccato nihil necogitatione quidem assequi possum, quod mihi tolerabile possit esse. Te oro, ut de hac misera cogites, & illud, de quo ad te proxime scripsi, ut aliquid cõficiatur ad inopiam propulsandam, & etiam de ipso testamento. illud quoque uellem antea. sed omnia timuimus. melius quidem in pessimis nihil fuit. Dissidio aliquid fecissemus, ut uiui uel tabularum nouarum nomine, uel no
* cturnarum expugnationem, uel Metellæ, uel omnium maiorum. nec res res periisset, & uideremur aliquid doloris uirilis habuisse. Memini omnino tuas literas. sed & tempus illud, & siquid uis præstitit. nunc quidem ipsa uidetur denuntiare: audimus enim de statu Reip. O Dij, generumne nostrum potissimum, ut hoc uel tabulas nouas? Placet mihi igitur, & idem tibi, nuntium remitti. petet fortasse tertiam pensionem. Considera igitur tum, ne uim abuso nascatur, an prius ego si ullo modo potuero, uel nocturnis itineribus experiar ut te uideam. Tu & hæc, & siquid erit quod interfit

me scire, scribas uelim. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVAE dudum ad me, & quæ etiam ad me bis, ad Tullam de me scripsisti, ea sentio esse uera. eo sum miserior. etsi nihil uidebatur addi posse, quòd mihi non modo iratsci grauissima iniuria acceptæ, sed ne dolere quidem impune liceat. Quare istud feramus. quod cum tulerimus, tamen eadem erunt perpetienda, quæ tu, ne accidant, ut caueamus mones. Ea enim est à nobis contracta culpa, ut omni statu, omníque populo eundem * exitum habitura uideatur. sed ad meam manum reddiderint enim hæc occultius agenda. Vide quæso etiam nunc de testamento, quod tum factum, cum illa quæ- * rere cœperat. non credo, & commoti: neque enim rogari, ne me quidem, sed quasi ita sit, quoniam in sermone iam ueniſti, poteris eam monere, ut alicui comitat, cuius extra periculum huius belli fortuna sit. Equidem tibi potissimum uelim, si idem illa uellet: quam quidē cælo. miseram, in hoc timere de illo altero. Scio equidem uenire nunc nil posse: sed seponi, & occultari possunt, ut extra ruinam sint eam, quæ impendet. Nam quòd scribis nobis, nostrā, & tuā Terentiæ fore parata: tua credo: nostra quæ poterunt esse? De Terentia autem (mitto cætera, quæ sunt innumerabilia) quid ad hoc addi potest? scripseras, ut HS XII. permutaret, tantum esse reliquum de argento. misit illa CCLↃↃ. mihi, & ascripsit tantum esse reliquum. Cum hoc tam paruum de paruo detraxerit, perspicis quid in maxima re fecerit? Philotimus non modo nullus uenit, sed ne per literas quidem, aut per ut se

nuntium certiorem facit me quid egerit. Epheso qui uenerunt, ibi se eum de suis controuersijs in ius adeuntem uidisse nuntiant: quæ quidem (ita enim ueri simile est) in aduentum Cæsaris fortasse reijciuntur. Ita aut nihil puto eũ habere quod putet ad me celerius perferendum, & eo me magis esse despectum: aut etiam siquid habet, id nisi omnibus suis negotijs confectis ad me referre nõ curet. Ex quo magnum equidem capio dolorem, sed non tantum, quantum uideor debere: nihil enim mea minus interesse puto, quàm quid illinc afferatur. Id quamobrem, te intelligere certo scio.

Quòd me mones de multu, & oratione ad tempus accommodãda, etsi difficile est, tamen imperarem mihi, si mea quicquam interesse putarem. Quòd scribis literis putare Africanum negotium confici posse: uelim scriberes, aut ita putares. Mihi quidem nihil in mentem uenit, quare id putem fieri posse. Tu tamen uelim, siquid erit, quod consolationis aliquid habeat, scribas ad me: sin, ut perspicio, nihil erit, scribas id ipsum. Ego ad te, siquid audiero, citius scribam. Vale. VIII. Id. Sext.

CICERO ATTICO S.

FACILE assentior tuis literis, quibus exponis pluribus uerbis, nullum te habere consilium, quo à te possim iuuari. Consolatio certe nulla est, quæ leuare possit dolorem meum: nihil est enim contractum casu: nam id esset ferendum: sed omnia fecimus his erroribus, & miserijs & animi, & corporis: quibus proximi utinam mederi maluissent, quàm obesse. Quoniam neque consilij tui, neque consolationis cuiusquam spes

ulla mihi ostenditur, non quæram hæc à te posthac. Tantum uelim ne pristinum hoc officium intermittas: scribas ad me quicquid ueniet tibi in mentem, cum habebis cui des, & dum erit ad quem des: quod longum non erit. Illum discessisse Alexandria rumor est non firmus, ortus ex Sulpitij literis, quas cuncti postea nuntij confirmarunt. Quod uerum an falsum sit, quoniam mea nihil interest, utrum malim nescio.

* Quod ad te iam pridem de testamento scripsi apud epistolas, uelim ut possim aduersus ego huius miseriam ea facultate confectus conflictari. Nihil unquam simile natum puto. Cui si qua re consulere aliquid possum, cupio à te admoneri. Video eandem esse difficultatem, quam in consilio dato ante: tamen hoc me magis solicitat, quàm omnia. In pensione secunda cæci fuimus. Alium mallem. sed præteriit. Te oro, ut in perditis rebus, siquid cogi conficique potest, quod sit in tuto, ex argento, neque satis multa ex supellectile, des operam. Iam enim mihi uidetur adesse extremum, nec ulla fore conditio pacis, eáque quæ sunt, etiam sine aduersario peritura. Hæc etiam, si uidebitur, cum Te decet loquare ex tempore loquere oportune. Non queo omnia scribere. Vale. III. Non. Quint.

M TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T. POMPONIVM ATTICVM. LIBER XII.

CICERO ATTICO S.

VNDECIMO die, postquã à te discesseram, hoc literulariũ exaraui egrediens è villa ante lucẽ: atque eo die cogitabam in Anagnino, postero autem in Tusculano. Ibi unum diem, V. Cal. igitur ad constitutum: atque utinam continuo ad complexum meæ Tulliæ, ad osculum Atticæ possim currere. Quod quidẽ ipsum scribe quæso ad me, ut dum cõsisto in Tusculano, sciam quid garriat. sin rusticatur, aliquid scribat ad te: eique interea aut scribés salutẽ, aut nuntiabis, itémque Piliæ: & tamen etsi continuo congressuri sumus, scribes ad me siquid habebis. Cum complicarem hanc epistolam, noctuabundus ad me uenit cum epistola tua tabellarius. qua lecta, de Atticæ febricula scilicet ualde dolui. Reliqua quæ expectabam, ex tuis literis cognoui omnia. Sed quòd scribis igniculum matutinum, πρωϊνώτερον est memoriola uacillare. Ego enim IIII. Cal. Axiõ dederam, tibi II. II: Quinto quo die uenissem, id est V. Cal. Hoc igitur habebis, noui nihil. Quid ergo opus erat epistola? quid cum coram sumus, & garrimus quicquid in buccam? est profecto quædam λέσχη, quæ habet, etiam si nihil subest, collocutione ipsa suauitatem. Hic rumor est, T. Murcum periisse naufragio, Asinium delatum

uiuum in manus militum, L. naues delatas Vticam reflatu hoc, Pompeium non comparere, nec in Baleari-
bus omnino fuisse, ut Patietus affirmat. Sed auctor
nullus rei quisquam. Habes, quæ dum tu abes, locuti
sunt. Ludi interea Prænestæ. Ibi Hircius, & isti omnes,
& quidem ludi dies octo. Quæ cœnæ? quæ deliciæ?
res interea fortasse transacta est. O miros homines.
At Balbus ædificat. τί γὰρ αὐτῷ μέλει; Verũ, si quæ-
ris hominem, homini non recta, sed uoluptaria quæren
ti nónne βιβίωται: tu interea dormis. Iam explicandũ
est πρόβλημα, siquid acturus es. Si quæris quid putẽ,
ego fructum puto. Sed quid multa? iam te iudebo, &
quidem, ut spero, de uia rectà ad me: simul enim &
diem Tyrãnioni constituemus, & siquid aliud. Vnum
te puto minus blandum esse, quàm me. Aut, si uter-
que nostrum est aliquando aduersus aliquẽ, inter nos
certe nunquam sumus. Audi igitur me hoc ἀγοητεύτως
dicentem. Ne uiuam mi Attice, si mihi non modo Tu-
sculanũ, ubi cæteroqui sum libẽter, sed μακάρων νῆσοι
tanti sunt, ut sine te sim totos dies. Quare obduretur
hoc triduũ: ut te quoque ponam in eodem πάθει: quòd
ita est profecto. Sed uelim scire, hodiéne statim de ac-
tione, & quo die uenias. Ego me interea cum libellis.
At molestè fero Vẽnonij me historiam non habere. Sed
tamen, ne nihil de re, nomen illud, quòd à Cæsare, &
treis habet conditiones, aut emptionẽ ab hasta (perdere
malo: etsi præter ipsam turpitudinem, hoc ipsum puto
esse perdere) aut delegationem à mancipe annua die
(quis erit, cui credam? aut quando ipsi Metoni annus
ueniet?) aut Vecteni conditionem. Semisse οὐγκίᾳ igitur
* Ac uereor, ne iste iam auctionem nullam faciat, sed lu-

dis factis Clypo subsidio currat, ne talis uir ἀλογήσῃ. Sed μελήσει.

CICERO ATTICO S.

O GRATAS tuas mihi, iucundásq; literas. Quid quæris? restitutus est mihi dies festus: angebar enim, quòd Tiro ὑστερουμένιστερον te sibi esse uisum dixerat. Addam igitur, ut censes, unum diem. Sed de Catone πρόβλημα ἀρχιμήδειον est. Non assequor, ut scribam, quod tui cõiuiuæ non modo libenter, sed etiam æquo animo legere possint. Quin etiam, si à sententijs eius dictis, si ab omni uoluntate, consiliÿsque, quæ de Rep. habuit, recedam, τινδώσσω uelim grauitatẽ, constantiámque eius laudare: hoc ipsum tamen ijs odiosum ἄνουσμα sit. Sed uere laudari ille uir non potest, nisi hæc ornata sint, quòd ille ea, quæ nunc sunt & futura uiderit, &, ne fierent, contenderit, &, facta ne uideret, uitam reliquerit. Horũ quid est, quod Aledio probare possimus? sed cura obsecro, ut ualeas, eámque, quam ad omneis res adhibes, in primis ad cõualescendũ adhibe prudentiã.

CICERO ATTICO S.

Q VINTVS pater quartum, uel potius millesimum, nihil sapit, qui lætetur Luperco filio, & Statio, ut cernat duplici dedecore cumulatam domum. addo etiam Philotimum tertium. O stultitiã, nisi mea maior esset, singularem. (quòd autem oſim hanc rem, ἔρανον à te) fac, non ad δίψῶσαν ὑρήνην, sed ad παρήνην eum uenisse ἄμπνευμα σιμνὸν Αλφειοῦ παρήνην (ut scribis) haurire, in tantis suis præsertim angustijs, ποῖ ταῦτ' ἄρ' ἀποσκήψα, sed ipse uiderit. Cato me quidem delectat, sed

etiam Bassum Lucilium suade Celio, tu quæres, ut scribis. Ego nihil noui. noscenda est natura, non facultas. Modo de Hortensio, & Verginio, tu siquid dubitabis: & si, quòd magis placeat: ego quantū aspicio, non facile mueneris. Cum Mustella, quemadmodum scribis, cum uenerit Crispus. Ad Aulum scripsi, ut ea, quæ bene nossem de auro, Pisoni demonstrarem. Tibi enim sanè assentior, & istud nimiū diu duci, & omnia nunc undique contrahenda. Te quidem nihil agere, nihil cogitare aliud nisi quod ad me pertineat, facile perspicio, meisque negotijs impediri cupiditatem tuā ad me ueniendi. Sed mecum esse te puto, non solum quòd meam rem agis, uerumetiam quòd uidere uideor quo modo agas: neque enim ulla hora tui mihi est operis ignota. Tubulum Præt. uideo L. Metello, Q. Maximo Coss. Nunc uelim P. Scæuola Pōtifex maximus, quibus Coss. Trib. pl. equidem puto Cepione, & Pompeio: Præt. enim P. Furio Sex. Atilio. Dabis igitur Tribunatum, & si poteris Tubulus, quo crimine, Et uide quæso; L. Libo, ille qui de Ser. Galba, Censorino, & Manlio, an Quintio, Manlio Coss. Trib. pl. fuerit: conturbor enim. In Bruti epitoma Fannianorum scripsi, quod erat in extremo: idque ego secutus, hunc Fanniū qui scripsit historiam, generum esse scripseram Lælij. Sed tu me γνωμιτριπῶς refelleras: te autem nunc Brutus, & Fannius. Ego tamen de bono auctore Hortēsio sic acceperam, ut apud Brutum est. Hunc igitur locum expedies. Ego misi Tironem Dolabellæ obuiam. Is ad me Idibus reuertetur. Te expectabo postridie. De Tullia mea tibi antiquissimum esse uideo: idque ita ut sit, te uehemēter rogo. Ergo & in integro omnia: sic enim scribis. Mihi

etsi Calēdæ uitādæ fuerunt, insessionúmque ἀρχίτυπα fugienda, cōficiendæque tabulæ: nihil tamen tanti, ut à te abesſem, fuit. Cum Romæ eſſem, & te iam, iámque uiſurū me putarem quotidie: tamen horæ quibus expectabam, longæ uidebātur. Scis me minime eſſe blandum. Itaque minus aliquanto dico, quàm ſentio.

CICERO ATTICO S.

DE CELIO uide quæſo ne quæ lacuna ſit in auro. Ego iſta non noui. Sed ecquid in colybo eſt detrimēti ſactis. huc aurum ſi accēdit. Sed quid loquor? tu uidebis. Habes Hægeſiæ genus, quod Varro laudat. Venio ad Tyrannionem. Am tu fuerum hoc fuit? ſine me? At ego quoties, cū eſſem otioſus, ſine te tamen nolui? quomodo hoc ergo lues? Vno ſalicet, ſi mihi librum miſeris: quod ut facias, etiam atque etiam rogo. Etſi me non magis liber ipſe delectabit, quàm tua admiratio delectauit: amo enim πάντα φιλόδημον: téque iſtam tam tenuē θεωρίαν tā ualde admiratū eſſe gaudeo. et ſi tua quidē ſunt eiuſmodi omnia: ſcire enim uis, quo uno animus alitur. Sed quæſo quid ex iſta acuta, & graui refertur ad τέλος? ſed lōga oratio eſt, & tu occupatus in meo fortaſſe aliquo negotio: & pro iſto aſſo ſole, quo tu abuſus es in noſtro pratulo, à te nitidū ſolē uncтúmq; repetemus. Sed ad prima redeo. Librū, ſi me amas, mitte: tuus eſt enim profecto: quoniam quidem eſt miſſus ad te. Tantúmne ab re tua eſt otij tibi, ut etiam oratorem legas? macte uirtute, mihi quidem gratum, & erit gratius, ſi non modo in libris tuis, ſed etiam in aliorum per librarios tuos Ariſtophanem repoſueris pro Eupoli. Cæſar autem mihi irridere uiſus eſt

QVAESO illud tuum, quod erat εὐφυὲς, & urbanum. Ita porrò te sine cura esse iussit, ut mihi quidē dubitationem omnem tolleret. Atticam doleo tandiu: sed quoniam iam sine horrore est, spero esse, ut uolumus.

Quæ desideras, omnia scripsi in codicillis, eósque Eroti dedi: breuiter, sed etiā plura quàm quæris: in ijs de Cicerone, cuius quidem cogitationis initium tu mihi attuliſti. Locutus sum cum eo liberaliſſime: quod ex ipso uelim, si modo tibi erit commodum, ſciſcitere. Sed quid differo? Expoſui, te ex me detuliſſe, ecquid uellet, ecquid requireret, uelle Hiſpaniam, requirere liberalitatem. De liberalitate dixi, quantum Publius, quantū Flamen Lentulus filio. De Hiſpania duo attuli, primū idem, quod tibi: me uereri uituperationem: nō ſatis eſſe, si hæc arma reliquiſſemus etiam contraria: deinde fore, ut angeretur, cum à fratre familiaritate & omni gratia uincēretur. Velim magis liberalitate uti mea, quàm ſua libertate: ſed tamen permiſi: tibi enim intellexerā non nimis diſpliceре. Ego etiam, atque etiam cogitabo: téque, ut idem facias rogo. Magna res, ſimplex eſt manere: illud anceps. Verum uidebimus. De Balbo, & in codicillis ſcripſerā, & ita cogito ſimul ac redierit. Sin ille tardius, ego tamen triduū. &, quod præterij, Dolabella etiam mecū. De Cicerone, multis res placet. Comes eſt idoneus. ſed de prima penſione antè uideamus. Adeſt enim dies, & ille currit. Scribe quæſo, quid referat Celer egiſſe Cæſarem cum candidatis, utrum ipſe in fœnicularium, an in campū Martium cogitet. Et ſanè ſcire uelim nunquid neceſſe ſit comitijs eſſe Romæ: nam & Piliæ ſatisfaciendum eſt, & utique Atticæ. Næ ego eſſem hic libēter, atque id quotidie ma-

gis, ni esset ea causa quam tibi superioribus literis scripsi. Nihil hac solitudine iucundius, nisi paulum interpellasset Amyntæ filius, ὦ ἀπραγτολογίαν δός. Cætera noli putare amabiliora fieri posse ulla litore, prospectu maris, tum his rebus omnibus. Sed neque hæc digna longioribus literis, nec erat quòd scriberem, & somnus urgebat. Male mehercule de Athamante. Tuus autem dolor humanus is quidem, sed magnopere moderandus. consolationum autem multæ uiæ: sed illa rectissima. Impetret ratio, quod dies impetratura est. Alexim uero curemus, imaginem Tironis, quem ægrũ Romam remisi: & siquid habet, collis, ἐπιδήμιον, ad me cum testamento transferamus. tota domus superior uacat, ut scis. hoc puto ualde ad rem pertinere.

Male de Scio: sed omnia humana tolerabilia ducenda: ipsi enim quid sumus? aut quandiu hæc curaturi sumus? Ea uideamus quæ ad nos magis pertinent, nec tamen multo, quid agamus de senatu. &, ut nequid prætermittã, Cesonius ad me literas misit, Posthumiã Sulpitij domum ad se uenisse. De Pompeij Magni filia, tibi rescripsi, nihil me hoc tempore cogitare. alterã uero illam, quam tu scribis, puto nosti: nihil enim uidi fœdius. sed adsum. corãm igitur. Obsignata epistola accepi tuas. Atticæ hilaritatem libenter audio. cõmotiunculis συμπάσχω. De dote tanto magis perpurga. Balbi regia conditio est delegandi. quoquo modo conficæ. turpe est rem impeditam iacere. insula Arpinas habere potest germanã ἀποθέωσιν: habere uideatur: ἐυγόνιμος est: igitur animus in hortis: quos tamẽ inspiciam, cum uenero. De Epicuro, ut uoles: etsi μεθαρμόξομαι in posterum. genus hoc personarũ, incredibile est, quàm

ea quidem requirant. Ad antiquos igitur: ἀνιμίσητον γάρ. Nihil habeo ad te quod perscribã: sed tamen instituí quotidie mittere, ut eliciam tuas literas: non quo aliquid ex his expectem, sed nescio quomodo tamen expecto. Quare siue habes quid, siue nihil habes, scribe tamen aliquid: téque cura. Cõmouet me Attica. etsi assentior Cratero. Bruti literæ scriptæ & prudenter, & amicæ, multas mihi tamen lacrimas attulerunt: me hæc solitudo minus stimulat, quàm ista celebritas. Te unum desidero. sed literis nõ difficilius utor, quàm si domi essem. ardor tamen ille urget, & manet, non mehercule indulgente me, sed tamen repugnante.

Quòd scribis de Apuleio, nihil puto opus esse tua cõtentione, nec Balbo, & Oppio. quibus quidem ille receperat, mihíque etiam iusserat nuntiari, se molestum omnino non futurum. sed cura ut excuser morbi causa in dies singulos. Lænas hoc receperat. prende C. Septimium, L. Statiliũ. denique nemo negabit se iraturũ, quem rogaris. quod si erit durius, ueniam, & ipse perpetuũ morbum iurabo. cum enim mihi carendum sit conuiuijs, malo id lege uideri facere, quàm dolore. Cocceiũ uelim appelles: quod enim dixerat, non facit. Ego autem uolo aliquod emere latibulum, perfugiũ doloris mei. De me excusando apud Apuleium dederã ad te pridie literas. nihil esse negotij arbitror. quẽcunque appellaris, nemo negabit. sed Septimium uide, & Lænatem, & Statiliũ: tribus enim opus est. sed mihi Lænas totum receperat. Quòd scribis à Iunio te appellatum: omnino Cornificius loquples est: sed tamẽ scire uelim quando dicar spopondisse, & pro patre, anne pro filio: neq; eo minus, ut scribis, procuratores Corni-

ficij,& Apuleium prædiatorem uidebis. Quòd me ab hoc mœrore recreari uis,facis ut omnia.sed me mihi non defuisse tu testis es: nihil enim de mœrore minuendo, scriptum ab ullo est, quod ego non domi tuæ legerim.sed omnem consolationem uincit dolor. Quin etiã feci quod profecto ante me nemo,ut ipse me per literas consolarer.quẽ librum ad te mittam,si descripserint librarij.affirmo tibi nullã consolationem esse talẽ. Totos dies scribo:non quo proficiam quid,sed tantisper impedior,non equidem satis(uis enim urget)sed relaxor tamen,ad omniáq; nitor,non ad animum,sed ad uultum ipsum,si queam,reficiẽdum: idque faciens,interdum mihi peccare uideor,interdum peccaturus esse, nisi faciam. Solitudo aliquid adiuuat:sed multo plus proficeret, si tu tamen interesses. quæ mihi una causa est hinc discedendi:nam pro malis recte habebat.quanquam ipsum doleo: non enim iam in me idem esse poteris.perierunt illa quæ amabas. De Bruti ad me literis scripsi ad te antea. prudenter scripsi.sed nihil, quod me adiuuarent.Quod ad te scripsit, id uellem, ut ipse adesset: certe aliquid, quoniam me tam ualde amat,adiuuaret.quòd siquid scies, scribas ad me uelim,maxime autem,Pansa quando. De Attica doleo: credo tamen Cratero. Piliam angi uetabat. Pro omnibus Apud Apuleiũ,quoniã in perpetuum non placet,in dies ut excuser, uidebis. In hac solitudine careo omnium colloquio:aimque mane me in siluã abstrusi densam, & asperam, non exeo inde ante uesperum. secundum te,nihil est mihi amicius solitudine. In hac mihi omnis sermo est cum literis.eũ tamen interpellat fletus:cui repugno, quoad possum:sed adhuc pares nõ

ſumus. Bruto, ut ſuades, reſcribam. eas literas cras habebis. cum erit cui des, dabis. Te tuis negotijs relictis nolo ad me uenire: ego enim potius accedam, ſi diutius impediere: etſi ne deceſſiſſem quidem è conſpectu tuo, niſi me planè nihil ulla res adiuuaret. quòd ſi eſſet aliquod leuamen, id eſſet in te uno: & cum primum ab aliquo poterit eſſe, à te erit. Nunc tamen ipſum ſine te eſſe nō poſſum: ſed nec tuæ domui prohibebatur, nec meæ poteram: nec, ſi propius eſſem uſpiam, tecum tamen eſſem: idem enim te impediret, quo minus mecum eſſes, quod nunc etiam impedit. mihi adhuc nihil aptius fuit hac ſolitudine: quam uereor, ne Philippus tollat: heri enim ueſperi uenerat. me ſcriptio, & literæ non leniunt, ſed obturbant. Martianus ad me ſcripſit, me excuſatum eſſe apud Apuleium à Laterenſi, Naſone, Lænate, Torquato, Strabone. His uelim meo nomine reddēdas literas cures, gratum mihi eos feciſſe. Quod pro Cornificio me abhinc amplius annis XXV ſpopondiſſe dicit Flauius, etſi reus locuples eſt, & Apuleius prædiator liberalis, tamen uelim des operam ut inueſtiges ex cōſponſorū tabulis, ſitne ita. mihi enim ante AEdilitatem meam nihil erat cum Cornificio. poteſt tamen uideri. ſed ſcire certum uelim, & appelles procuratores, ſi tibi uidetur: quanquā quid ad me? Veruntamen. Panſæ profectionem ſcribes, cum ſcies. Atticam ſaluere iube, & eam curā obſecro diligenter. Piliæ ſalutem. Dū recordationes fugio, quæ quaſi morſu quodam dolorem efficiunt, refugio à te admonendo. quod uelim mihi ignoſcas, eiuſmodi eſt: etenim habeo nonnullos ex ijs, quos nunc lecito, auctores, qui dicant fieri id oportē-

re, quod sæpe tecum egi, & quod à te approbari uolo. de fano illo dico, de quo tantum, quantum me amas, uelim cogites. Equidem neque de genere dubito: placet enim mihi Cluatij: neque de re, statutum est enim. de loco nonnunquam. Velim igitur cogites. Ego, quantum his temporibus tam eruditis fieri poterit, profecto illam consecrabo omni genere monimentorum ab omnium ingenijs scriptorum & Græcorum, & Latinorum. quæ res forsitan sit refricatura uulnus meũ. sed iam quasi uoto quodam, & promisso me teneri puto: longúmque illud tempus, cum non ero, magis me mouet, quàm hoc exiguum, quod mihi tamen nimium longum uidetur. habeo enim nihil, tentatis rebus omnibus, in quo acquiescam: nam dum illud tractabam, de quo antea scripsi ad te, quasi fouebam dolores meos. nunc omnia respuo, nec quicquam habeo tolerabilius, quàm solitudinem. quam (quod eram ueritus) non obturbauit Philippus: nam, ut heri me salutauit, statim Romam profectus est. Epistolam quam ad Brutum, ut tibi placuerat, scripsi, misi ad te. curabis cum tua perferendam. eius tamen misi ad te exemplum, ut si minus placeret, ne mitteres. Domestica quòd ais ordine administrari, scribes quæ sint ea: quædã enim expecto. Cocceius uide ne frustretur: nã Libo quod pollicetur, ut Eros scribit, nõ mœrtum puto de sorte mea. Sulpitio confido, & Egnatio Scilicet. de Apuleio quid est, quod labores? cui sit excusatio facilis. Tibi ad me uenire, ut ostendis, uide, ne non sit facile: est enim lõgum iter: discedentémque te, quod cœleriter tibi erit fortasse faciendum, non sine magno dolore dimittam. Sed omnia, ut uoles. ego enim, quicquid feceris, id cum re-

ete, tum etiam mea causa factum putabo. Heri, cum ex aliorum literis cognouissem de Antonij aduentu, admiratus sum nihil esse in tuis: sed erant pridie fortasse scriptæ, quàm datæ. neque ista quidem curo. sed tamē opinor propter prædes suos accurrisse. Quòd scribis Terētiam de obsignatoribus mei testamenti loqui: primum tibi persuade, me isthæc non curare: neque esse quicquam aut paruæ curæ, aut nouæ loci: sed tamen quid simule? Illa eos non adhibuit quos existimauit quæsituros, nisi scissent quid esset. num id etiā mihi periculi fuit? Sed tamen faciat illa quod ego. dabo meum testamentum legendum cui uoluerit. intelliget non potuisse honorificentius à me fieri de Nepote, quàm fecerim. nam quòd non aduocaui ad obsignā dum: primum mihi non uenit in mentem: deinde ea re non uenit, quia nihil attinuit. tute scis (si modo meministi) me tibi tum dixisse, ut de tuis aliquos ad ducēres. quid enim opus erat multis? equidem domesticos iusseram. Tum tibi placuit ut mitterem ad Silium. inde est natum, ut ad Publium. sed necesse neutrum fuit. Hoc tu tractabis, ut tibi uidebitur. Est hic quidem locus amœnus, & in mari ipso, qui & Antio, & Circæis aspici possit: sed ineunda nobis ratio est, quemadmodum in omni mutatione dominorum, qui innumerabiles fieri possunt in infinita posteritate (si modo hæc stabunt) illud quasi consecratum remanere possit. Equidem iam nihil ego uectigalibus, & paruo contentus esse possum. cogito interdum trans Tyberim hortos aliquos parare, & quidē ob hanc causam maxime. nihil enim uideo quod tam celebre esse possit: sed quos, coràm uidebimus: ita tamen, ut hac æstate

hæc

fanum absolutum sit. tu tamen cum Apella Chio consice de columnis. De Cocceio, & Libone quæ scribis, approbo, maximè quòd de iudicatu meo responsum sit. Siquid perspexeris, & tamen quid procuratores Cornificij dicant, uelim scire, ita, ut in ea re te, cum tam occupatus sis, non multum operæ uelim ponere. De Antonio quoque Balbus ad me cum Oppio conscripsit, idque tibi placuisse, ne perturbarer. illis ego gratias. Te tamen, ut iam antè ad te scripsi, scire uolo, me neque isto nuntio esse perturbatum, nec iam ullo perturbatum iri. Pansa si hodie, ut putabas, profectus est, posthac iam incipito scribere ad me, de Bruti aduentu quid expectes, id est quos ad dies. id, si scies ubi iam sit, facile coniectura assequere. Quòd ad Tironem de Terentia scribis, obsecro te mi Attice suscipe totum negotium. uides & officium agi meum quoddam, cui tu es conscius, & ut nonnulli putant, Ciceronis rem. Me quidem id multo magis mouet, quod mihi est & sanctius, & antiquius, præsertim cum hoc alterum neque sinærũ, neque firmum putem fore. Non dum uideris perspicere, quàm me nec Antonius commouerit, nec quicquam iam eiusmodi possit commouere. De Terentia autem scripsi ad te ijs literis quas dederam pridie. Quòd me hortaris, idque à cæteris desiderari scribis, ut dissimulẽ me tam grauiter dolere: possúmne magis, quòd totos dies consumo in literis? quod etsi non dissimulationis, sed potius leniendi, & sanandi animi causa facio: tamen, si mihi minus proficio, simulationi certe facio satis. Minus multa ad te scripsi, quòd expectabã tuas literas ad eas quas ad te pridie dederam. Expectabam autem maxime de fano, nõ

nihil etiam de Terentia. Velim me facias certiorem proximis literis, Cn. Cepio Seruiliæ Claudij pater, uiuóne patre suo naufragio perierit, an mortuo. Itē Rutilia uiuóne C. Cotta filio suo mortua sit, an mortuo. Pertinet ad eum librum, quem de luctu minuendo scripsimus. Legi Bruti epistolam, eámque tibi remisi, sanè non prudenter rescriptam ad ea quæ requisieras. sed ipse uiderit. quanquam illud turpiter ignorat. Catonem primum sententiam putat de animaduersione dixisse, quam omnes ante dixerant, præter Cæsarem. & cum ipsius Cæsaris tam seuera fuerit, qui tum prætorio loco dixerit, consularium putat leuiores fuisse, Catuli, Seruilij, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellij, Volcatij, Figuli, Cottæ, L. Cæsaris, C. Pisonis, etiam M. Atilij Glabrionis: Syllani, Murenæ, designatorum Consulum. Cur ego in sententiam Catonis? quia uerbis luculentioribus, & pluribus rem eandem comprehenderat. me autem hic laudat, quòd retulerim, non quòd pateſe cerim, quòd cohortatus sim, quòd denique antè, quàm consulerē, ipse iudicauerim. Quæ omnia quia Cato laudibus extulerat in cælū, perscribendáq; cænsuerat, iccirco in eius sententiam est facta discessio. hic autem se etiam tribuere multum mihi putat, quòd scripserit, optimum Consulem: quis enim ieiunius dixit inimicus? Ad cætera uero, tibi quemadmodum rescripsit? tantum rogat de S.C. ut corrigas. hoc quidem feciſſet, etiā si Ranio admonitus esset. sed hæc iterum ipse uiderit. Ad De hortis, quoniā probas, efficæ aliquid. Rationes meas nosti. Si uero etiam à Faberio recēdit, nihil negotij est. sed etiam sine eo posse uideor contēdere. uenales certe sunt Drusi, fortasse & Lamia

Drusi fortasse & Lamiani Cassiana

ni, & Cassiani, sed coràm. De Terentia non possum commodius scribere quàm tu scribis. officium sit nobis antiquissimũ. siquid nos fefellerit, illius malo me, quàm mei pœnitere. Quæ C. Lolij curanda sunt HS C. ne forte gat Eros posse sine me: credo. quòd accipiẽda aliqua sit & danda æstimatio. uellẽ tibi dixisset: si enim res est, ut mihi scribit, parata, nec in eo ipso mentitur, per te confici potuit, cognoscas & conficias uelim. Quòd me in forum uocas, eò uocas unde etiam bonis meis rebus fugiebam. quid enim mihi cum foro, sine curiâ in oculos incurrentibus ijs, quos æquo animo uidere non possum? Quòd autem homines à me postulare scribis ut Romæ sim, neque mihi ut, absim concedere, aut quatenus eos mihi cõcedere: iam pridem scito esse cum unum te pluris quàm omneis illos putem: ne me quidẽ contemno, meóque iudicio multo stare malo, quàm omnium reliquorum. neque tamen progredior longius, quàm mihi doctissimi homines concedunt. quorum scripta omnia quæcunque sunt in eam sententiã, non legi solũ (quod ipsum erat fortis ægroti accipere medicinã) sed in mea etiam scripta transtuli, quod certe afflicti, & fracti animi non fuit. Ab his me remedijs noli in istam turbam uocare, ne recidam. De Terentia, quòd mihi omne onus imponis, non cognosco tuam in me indulgentiam. ista enim sunt ipsa uulnera, quæ non possum tractare sine maximo gemitu. Moderare igitur quæso, ut potes: neque enim à te plus, quàm potes, postulo. Potes autẽ quid ueri sit perspicere tu unus. De Rutilia, quorum uideris dubitare, scribes ad me, cum scies: sed quam primum, num Clodia D. Bruto consulari filio suo mortuo uxerit. id de Marcello, aut certe

de Posthumia sciri potest: illud autē de M. Cotta, aut de Syro, aut de Satyro. De hortis etiam atque etiā rogo, omnibus meis, eorúmq; quos scio mihi non defuturos, facultatibus, sed potero meis, enitendum mihi est. Sunt etiam quæ uendere facile possim. sed, ut non uendam, eíque usuram pendam à quo emero, non plus annum possum assequi, quod uolo. si tu me adiuuas, paratissimi sunt Drusi. cupit enim uendere. Proximos puto Lamiæ: sed abest. Tu tamen siquid potes, odorare. ne Silius quidem quicquam utitur, & ijs usuris facillime sustentabitur. Habe tuum negotiū, nec quid res mea familiaris postulet, quam ego non curo, sed quid uelim, existima. Putaram te aliquid noui, quod eiusmodi fuerat initium litterarum, quamuis non curarem, quid in Hispania fieret, tamen te scripturum. sed uidelicet meis literis respondisti, ut de foro & de curia. Sed domus est, ut ais, forum. Quid ipsa domo mihi opus est cū renti foro? occidimus, occidimus Attiæ, iampridem nos quidem: sed nunc fatemur, posteaquam unum, quo tenebamur, amisimus. Itaque solitudinem sequor. & tamen siqua me res istō abduxerit, enitar, si quo modo potero (potero autem) ut præter me nemo dolorem meum sentiat: si ullo modo poterit, ne tu quidem. atque etiam illa causa est non ueniendi. meministi quid ex te Atēdius quæsierit. quinetiam nunc molesti sunt. quid existimas si uenero? De Terētia ita cura ut scribis, méque hac ad maximas ægritudines accessione non maxima libera. & ut scias me ita dolere, ut non iacē-tam, quibus Consulibus Carneades, & ea legatio Romam uenerit, scriptum est in tuo annali. Hæc nūc quæro, quæ causa fuerit: de Oropo opinor: sed certū nescio:

& si ita est, quæ controuersiæ præterea, qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenis, qui præfuerit hortis, qui etiam Athenis πολιτικοὶ fuerint illustres, quæ etiam ex Apollodori puto posse mueniri. De Attica molestum: sed quoniam leuiter, recte esse confido. De Magala dubium mihi non erat: unde enim tam felix Ligus pater? Nam quid de me dicam, cui ut omnia contingant quæ uolo, leuari non possum? De Drusi hortis quãti liuisse tu scribis, id ego quoque audieram, & ut opinor, heri ad te scripseram. sed quanti quanti, bene emitur quod necesse est. Mihi quoquo modo tu existimas (scio enim ego ipse quid de me existimem) leuatio quædam est, si minus doloris, at officij debiti. Ad Siccam scripsi, quòd utitur L. Cotta. si nihil conficeretur de Transtyberinis, habet in Ostiensi Cotta celeberrimo loco, sed pusillum loci. Ad hanc rem tamen plus etiã satis. Id uelim cogites. nec tamen ista pretia hortorũ pertimueris. nec mihi argento iam, nec ueste opus est, nec quibusdam amœnis locis: hoc opus est. Video etiam à quibus adiuuari possim. sed loquere cum Silio. Nihil enim est melius. Mandaui etiã Siccæ. rescripsit, constitutum se cũ eo habere. Scribat igitur ad me quid egerit, & tu uidebis. Bene fecit A. Silius, qui transegerit: neque enim ei deesse uolebam: & quid possem, timebam.

De Oua confice ut scribis. De Cicerone tempus esse iã uidetur: sed quæro, quod illi opus erit Athenis, permutarine possit, an ipsi ferendũ sit: de totáq; re, quẽad modum, & quando placeat, uelim cõsideres. Publius iturúsne sit in Africam, & quãdo, ex Atedio scire potueris. quæras, & ad me scribas uelim. & ut ad meas ineptias redeã, uelim me ærtiorẽ facias, P. Crassus Vinu-

liæ filius uiuóne P. Crasso consulari patre suo, mortuus sit, ut ego meminisse uideor, an post. Item quæro de Regillo Lepidi filio, recténe meminerim patre uiuo mortuum. Cuspiana explicabis, itémq; Pretiana. De Attica optime et ei salutem dices & Piliæ.

SCRIPSIT ad me diligenter Sicca de Silio, séque ad te rẽ detulisse, quod tu idem scribis. mihi & res, & conditio placet, sed ita ut numerato malim, quàm æstimatione. Voluptuarias enim possessiones nolet Silius. Vectigalibus autem ut his possim esse contentus quæ habeo, sic uix minoribus. Vnde ergo numerato? HS DC. exprimes ab Hermogene, cum præsertim necesse erit. Et domi uideo esse HS DC. reliquæ pecuniæ uel usurã Silio pẽdemus, dum à Faberio, uel ab aliquo qui Faberio debet, repræsentabimus. erit etiam aliquid aliunde. sed totam rem tu gubernabis. Drusianis uero hortis multo antepono: neque sunt unquam comparati, mihi crede. Vna me causa mouet, in qua scio me τετυφῶσθαι. sed, ut facis obsequere huic errori meo. Nam quod scribis ἐπιγράμματα: actũ iam de isto est, alia magis quæro. Sicca, ut scribit, etiam si nihil confecerit cum A. Silio, tamen se scribit X. Cal. esse uenturum. cuius occupationibus ignosco. eáque mihi sunt notæ. De uoluntate tua, ut simul simus, uel studio potius, & cupiditate, non dubito. De Nicia quod scribis: si ita me haberem, ut eius humanitate frui possem, in primis uellem illũ mecum habere: sed mihi solitudo, & recessus prouincia est. Quod quia facile ferebat Sicca, eo magis illum desidero. Præterea nosti Niciæ nostri imbecillitatem, molliciem, consuetudinem uictus. Cur ego illi molestus uelim, cum mihi ille iucundus esse non possit? uo

luntas tamen eius mihi grata est. unâ rem ad me scripsisti, de qua decreui nihil tibi rescribere. spero enim me à te impetrasse, ut priuares me ista molestia. Piliæ, & Atticæ salutem. Vale.

CICERO ATTICO S.

DE SILIANO negotio. etsi mihi non est ignota conditio, tamen hodie me ex Sicca arbitror omnia cognitu rum. Cottæ quidem negas te nosse: sed ultra Silianam uillam est (quam puto tibi notam esse) uillula sordida, & ualde pusilla: nihil agri: ad aliâ rem loci satis, nihil ad eam quam quæro. sequor celebritatẽ. sed si perficitur de hortis Silij, hoc est, si perficis (est enim totũ positum in te) nihil est scilicet, quod de Cotta cogitemus. De Cicerone, ut scribis, ita faciam. ipsi permittam de tempore. numorum quãtum opus erit, ut permutetur, tu uidebis. Ex Aledio quod scribis, siquid inueneris, scribes. & ego ex tuis animaduerto literis, & profectò tu ex meis nihil habere nos, quod scribamus. eadẽ quotidie. quæ iam iámque ipsa contrita sunt. tamen facere nõ possum, quin quotidie ad te mittam, ut tuas accipiã. De Bruto tamen siquid habebis: scire enim iã puto ubi Pansam expectet: si, ut consuetudo est, in prima prouincia, circiter Calẽdas affuturus uidetur: uellẽ tardius. ualde enim Vrbem fugio multas ob causas. Itaq; id ipsum dubito, an excusationem aliquam ad illũ parem: quod quidem uideo facile esse. Sed habemus satis temporis ad cogitandum. Piliæ, Atticæ salutem. Vale.

CICERO ATTICO S.

DE Silio nihilo plura cognoui ex præsente Sicca, quàm

ex literis tuis. scripseras enim diligenter. Si igitur tu illum conueneris, scribes ad me, siquid uidebitur de quo putas ad me missum esse. Sit missum, nécne, scio dectum quidem mihi. certe nihil est. Tu igitur ut cœpisti: & siquid ita conficies, (quod equidem non arbitror fieri posse) ut illi probetur, Ciceronem, si tibi placebit, adhibebis. Eius aliquid interest uideri illius causa uoluisse, mea quidem nihil, nisi id quod tu scis, quod ego æstimo. Quòd me ad consuetudinem reuocas, fuit meum quidem iampridem Remp. regere, quod faciebam: sed interea erat ubi acquiescerem. Nunc planè nec ego uictum, nec uitam illam colere possum: nec in ea re quid aliis uideatur, mihi puto curandum. Mea mihi conscientia pluris est, quàm omnium sermo. Quod me ipse per literas cõsolatus sum, nõ pœnitet me quãtum profecerim. mœrorem minui: dolorem nec potui, nec si possem, uellem. De Triario, bene interpretaris uoluntatem meam. Tu uero nihil, nisi ut illi uolent. Amo illum mortuum: tutor sum liberis: totam domum diligo. De Castriciano negotio, si Castricius pro mancipiis pecuniam accipere uolet, eámque ei solui, ut nunc soluitur, certe nihil est cõmodius. sin autem ita actum est, ut ipsa mancipia abduceret, non mihi uidetur esse æquum. rogas enim me ut tibi scribam quid mihi uideatur. nolo enim negotij Quintum fratrem quicquam habere: quod uideor mihi intellexisse, tibi uideri idem. Publius, si æquinoctium expectat, ut scribis A tedium dicere, nauigaturus uidetur. mihi autem dixerat per Siciliam. utrum, & quando, uelim scire. & uelim aliquando, cum erit tuum commodũ, Lentulum puerum uisas: eique de mancipijs, quæ tibi uidebitur,

attribuas. Piliæ, Atticæ salutem. Vale.

CICERO ATTICO S.

SILIVS, ut scribis, hodie. cras igitur, uel potius cum poteris scribes, siquid erit, cum uideris. Nec ego Brutum uito, nec tamen ab eo leuationem ullam expecto: sed erant causæ cur hoc tempore istic esse nollem: quæ si manebunt, quærenda erit excusatio ad Brutum: & ut nunc est, mansuræ uidentur. De hortis, quæso explica. Caput illud est quod scis. sequitur, ut etiam mihi ipsi quiddam opus sit. nec enim esse in turba possum, nec à uobis abesse. Huic meo consilio nihil reperio isto loco aptius. & de hac re quid tui cõsilij sit, mihi persuasum est: & eo magis, quòd idem intellexi tibi uideri, me ab Oppio & Balbo ualde diligi. Cum ijs communices quantopere, & quare uelim hortos, sed id ita posse, si expediatur illud Faberianũ. Sint igitur auctores futuri, siqua etiã iactura facienda sit in repræsentãdo (quod possum) adducito. tum enim illud despe ratum denique intelliges, & quid inclinent ad hoc meum consilium adiuuandum. Siquid erit, magnum est adiumentum: sin minus, quacunque ratione contendamus. Vetus illud ἐγγράμμα quemadmodum scripsisti, uel ἐντάφιον putato. De illo Ostiensi nihil est cogitandum, si hoc non assequimur. à Lamia non puto posse. Damasippi experiendum est. quæro quid ad te scribam: sed nihil est: eadem quotidie. Quòd Lentulũ inuisis, ualde gratum. pueros attribue ei quot, & quos uidebitur. De Silij uoluntate uendẽdi, & de eo quanti tu uereri uideris, primúmne nolit, deindéne tanti: Sicca aliter, sed tibi assentior. Quare, ut ei pla-

cuit, scripsi ad Egnatium. Quod Silius te cum Clodio loqui uult, potes id mea uoluntate facere, commodiusq; id est, quàm quod ille à me petit, me ipsum scribere ad Clodium. De mācipijs Castricianis, commodissimum esse credo transigere Egnatium. Quòd scribis te ita futurum putare cum Ouia, quæso quidem ut conficiatur. Quoniam, ut scribis, nox erat, in hodierna epistola plura expecto. Silium mutasse sententiam Sicca mirabatur. Equidem magis miror, quòd cum in filium causam conferret, quæ mihi non iniusta uidetur (habet enim, qualem uult) alis te putare, si addiderimus aliud à quo refugiat, cum ab ipso id fuerit destinatum, uenditurū. Quæris à me, quod summum pretium constituam, & quantum antèire istos hortos Drusi. accessisti: nunquam Coponianam uillam & ueterem & non magnam noui: syluam nobilem, fructum autem neutrius. Quod tamen puto nos scire oportere. Sed mihi utrius istorum tempore magis meo, quàm ratione æstimandi sunt. Possim autem assequi nēcne, tu uelim cogites. Si enim Faberianum uenderem, explicare uel repræsentatione non dubitarē de Silianis, si modo adduceretur ut uenderet: si uenalēs non haberet, transirem ad Drusum uel tanti, quanti Egnatius illum uelle tibi dixit. Magno etiam adiumento nobis Hermogenes potest esse in repræsentādo. At concede mihi quæso, ut eo animo sim, quo is debeat esse qui emere cupiat. & tamen seruio ita cupiditati, & dolori meo, ut à te regi uelim. Egnatius mihi scripsit. Is siquid tecum locutus erit (commodissime enim per eū agi potest) ad me scribes, & id agendū puto: nam cum Silio non uideo confici posse. Piliæ, & Atticæ salutem. hæc ad te mea manu.

uide quæso quid agendũ sit. Publilia ad me scripsit, matrem suam cum Publilio loqui, eam ad me cum illo uenturam, & se unà, si ego paterer. Orat multis & supplicibus uerbis ut liceat, & ut sibi rescribam. Res quàm molesta sit, uides. Rescripsi me etiam grauius esse affectum, quàm tum, cum illi dixissem me solum esse uelle: quare nolle me hoc tempore eam ad me uenire. Putabam, si nihil rescripsissem, illam cum matre uenturam. nunc non puto: apparebat enim illas literas non illius esse. Illud autem quod fore uideo, ipsum uolo uitare, ne illæ ad me ueniant. Et una est uitatio: & ego nollem: sed necesse est (te hoc nunc rogo) ut explores, ad quam diem hic ita possim esse, ut ne opprimar. Ages, ut scribis, temperate. Ciceroni uelim hoc proponas (ita tamen, si tibi non iniquum uidebitur) ut sumptus huius peregrinationis (quibus, si Romæ esset, domúmque cõduceret, quod facere cogitabat, facile contentus futurus erat) accommodet ad mercedes Argileti, & Auentini. Et cum ei proposueris, ipse uelim reliqua moderere, quemadmodum ex his mercedibus suppeditemus ei quod opus sit. Præstabo, nec Bibulum, nec Accidinum, nec Messalam, quos Athenis futuros audio, maioris sumptus facturos, quàm quod ex eis mercedibus recipietur. Itaque uelim uideas, primum conductores qui sint, & quanti: deinde ut sit, qui ad diem soluat, & quid uiatici, quid instrumenti satis sit. Iumento certe Athenis nihil opus sit. Quibus autem in uia utatur, domi sunt plura, quàm opus erat: quod etiã tu animaduertis. Ego ut heri ad te scripsi, si & Silius is fuerit, quẽ tu putas, nec Drusus facilem se præbuerit, Damasippum uelim aggrediare. Is, opinor, ita partis

fecit in ripa nescio quotenorum iugerum, ut certa pretia constituerent, quæ mihi nota non sunt. Scribes ad me igitur quicquid egeris. Vehementer me solicitat Atticæ nostræ ualetudo, ut uerear etiam nequa culpa sit. sed & pædagogi probitas, & medici assiduitas, & tota domus in omni genere diligens me rursus id suspicari uetat. Cura igitur: plura enim non possum. Ego hic uel sine Sicca (Tironi enim melius est) facillime possem esse, ut in malis, sed, cum scribas uidendū mihi esse, ne opprimar, ex quo intelligam te certum illius profectionis diem non habere: putaui esse cōmodius me istuc uenire, quod idē uideo tibi placere. Cras igitur in Siccæ suburbano: inde, quemadmodū suades, puto me in Ficulensi fore. Quibus de rebus ad me scripsisti, quoniam ipse uenio, coràm uidebimus. Tuā quidem & in agendis nostris rebus, & in cōsiliis meūdis, mihiq; dandis, in ipsis literis, quas mittis, beneuolētiam, diligētiam, prudentiam mirificè diligo. Tu tamen, siquid cī Silio, uel illo ipso die, quo ad Siccam uēturus ero, certiorē me uelim facias, & maxime cuius loci detractionem fieri uelit: quod enim scribis extremi, uide ne is ipse locus sit, cuius causa de tota re (ut scis) est à nobis cogitatum.

Hircij epistolam tibi misi, & recentem, & beneuole scriptam. Antè, quàm proxime discessi nūquam mihi uenit in mētem, quo plus insumptum in monimentum esset, quàm nescio quid quod lege conceditur, tantūdem populo dādum esse: quod non magnopere moueret, nisi nescio quo modo (ἀλόγως fortasse) nollem illud ullo nomine nisi fani appellari. Quod si uolumus, uereor ne assequi non possimus, nisi mutato loco. Hoc quale sit, quæso cōsidera: nam etsi minus urgeor, méq;

ipſe propemodũ cõllegi, tamen indigeo tui cõſilij. Itaque te uehementer etiam atque etiã rogo, magis quàm à me uis, aut pateris te rogari, ut hanc cogitationem toto pectore amplectare. Fanũ fieri uolo, neq; hoc mihi eruĩ potest. Sepulcri ſimilitudinẽ effugere non tam propter pœnam legis ſtudeo, quàm ut maxime aſſequar ἀποθέωσιν: quod poterã, ſi in ipſa uilla facerem. ſed ut ſæpe locuti ſumus, commutationes dominorum reformido. In agro ubicunque fecero, mihi uideor aſſequi poſſe, ut poſteritas habeat religionem. Hæ meæ tibi ineptiæ (fatebor enim) ferẽdæ ſunt: nam habeo, ne me quidem ipſum, quicum tam audacter communicem, quàm tecum. Si tibi res, ſi locus, ſi inſtitutũ placet, lege quæſo legem, mihique eam mitte. Siquid in mentem ueniet, quomodo eam effugere poſſimus, utemur. Ad Brutum ſiquid ſcribes, niſi alienũ putabis, obiurgato eum, quòd in Cumano eſſe noluerit propter eam cauſam, quam tibi dixi: cogitanti enim mihi nihil tam uidetur potuiſſe facere ruſticæ. Et ſi tibi placebit ſic agere de fano, ut cœpimus, uelim cohortere, & exacuas Cluatiũ: nam, etiam ſi alio loco placebit, illius nobis opera, conſilióque utendum puto. Tu ad uillã fortaſſe cras. A te heri duas epiſtolas recepi, alteram pridie datam Hilaro, alteram eodem die à tabellario. Acceptáque ab AEgypta literas eodẽ die, Piliam, & Atticum planè belle ſe habere. Tuæ literæ mihi redditæ ſunt tertiodecimo die. Quòd mihi Bruti literas, gratum. ad me quoque miſit. Eam ipſam ad te epiſtolam miſi, & ad eam exemplum mearum literarũ. De fano, ſi nihil mihi hortorum inuenis, qui quidem tibi inueniẽdi ſunt, ſi me tanti facis, quanti ærte facis: ualde probo rationem tuam.

De Tusculano, quanuis prudens ad cogitandum sis, sicut es, tamen nisi magnæ curæ tibi esset, ut ego consequerer id, quod magnopere uellem, nunquam ea res tibi tam belle in mentem uenire potuisset. Sed nescio quo pacto cœlebritatem requiro. Itaque hortos mihi conficias, necesse est. Maxima est in Scapulæ cœlebritas, propinquitas præterea ubi sis, ne totum diē in uilla. Quare antè, quàm discedis, Othonem, si Romæ est, cōuenias peruelim. Si nihil erit, & si tu meam stultitiam cōsueris ferre, eò tamen progrediar, ut mihi stomachere: Drusus enim cœtè uendere uult. Si ergo aliud erit, nō mea erit culpa nisi emero? qua in re ne labar, quæso prouide. Prouidendi autem una ratio est, siquid de Scapulanis possumus. Et uelim me certiorē facias, quandiu in suburbano sis futurus. Apud Terentiam gratia opus est nobis, tudque auctoritate. Sed facies ut uidebitur: scio enim, siquid mea interfit, tibi maiori curæ solere esse, quàm mihi. Hircius ad me scripsit, Sex. Pompeium, Corduba exisse, & fugisse in Hispaniam citeriorem: Cneum fugisse nescio quò, neque enim curo: nihil præterea nouu. Literas Narbone dedit XIIII. Cal. Maij.

Tu mihi de Caninij naufragio quasi dubia rē. misisti. scribas igitur, siquid erit certius. Quòd me à mœstitia euocas, multum proficies, si locum fano dederis. Multa mihi ἀπροσδόκητα in mentem ueniūt: sed loco ualde opus est. Quare etiā Othonem uide. Nō dubito quin occupatissimus fueris, qui ad me nihil literarū: sed homo nequam, qui tuum cōmodum nō expectarit, cū ob eam unam causam missus esset. Nunc quidē, nisi quid te tenuit, suspicor, esse in suburbano. At ego hic scribendo dies totos nihil equidē leuor, sed tamen

aberro. Asinius Pollio ad me scripsit de impuro nostro cognato. Quod Balbus minor nuper satis plane, Dolabella obscure, hic apertissime. Ferrē grauiter, si nouæ ægrimoniæ locus esset. Sed tamen quid impurius? atri. / et quid

C. O hominem cauendū. quanquam mihi quidem. sed tenendus dolor est. Tu, quoniā neesse nihil est, sic scribes aliquid, si uacabis. Quòd putas oportere prouideri iam animi mei firmitatem, grauiusque quosdam scribis de me loqui, quàm aut te scribere, aut Brutum: per

si, qui me fractum animo, & debilitatū putant, sciant quid literarū, & cuius generis cōficiam: credo (si modo homines sint) existimēt me, siue ita leuatus sim, ut animum uacuū ad res difficiles scribēdas afferā, reprehēdendum nō esse: siue hāc aberrationē à dolore delegerim, quæ maxime liberalissima, doctóque homine dignissima, laudari etiā oportere. Sed cū ego faciā omnia quæ facere possim ad me adiuuādum: tu efficie id, quod uideo te non minus, quàm me, laborare. Hoc mihi debere uideor, neque leuari posse nisi soluero, aut uidero me posse soluere: id est locū, qualē uolo, inuenero. Heredes Scapulæ, si istos hortos, ut scribis tibi Othonē dixisse, partibus quatuor factis, licēri cogitant: nihil est scilicet emptori loci. Sin uenibunt: quid fieri possit, uidebimus. Nā ille locus publicatus, qui est Trebonij, & Cusinij, erat ad me allatus. sed scis aream esse. nullo pacto probo. Clodiæ sanè placent, sed non puto esse uenales. De Drusi hortis, quanuis ab his adhorreas, ut scribis, tamen eò confugiam, nisi quid inueneris. AEdificatio me non mouet: nihil enim aliud ædificabo, nisi id, quod etiā si illos nō habuero. Κύριος mihi sic placuit, ut cætera Antisthenis, hominis acuti magis quàm eruditi.

TABELLARIVS cum ad me sine literis tuis uenisset, existimaui tibi eam causam non scribendi fuisse, quòd pridie scripsisses, ea ipsa, ad quæ rescripsi, epistola. Expectarem tamen aliquid de literis Asinij Pollionis. sed nimiũ ex meo otio tuum spectu. Quãquam tibi remitto, nisi quid necesse erit, necesse ne habeas scribere, nisi eris ualde otiosus. De tabellarijs facerem quod suades, si essent ullæ necessariæ literæ, ut erant olim cum breuioribus diebus tamen quotidie respõdebant tẽpori tabellarij: & erat aliquid, Silius, Drusus, alia quædam. Nunc nisi Otho extitisset, quid scriberemus nõ erat. Id ipsum dilatum est: tamen alleuor, cum loquor tecum absens, multo etiam magis cum tuas literas lego. sed quoniam & abes (sic enim arbitror) & scribendi necessitas nulla est, conquiescent literæ, nisi quid noui extiterit.

QVALIS futura sit Cæsaris uituperatio contra laudationẽ meam, perspexi ex eo libro quẽ Hircius ad me misit, in quo colligit uitia Catonis, sed cũ maximis laudibus meis. itaque misi librũ ad Muscã ut tuis librarijs daret: uolo enim eũ diuulgari. quod quo facilius fiat, imperabis tuis. συμβουλευτικὸν sæpe conor: nihil reperio: & quidem mecum habeo & Ἀριστοτέλους & Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον. sed quid simile? Illi quæ & ipsis honesta essent, scribebã. & grata Alexãdro. Ecquid tu eiusmodi reperis? mihi quidẽ nihil in mẽtẽ uenit. Quòd scribis te uereri, ne & gratia, & auctoritas nostra hoc meo mœrore minuatur: ego quid homines aut reprehendant, aut postulẽt, nescio. Ne doleã? qui potest? Ne iacẽã? quis unquã minus? dũ tua me domus leuabat, quis à me exclusus? quis uenit, qui offen

deretur? Asturæ sum à te profectus. Legere isti læti, qui me reprehendunt, tã multa non possunt, quàm ego scripsi: quàm bene, nihil ad rem. Sed genus scribendi id fuit, quod nemo abiecto animo facere posset. XXX dies in hortis fui. Quis aut congressum meum, aut facilitatem sermonis desiderauit? nunc ipsum, ea lego, ea scribo, ut ij, qui mecum sunt, difficilius otium ferant, quàm ego laborem. Siquis requirit cur Romæ non sim: quia discessus est. cur non sim in his meis prædiolis, quæ sunt huius tẽporis: quia frequentiam illã non facile ferrẽ. Ibi sum igitur, ubi is, qui optimas Baias habebat, quotannis hoc tẽpus cõsumere solebat. Cũ Romam uenero, nec uultu, nec oratione reprehendar. Hilaritatem illã, qua hanc tristitiam temporũ condiebamus, in perpetuum amisi. Cõstantia, & firmitas nec animi, nec orationis requiretur. De hortis Scapulanis hoc uidetur effici posse, aliud tua gratia, aliud nostra, ut præconi subiiciantur. id nisi fit, excludemur. Sin ad tabulam uenimus, uincemus facultates Othonis nostra cupiditate. Nam quòd ad me de Lẽtulo scribis, non est in eo. Faberiana modo res certa sit, túq; enitare, quod facis: quod uolumus cõsequemur. Quòd quæris, quãdiu hic pauços dies: sed certũ non habeo: simulac cõstituero, ad te scribã: & tu ad me, quãdiu in suburbano sis futurus. Quo die ego ad te hæc misi, de Pilia, & Attica mihi quoq; eadẽ quæ scribis, & scribũtur, & nũtiãtur. NIHIL erat, quod scriberem: scire tamen uolebam ubi esses, si abes, aut abfuturus esses, quando redituras esses. Facias igitur mihi certiorem. Et quod tu scire uolebas, ego quando ex hoc loco: postridie Idũm Ianuarij cõstitui manere, inde postridie in Tusculano

no, aut Romæ. Vtrum sim facturus, eo ipso die scies. Scis quàm sit φιλάϊτιον συμφορά. minime in te quidem: sed tamen auide sum affectus de fano. Quod nisi non dico effectum erit, sed fieri uidero, audebo hoc dicere, & tu, ut soles, accipies, mœrsabit in te dolor meus, nō iure ille quidem, sed tamen feres hoc ipsum, quod scribo, ut omnia mea fers, ac tulisti. Omnes tuas consolationes unam hanc in rem uelim conferas. Si quæris quid optem: primum Scapulæ, deinde Clodiæ, postea, si Silius nolet, Drusus aget inuiste, Cusinij, & Trebonij. Puto Terētium esse dominum, Rebilum fuisse certò scio. Sin autem tibi Tusculanum placet, ut significasti quibusdam literis: tibi assentiar. Hoc quidem utique perficies, si me leuari uis, quem iam etiam grauius accusas, quàm patitur tua consuetudo: sed facis summo amore, & uictus fortasse utio meo. Sed tamen si me leuari uis, hæc est summa leuatio, uel, si uerū scire uis, una. Hircij epistolam si legeris, quæ mihi quasi παράλογος uidetur eius utuperationis, quam Cæsar scripsit de Catone, facies mę, quid tibi uisum sit (si tibi erit commodum) certiorem. Redeo ad fanum. Nisi hac æstate absolutum erit, quam uides integram restare, scelere me liberatum non putabo. Nullum à te desideraui diem literarū: uidebam enim quæ scribis: & tamen suspicabar, uel potius intelligebā, nihil fuisse quod scriberes. Ad VI. Id. uero & abesse te putabā, & planè uidebā nihil te habere. Ego tamen ad te ferè quotidie mittam: malo enim frustra, quàm te non habere, cui des, siquid forte sit quod putes me scire oportere. Itaque accepi VI. Id. literas tuas inanes: quid enim habebas quod scriberes? Mihi tamen illud,

eas

quicquid erat, non molestum fuit, nihil aliud scire me, noui te nihil habere. scripsi tamen nescio quid de Clodia. Vbi ergo ea est, aut quando uentura? placet mihi res sic, ut secundum Othonem nihil magis. Sed neque hanc uendituram puto. delectatur enim, & copiosa est: & illud alterum quàm sit difficile, te non fugit. Sed obsecro enitamur ut aliquid ad id quod cupio, excogitemus. Ego me hinc postridie exiturum puto, sed aut in Tusculanum, aut domum, inde fortasse Arpinũ. cum certum sciero, scribam ad te. Venerat mihi in mentem monere te, ut id ipsum, quod facis, faceres. putabam enim commodius te idem istud domi agere posse interpellatione sublata. ego postridie Iduũ, ut scripsi ad te ante, Lanuuij manere constitui, inde aut Romæ, aut in Tusculano. scies ante utrunque.

VOD scies recte illam rem fore leuamẽto, benefacis, cum id esset (mihi crede) perinde, ut existimare tu non possis. res indicat quantopere id cupiam, cum tibi audeam confiteri, quẽ id nõ ita ualde probare arbitrer. sed ferendus tibi in hoc meus error. Ferendus? immo uero etiam adiuuandus. De Othone diffido, fortasse quia cupio: sed tamen maior etiam res est, quàm facultates nostræ, præsertim aduersario & cupido, & locuplete, & hærede. Proximum est, ut uelim Clodiæ. si ista minus confici possunt, efficiæ quiduis. Ego me maiore religione, quàm quisquam fuit ullius uoti, obstrictum puto. uidebis etiam Trebonianos, etsi absunt domini. Sed, ut ad te heri scripsi, considerabis etiam de Tusculano, ne æstas effluat, quod certe non est committendum. Et Hircium aliquid ad te συμπα θῶς de me scripsisse facile patior: (fecit enim huma-

ne) & te eius epistolam ad me non misisse, multo facilius: tu enim etiam humanius. illius librum, quem ad me misit de Catone, propterea uolo diuulgari ab tuis, ut existorum uituperatione sit illius maior laudatio. Quod per Mustellã agis, habes hominem ualde ido neũ, meique sanè studiosum iam inde à Pontiano. perfice igitur aliquid: quid autem aliud, nisi ut aditus sit emptori? quod per quenuis heredem potest effici. sed Mustellam id perfecturum, si rogaris puto. Mihi uero & locum, quem opto ad id quod uolumus, dederis: & prætereà ἐγγράμματα: nam illa Silij, & Druſi non ſatis ὀικοδεσποτικὰ mihi uidentur. quid enim ſedere totos dies in uilla ista? Igitur malim primum Othonis, deinde Clodiæ. ſi nihil fiet, aut Druſo ludus eſt ſuggerendus, aut utendum Tuſculano. Quòd domi te incluſiſti, ratione feciſti: ſed quæſo conſice, & te uacuum redde nobis. Ego hinc, ut ſcripſi antea, poſtridie Idus Lanuuium, deinde poſtridie in Tuſculano: contudi enim animum, & fortaſſe uici, ſi modo permanſero. Scies igitur fortaſſe cras, ſummum perendie. Sed quid eſt quæſo? Philotimus nec Cartini Pompeium teneri, qua de re literarum ad Clodium Patauinum miſſarum exemplum mihi Oppius & Balbus miſerant, ſed id factum arbitrari: bellumque narrat reliquum ſatis magnum. ſolet omnino eſſe Fuluiaſter. Sed tamen ſiquid habes. Volo etiã ſcire de naufragio Caniniano, quid ſit. Ego hic duo magna συντάγματα abſolui: nullo enim alio modo à miſeria quaſi aberrare poſſum. Tu mihi, etiam ſi nihil erit quod ſcribas (quod fore ita uideo) tamen id ipſum ſcribas uelim, te nihil habuiſſe quod ſcriberes, dummodo ne his uerbis. De Attica

optime. ἀπιστία tua me mouet: etsi scribis nihil esse. in Tusculano eo commodius ero, quod & crebrius tuas literas accipiam, & te ipsum nonnunquam uidebo: nam cæteroqui ἀνυπόστατα erant Asturæ: nec hæc, quæ refricant, hic me magis angunt. etsi tamen ubicunque sum, illa sunt mecum.

DE Cæsare uicino scripseram ad te, quia cognoram ex tuis literis. eum σύνναον Quirini malo, quàm Salutis. Tu uero perumlge Hircium: id enim ipsum putaram quod scribis: ut, cum ingenium amici nostri probaretur, ὑπόθεσις uituperandi Catonis irrideretur. uincam (opinor) animum: Lanuuio pergam in Tusculanum. aut enim mihi in perpetuum fundo illo carendum est (nam dolor idē manebit: tantum mediocrius) aut nescio quid interfit, utrum illuc nunc ueniam, an ad decem annos: neque enim ista maior admonitio, quàm quibus assidue conficior & dies, & noctes. Quid ergo, inquies: nihil literæ? In hac quidem re, uereor ne etiam contra: nam essem fortasse durior: exulto enim animo nihil agreste, nihil inhumanū est. Tu igitur, ut scripsisti, nec id incommodo tuo: uel binæ enim poterunt literæ occurram etiā, si necesse erit. ergo id quidem ut poteris. De Mustella, ut scribis, etsi magnum opus est: eo magis delabor ad Clodiam. quanquam in utroque Faberianum nomen explorandum est. de quo, nihil nocuerit, si aliquid cum Balbo eris locutus, & quidem, ut res est, emere nos uelle, nec posse sine isto nomine, nec audere incerto. Sed quando Clodia Romæ futura est, & quia tanti rem æstimas, eò prorsus spectо: non quin illud malim: sed & magna res est, & difficile certamen cum cupido, cum lo-

cuplete, cum herede. Et si de cupiditate nemini concedã: cæteris rebus infirmiores sumus. sed hæc corám. Hir cij librum (ut facis) diuulga. De Philotimo idem & ego arbitrabar. Domum tuam pluris uideo futuram uicino Cæsare. Tabellarium meum hodie expecta mus, nos de Pilia, & Attica certiores faciet. Domi te libenter esse, facile credo. sed uelim scire quid tibi restet, aut iámne confeceris. Ego te in Tusculano expecto, eóque magis, quòd Tiron statim te uenturum scripsisti, & addidisti, te putare opus esse. sentiebam omnino quantum mihi præsens prodesses, sed multo magis post discessum tuum sentio. quam ob rem, ut antè ad te scripsi, aut ego ad te totus, aut tu ad me, quod licebit. Heri non multo pòst quàm tu à me discessisti, puto quidam urbani, ut uidebantur, ad me manda ta, & literas attulerunt à C. Mario C.F. eum multis uerbis agere mecum, per cognationem, quæ mihi secum esset, per eum Marium, quem scripsissem, per eloquen tiam L. Crassi aui sui, ut se defenderem, causámque suam mihi perscripsit. rescripsi, patrono illi nihil opus esse, quoniam Cæsaris propinqui eius omnis potestas esset, uiri optimi, & hominis liberalissimi: me tamen ei fauturum. O tempora, fore cum dubitet Curtius Consulatum petere. sed hæc hactenus.

DE TIRONE mihi curæ est: sed iam sciam quid agat: heri enim misi qui uideret: cui etiam ad te literas dedi. Epistolam ad Cæsarem tibi misi. Horti quam in diem proscripti sint, uelim ad me scribas.

Vt me leuarat tuus aduentus, sic discessus afflixit. quare, cum poteris, id est cum Sestij auctioni operam dederis, remises nos. uel unus dies mihi erit utilis:

quid dicam gratus? ipse Romam uenirem, ut unà essemus, si satis cõsilium quadam de re haberem.

TIRONEM habeo citius quàm uerebar. uenit etiam Nicias: & Valeriũ hodie audiebã esse uenturum. quãuis multi sint, magis tamẽ ero solus, quàm si unus esses. sed expecto te à Peducæo utique. Tu autẽ significas aliquid etiã antè. uerum id quidem, ut poteris. De Virgilio, ut scribis. hoc tamen uelim scire, quando auctio. Epistolã ad Cæsarem mitti, uideo tibi placere. Quid quæris? mihi quoq; idem maxime placuit, & eo magis, quòd nihil est in ea nisi optimi ciuis, sed ita optimi, ut tẽpora, quibus parere omnes πολιτικοὶ præcipiũt: sed sic nobis esse uisum, ut isti antè legerẽt. Tu igitur id curabis. sed nisi planè ijs intælliges placere, mittenda nõ est. Id autẽ utrum illi sentiant, an uero simulent, tu intælliges. Sed mihi simulatio pro repudiatione fuerit. τοῦτο δὲ μηλώσῃ. De Cerelia quid tibi placeret, Tiro mihi narrauit: debere, nõ esse dignitatis meæ: perscriptionẽ tibi placere: hoc metuere, alterũ in metu non ponere. Sed & hæc, & multa alia cordàm. sustinenda tamen (si tibi uidebitur) solutio est nominis Cereleani, dum & de Metone, & de Faberio sciamus.

L. Tullium Montanum nosti, qui cum Cicerone profectus est. ab eius sororis uiro literas accepi, Montanum Planco debere, quòd præs pro Flaminio sit, HS XX. De ea re nescio quid te à Montano rogatum. sanè uelim, si ue Plancus est rogandus, siue qua re potes illũ iuuare iumes. pertinet ad nostrum officium. si res tibi forte notior est, quàm mihi, aut si Plancum rogandum putas, scribas ad me uelim, ut quid rei sit, & quid rogandũ sciam. De epistola ad Cæsarem quid egeris, expecto.

De Silio non ita sanè laboro. tu mihi aut Scapulanos, aut Clodianos efficias necesse est. sed nescio quid uideris dubitare de Clodia, utrum quando ueniat, an sint ne uenales? sed quid est quod audio Spintherem fecisse diuortium? De lingua Latina securi es, animi, dices, qui talia conscribis. ἀπόγραφα sunt: minore labore fiunt. uerba tantum affero, quibus abūdo. Ego, etsi nihil habeo quod ad te scribam, scribo tamē, quia tecum loqui uideor. hic Nobiscum sunt Nicias, & Valerius. hodie tuas literas expectabamus matutinas. Erūt fortasse alterae pomeridianae, nisi te Epiroticae literae impedient, quas ego non interpello. mihi ad te epistolas ad Martianum, & ad Montanum. eas in eundem fasciculū uelim addas, nisi forte iam dedisti. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T. POMPONIVM ATTICVM LIB. XIII.

CICERO ATTICO S.

DCicēronem ita scripsisti, ut neque seuerius, neque temperātius scribi potuerit, nec magis, quàm quemadmodum ego maxime uellem. Prudentissime etiam ad Tullios. quare aut ista proficient, aut aliud agamus. De pecunia uero, uideo à te omnem diligentiā adhiberi, uel potius iam adhibitā; & si efficis, à te hortos habebo. nec uero ullū genus possessionis est quod malim, maxime scilicet ob eam cau-

ſam quæ ſuſcepta eſt, cuius feſtinationẽ mihi tollis, quoniam de æſtate polliceris, uel potius recipis. deinde etiã ad καταβίωσιν, mœſtitiámque minuendam nihil mihi reperiri poteſt aptius. Cuius rei cupiditas impellit me interdum ut te hortari uelim: ſed me ipſe reuoco. non enim dubito quin, quod me ualde uelle putes, in eo tu meipſum cupiditate uincas. itaque iſtuc iam pro facto habeo. Expecto quid iſtis placeat de epiſtola ad Cæſarem. Nicias te (ut debet) amat, uehementérque tua ſui memoria delectatur. Ego uero Peducæum noſtrum uehementer diligo: nam & quanti patrem feci, totum in hunc: ipſum per ſe æque amo, atque illum amaui: te uero plurimum, qui hoc ab utroque noſtrum fieri uelis. Si hortos inſpexeris, & ſi de epiſtola certiorem me feceris, dederis mihi quod ad te ſcribam: ſin minus, ſcribam tamen aliquid: nunquam enim deerit. Gratior mihi celeritas tua quàm ipſa res: quid enim indignius? ſed iã ad iſta obduruimus, & humanitatem omnem exuimus. Tuas literas hodie expectabã, nihil equidem ut ex ijs noui: quid enim? ueruntamen. Oppio, & Balbo epiſtolas deferri iubebis, & tamẽ Piſonem ſicubi de auro. Faberius ſi uenerit, uidebis ut tantũ attribuatur, ſi modo attribuetur, quantũ debetur. accipies ab Erote. Ariarathes Ariobarzanis filius Romam uenit. multi opinor, regnum aliquod emere à Cæſare: nam, quomodo nunc eſt, pedem ubi ponat in ſuo, non habet. omnino eum Seſtius noſter parochijs publicis occupauit: quod quidem facile patior. Veruntamen, quòd mihi ſummo beneficio meo magna cum fratribus illius neceſſitudo eſt, imuito eũ per literas ut apud me diuerſetur. ad eam rem cum mitte-

rem Alexandrum, has ei dedi literas. Cras igitur au
ctio Peducæi. cum poteris ergo: etsi impediet fortasse
Faberius: sed tamen, cum licebit. Dionysius noster
graviter queritur, & tamen iure, à discipulis abesse tã-
diu. Multis uerbis scripsit ad me, credo item ad te. mihi
quidem uidetur etiam diutius abfuturus, ac nollem:
ualde hominem desidero. A enim

A TE literas expectabam, nondum scilicet: nam has ma
ne rescribebã. Ego uero ista nomina sic probo, ut nihil
aliud me moueat, nisi quod tu uideris dubitare: illud
enim non accipio in bonam partẽ quod ad me refers.
Quid, ipse negotium meũ gerere, nisi consilio tuo? sed ta
mẽ intelligo, magis te id facere diligẽtia, qua sẽper ute-
ris, quàm quòd dubites de nominibus istis. etenim Cæ
liũ non probas: plura non uis. utrũq; laudo. His igitur
utendũ est. præs aliquando factus esset in his quidẽ ta
bulis. à me igitur omnia, quòd dies lõgiores: teneamus
modo, quod uolumus. puto fore istã etiã à præcone diẽ,
certe ab heredibus. De Crispo, & Mustella uidebis:
& uelim scire, quæ sit pars duorũ. De Bruti aduẽtu
erã factus certior: attulerat enim ab eo AEgypta liber
tus literas. misi ad te epistolã, quia cõmode scripta erat.

HABEO munus à te elaboratum decem legatorum,
& quidem puto: nam filius anno post Quæstor fuit,
quàm Consul Murrius. sed quoniam sæpius de nomi-
nibus quæris quid placeat: ego quoque tibi sæpius
respondeo placere. Siquid poteris cum Pisone, consi
cies: Aulus enim uidetur in officio futurus. uelim an-
tè possis: si minus, utique simul simus, cũ Brutus ueniet
in Tusculanum. magni interest mea, unà nos esse. Scies
autem qui dies is futurus sit, si puero negotiũ dederis

ut quærat. Spuriũ Mumium putarã in decem legatis fuisse, & uidelicet: etenim ὅμοιον, fratri fuisse: fuit enim ad Corinthum. Misi tibi Torquatum. colloquere tu quidem cum Silio, ut scribis, & urge. Illam diem negabat esse mẽse Maio: istam nõ negabat. sed tu, ut omnia, istuc quoque ages diligenter. De Crispo, & Mustella scilicet cum quid egeris. Quoniam ad Bruti aduentum fore te nobiscum polliceris, satis est, præsertim cum hi tibi dies in magno nostro negotio consumantur.

DE AQVAEDVCTV probe feci. columnarium uide, ne nullum debeamus. quanquam mihi uideor audisse à Camillo, commutatam esse legem. Pisoni quid est quod honestius respõdere possimus, quàm solitudinem Catonis? nec coheredibus solum Herennianis, sed etiã ut scis (tu enim mecum egisti) de puero Lucullo: quam pecuniam tutor (nam hoc quoque ad rem pertinet) in Achaia sumpserat. Sed agit liberaliter, quoniã negat se quicquam facturum contra nostram uoluntatem. coràm igitur, ut scribis, constituemus quemadmodũ rem explicemus. Quòd reliquos coheredes conueniſti, planè bene. Quòd epistolã meam ad Brutum poscis, non habeo eius exemplum, sed tamen saluũ est, ut ait Tiro te habere oportere: & ut recordor, una cum illius obiurgatoria tibi meam quoque, quam ad eum rescripseram, misi. Iudiciali molestia ut cæream, uidebis. Tuditanum istum proauum Hortensij planè non noram, & filium, qui tum non potuerat esse legatus, fuisse putarem. Mumium fuisse ad Corinthum pro certo habeo: sæpe enim hic Spurius, qui nuper est epistolas mihi pronuntiabat uersiculis facetis, ad familiares missas à Corintho. sed non dubito quin fratri fue-

rit legatus, non in decem. Atque hoc etiam accepi, non solitos maiores nostros legare in decem, qui essent imperatorum necessarij, ut nos ignari, pulcherrimorum institutorum, aut negligentes potius M. Lucullum, & L. Murenam, & cæteros ad L. Lucullum misimus. illúdque εὐλογώτατον, illum fratri in primis eius legatis fuisse.

Ò OPERAM tuam multam, qui & hæc cures, & mea expedias, & sis in tuis multo minus diligens, quàm in meis. Sestius apud me fuit, & Theopompus pridie. uenisse à Cæsare narrabat literas: hoc scribere, sibi certum esse Romæ manere, causámque eã ascribere, quæ erat in epistola nostra, ne se absente leges suæ negligerentur, sicut esset neglecta sumptuaria. est εὔλογον: idq; erã suspicatus. Sed istis mos gerendus est, nisi placet hãc ipsam sententiã nos persequi, & Lentulũ cum Metella fecisse diuortium. Hæc omnia tu melius. rescribes igitur quicquid uoles, dũmodo quid. iam enim non reperio quid te rescripturum putem, nisi fortè de Mustella aut si Silium uideris. Brutus heri uenit in Tusculanum post horam decimam. hodie igitur me uidebit, ac uellẽ cum tu adesses. misi equidem ei nũtiari, te, quoad potuisses, expectasse eius aduẽtum, uẽturúmq; si audisses, méque, ut facio, continuo te ærtiorẽ esse facturum.

PLANE, nihil erat, quod ad te scriberem: modo enim discesseras, & paulo pòst tripliçes remiseras. uelim cures fasciculum ad Vestorij deferendum: & aliqui negotium, qui quærat Q. Faberij fundus nunquis in Pompeiano Nolano, ne uenalis sit. Epitomen Bruti Celianorũ uelim mihi mittas, & à Philoxeno Παγματίου περὶ προνοίας. Te Idibus uidebo cum tuis.

COMMODVM discesseras heri, cum Trebatius uenit, paulo post Curtius hic salutandi causa, sed mansit muitatus. Trebatium nobiscum habemus. hodie mane Dolabella. multus sermo ad multum diem. nihil possum dicere ἐντευξιέρον, nihil φιλοσοργότερον. uentum est tamen ad Quintum. multa ἄφατα, ἀδιήγητα: sed unum eiusmodi, quod, nisi exercitus sciret, nō modo Tironi dictare, sed ne ipse quidem auderem scribere. Sed hactenus. εὐκαίρως ad me uenit, cum haberem Dolabellam, Torquatus: humanissiméque Dolabella, quibus uerbis secum egisset, exposuit: commodum enim egeram diligentissime. quæ diligentia grata est uisa Torquato. A te expecto, siquid de Bruto. quāquam Nicias confectum putabat, sed diuortium non probari. quo etiam magis laboro idem quod tu: siquid est enim offensionis, hæc res mederi potest. Mihi Arpinū eundū est: nam & opus est constitui à nobis illa prædiola, & uereor ne exeundi potestas non sit cum Cæsar uenerit: de cuius aduentu eam opinionem Dolabella habet, quam tu coniecturam facicbas ex litteris Messalæ. Cum illuc uenero, intellexeróq; quid negotij sit, tum, ad quos dies rediturus sim, scribam ad te.

MINIME miror te & grauiter ferre de Marcello, & plura uereri periculi genera. quis enim hoc timeret, quod neque acciderat antea, nec uidebatur natura ferre, ut accidere posset? Omnia igitur metuēda. sed illud παρὰ τὴν ἰσορίαν, tu præsertim me reliquum consularem. Quid tibi Seruius, quid uidetur? quanquam hoc nullam ad partem ualet scilicet, mihi præsertim, qui non minus bene actum cum illis putem: quid enim sumus? aut quid esse possumus? domine, an foris? quòd

nisi hoc mihi ſueniſſet in mentem, ſcribere iſta neſcio quæ: quò uerterem me, non haberem. Ad Dolabellam, ut ſcribis, ita puto faciendum, κοινότερα quædam, & πολιτικώτερα. faciendum certe aliquid eſt: ualde enim deſiderat Brutus. Siquid, curabis ut ſciam. Cui quidem quamprimum agendum puto, præſertim ſi ſtatuit: ſermunculum enim omnem aut reſtinxerit, aut ſederit: ſunt enim, qui loquantur etiam mecum. ſed hæc ipſe optime, præſertim ſi etiam tecum loquetur: mihi enim eſt in animo proficiſci XI Cal. hic enim nihil habeo quid agam, ne hercule illic quidem, nec uſquam, ſed tamen illic hodie. Spintherem expecto: miſit enim Brutus ad me per literas, purgat Cæſarem de meritu Marcelli: in quem ne, ſi inſidijs quidem ille interfectus eſſet, caderet ulla ſuſpicio. nunc uero, cum de Magio conſtet, nónne furor eius omnem cauſam ſuſtinet? Planè, quid ſit, non intelligo. explanabis igitur. quanquam nihil habeo quod dubitem, niſi, ipſi Magio quæ fuerit cauſa amentiæ: pro quo quidem etiam ſponſor factus eſt. nimirum id fuit: ſoluendo enim non erat: credo eum petiſſe à Marcello aliquid: & illum, ut erat, conſtantius reſpondiſſe, οὐ γὰρ ὀνατὸς ἦν. Credebam eſſe facile: totum eſt aliud, poſtea quàm ſum à te dijunctior. ſed fuit faciẽdum, ut & conſtituerem meæ dulas prædiorum, & ne magnum onus obſeruãtiæ Bruto noſtro imponerem. poſthac enim poterimus commodius colere inter nos in Tuſculano. hoc autem tempore, cum ille me quotidie uidere uellet, ego ad illum ire non poſſem: priuabatur omni delectatione Tuſculani. Tu igitur, ſi Seruilia uenerit, ſi Brutus quid egerit, etiam ſi conſtituerit quando obuiam, quicquid denique erit quod

scire me oportæat, scribes. Pisonem, si poteris, conuenias. uides quàm maturum sit: sed tamen quod commodo tuo fiat. poterat

VALDE me momorderunt epistolæ tuæ de Attica nostra: eædem tamen sanauerunt. quòd enim te ipse consolabare eisdem literis, id mihi erat satis firmum ad leniendam ægritudinem. Ligurianam præclare uendidisti. posthac quicquid scripsero, tibi præconium deferam. Quod ad me de Varrone scribis, sas me antea orationes, aut aliquid id genus solitum scribere, ut Varronem nusquã possem intexere. postea autem quàm hæc cœpi φιλολογώτερα, iam Varro mihi denuntiauerat magnam sanè, & grauem προσφώνησιν. biennium præteryit, cum ille ηαλλιπατήσης assiduo cursu cubitum nullum proesserit. ego autem me parabã ad id, quod ille mihi mississet, ut ὡ τῷ ὦ μίτρῳ ηαὶ λωίον, si modo potuissem: nam hoc etiam Hesiodus ascribit ἄμεινον. nunc illam περὶ τελῶν σύνταξιν, sane mihi probatam, Bruto, ut tibi placuit, despõdimus, idque eum non nolle mihi scripsisti. Ergo illam ἀηαδημαϊηὴν, in qua homines, nobiles illi quidem, sed nullo modo philologi, nimis acute loquuntur, ad Varronem transferamus. etenim sunt Αντιόχεια, quæ iste ualde probãt. Catulo & Lucullo alibi reponemus, ita tamen, si tu hoc probas: déque eo mihi rescribas uelim. sane/cũ ram/ ἀὐτῷ τῷ ὦ ἀμείνων/ in unicam/ &/ habere ponemus

DE BRINNIANA auctione accepi à Vestorio literas. ait sine ulla controuersia rem ad me esse collatam (Romæ uidelicet, aut in Tusculano me fore putauerũt) ad VIII Cal. Quint. Dicès igitur uel amico tuo, uel Othoni cõheredi meo, uel Labeoni nostro, paulum proferant auctionem, me circiter Nonas in Tusculano so- Bruma./&/ cos/

re. cum Pisone Erotem habes. De Scapulanis hortis toto pectore cogitamus. dies adest. ab. /

COMMOTVS tuis literis, quòd ad me de Varrone scripseras, totam Academiam ab hominibus nobilissimis abstuli, transtulíque ad nostrum sodalem, & ex duobus libris contuli in quatuor. grandiores sunt omnino, quàm erant illi, sed tamen multa detracta. Tu autem mihi peruelim scribas, qui intellexeris illũ uelle. Illud utique scire cupio, quem intellexeris ab eo ξυλοτυπᾶσθαι, nisi forte Brutum. id hercle restabat. sed tamen scire peruelim. libri quidem ita exierunt (nisi forte me communis φιλαυτία decipit) ut in tali genere ne apud Græcos quidem simile quicquam. Tu illam iacturam feres æquo animo, quòd illa, quæ habes de Academicis, frustra descripta sunt: multo tamen hæc erunt splendidiora, breuiora, meliora. Nunc autem ἀπορῶ, quò me uertam. uolo Dolabellæ ualde desideranti. non reperio quid: & simul ὠδίνομαι Τρῶας. neque, si aliquid, potero μιμῆσιν effugere. aut cessandum igitur, aut aliquid excogitandum. Sed quid hæc lenia curamus? Attica mea, obsecro te, quid agit? quæ me ualde angit. sed crebro requiro tuas literas: in his acquiesco: tamen expecto nouas. Brutũ libertus cohæres noster scripsit ad me uelle, si mihi placet, cohæredes, & Sabinum Albium ad me uenire. id ego planè nolo. hereditas tanti non est, & tamen obire auctionis diem facile potuerunt (est enim III Id.) si me in Tusculano postridie Non. mane conuenerint. quòd si laxius uolẽt proferre diem, poterunt uel biduum, uel triduum, uel ut uidebitur: nihil enim interest. Quare, nisi iam profecti sunt, retinebis homines. De Bruto siquid erit, de

Cæsare siquid scies præterea, scribes. Illud etiã atque etiã considerares uelim, placeátne tibi mitti ad Varronem quod scripsimus: etsi etiam ad te aliquid pertinet: nam scito te ei dialogo adiunctum esse tertiũ. opinor igitur consideremus, etsi nomina iam facta sunt: sed uel mutari, uel mutari possunt. &/

QVID agit, obsecro te, Attica nostra? nam triduo abs te nullas acceperam: nec mirum: nemo enim uenerat, nec fortasse causa fuerat. Itaque, ipse quid scriberem, non habebam. quo autem die has Valerio dabam, expectabam aliquem meorum: qui si uenisset, & à te quid attulisset, uidebam non defuturum quid scriberem. nos cum fluuina & solitudinem sequeremur, quo facilius sustentare nos possemus, pedem è uilla adhuc egressi non sumus: ita magnos, & assiduos imbres habebamus. Illam Academicam σύνταξιν totam ad Varronem traduximus: modo fuit Catuli, Luculli, Hortensij. deinde, quia παρὰ τὸ πρέπον uidebatur, quòd erat hominibus non ignota, non illa quidem ἀπαιδευσία, sed in his rebus ἀτριπία, simulac ueni ad uillam, eosdem illos sermones ad Catonem, Brutúmque transtuli.

ECCE tuæ literæ de Varrone. nemini uisa est aptior Αντιοχάκα ratio. sed tamẽ uelim scribas ad me primũ placeátne tibi aliquid ad illum: deinde, si placebit, hócne potissimum. Quid Seruilia, iámne uenit? Brutus ecquid agit, et quãdo? de Cæsare quid auditurᵉ? Ego ad Nonas, quemadmodum dixi. tu cum Pisone siquid poteris. de VI. expectabam Roma aliquid. non imperassem igitur aliquid tuis. nunc eadẽ illa, quid Brutus cogitet, aut si aliquid egit, & quid à Cæsare. Sed quid ista quæ minus curo? Attica nostra quid agat, scire cu-

pio. etsi tuæ literæ (sed iam nimis ueteres sunt) recte sperare iubent, tamen expecto recens aliquid.

VIDES propinquitas quid habet. nos uero conficiamus hortos. Colloqui uidebamur in Tusculano cum essem: tanta erat crebritas literarum: sed id quidem iã erit. Ego interea admonitu tuo perfeci sanè argutulos libros ad Varronem: sed tamen expecto quid ad ea, quæ scripsi ad te: primum qui intellexeris eum desiderare à me, cum ipse homo πολυγραφώτατος nunquã me lacessisset: deinde quem ξηλοτυπῶν multo Hortensium munus, aut eos qui de Rep. loquuntur. Plane hoc mihi explices uelim: in primis, maneásne in sententia, ut mittam ad eum quæ scripsi: an nihil necesse putes. sed hæc coram.

COMMODVM discesserat Hilarus librarius IIII Cal. cui dederam literas ad te, cum uenit tabellarius cum tuis literis pridie datis: in quibus illud mihi gratissimum fuit, quòd Attica nostra rogat te ne tristis sis, quódque tu ἀνιόνυνα esse scribis. Ligarianam, ut uideo, præclare auctoritas tua commendauit: scripsit enim ad me Balbus ac Oppius, mirificè se probare, ob eámque causam ad Cæsarem meam se oratiunculã misisse. Hæc igitur idem tu mihi antea scripseras.

In Varrone ista causa me ~~non~~ moueret, ne uiderer φιλένδοξος: sic enim constituebam, neminem includere in dialogos eorum qui uiuerent: sed quia scribis & desiderari à Varrone, & magni illum æstimare, eos confeci, & absolui, nescio quàm bene, sed ita accurate, ut nihil posset supra. Academicam omnem quæstionem libris quatuor. in eis, quæ erant contra ἀκαταληψίαν, præclare collecta ab Antiocho, Varroni dedi: ad ea

ipse respõdeo: tu es tertius in sermone nostro. Si Cottã, & Varronem fecissem inter se disputantes, ut à te proximis literis admoneor, meũ πρόσωπον esset. hoc in antiquis personis suauiter fit, ut & Heraclides in multis, & nos sex de Rep. libris fecimus. Sunt etiam de oratore nostri tres, mihi uehementer probati. in eis quoque eæ personæ sunt, ut mihi tacendum fuerit: Crassus enim loquitur, Antonius, Catulus senex, C. Iulius frater Catuli, Cotta, Sulpitius. Puero me hic sermo inducitur, ut nullæ esse possent partes meæ. quæ autem his temporibus scripsi, Aristotélaion morem habent, in quo sermo ita inducitur cæterorum, ut penes ipsum sit principatus. Ita confeci quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, περιπατητικὰ M. Pisoni daremus. ἀξηλότυπον id fore putaram, quòd omnes illi deceſſerant. Hæc Academica, ut scis, cum Catulo, Lucullo, Hortensio contuleram. sanè in personas non cadebant: erant enim λογικώτερα, quàm ut illi de ijs somniasse unquam uiderentur. Itaque, ut legi tuas de Varrone, tanquam ἑρμᾶον arripui. aptius esse nihil potuit ad id philosophiæ genus, quo ille maxime mihi delectari uidetur, meáque partes, ut non sim consecutus, ut superior mea causa uideatur: sunt enim uehementer πιθανὰ Antiochia, quæ diligenter à me expressa acumen habent Antiochi, nitorem orationis nostrum, si modo is est aliquis in nobis. Sed tu dandos ne putes hos libros Varroni, etiam atque etiam uidebis. mihi quædam occurrunt, sed ea corám.

A CAESARE literas accepi consolatorias, datas prid. Cal. Maij Hispali. De urbe augenda quid sit promulgatum, non intellexi. id sanè scire uelim. Torquato

nostra officia grata esse facile patior: eáque augere non desinam. De uxore Tuberonis, & priuigna, neq; possum iam abdere (est enim res permulgata) neque Tuberonem uolo defendere: mirificæ est enim φιλαύτιος. Theatrum quidem sanè bellum habuisti. Ego, etsi hoc loco facillime sustentor, tamen te uidere cupio. itaque, ut constitui, adero. Fratrem credo à te esse conuentum: scire igitur studeo quid egeris. De fama nihil sanè laboro. etsi scripseram ad te tunc stultæ. nihil melius curandũ enim nobis est, atque hoc in omni uita sua quenque à recta conscientia transuersum unguem non oportere discedere. Vidén' quàm φιλοσόφως an tu nos frustra existimas hæc in omnibus habere? διδάχθαι te nollem, quod nihil erat: redeo enim rursus eodem. quicquám ne me putas curare in toto, nisi ut ei ne desim? id ago scilicet, ut iudicia uidear tenere: μὴ χάρ αὐτοῖς. uellem tam domestica ferre possem, quàm ista contẽnere. putas autem me uoluisse aliquid, quod perfectum non sit? non licet scilicet sententiam suam: sed tamen, quæ tum acta sunt, non possum non probare: & tamen non curare pulchre possum, sicuti facio. Sed nimium multa de nugis.

A D HIRCIVM dederam epistolam sanè grandem, quam scripserã proxime in Tusculano. huic, quam tu mihi misisti, rescribã aliâs: nunc alijs malo. Quid possum de Torquato, nisi aliquid à Dolabella? quod simulac, continuo scietis. expectabã hodie, aut summum cras ab eo tabellarios: qui simulac uenerint, mittẽtur ad te. A' Quinto expecto: proficiscẽs enim è Tusculano VIII. Cal. ut scis, misi ad eum tabellarios. Nũc ad rem ut redeã. INHIBERE illud tuum, quod ualde mihi ar-

riserat, uehementer displicet: est enim uerbum totum nauticum. quanquam id quidem sciebam: sed arbitrabar sustineri remos, cum mhiberi essent remiges iussi. id non esse eiusmodi didici heri, cum ad uillã nostram nauis appelleretur: non enim sustinent, sed alio modo remigant. id ab ἐποχῆς remotissimum est. Quare facies ut ita sit in libro quemadmodum fuit. Dices hoc idem Varroni, si fortè mutauit. nec est melius quicquam, quàm ut Lucullus sustineat currum, ut bonus sæpe agitator, equósque. semperq; Carneades προβολὴν pugilis, & retentionem aurigæ simulem facit ἐποχῆς. Inhibitio autem remigum motum habet, & uehementiorem quidem remigationis nauem conuertentis ad puppim. Vides quanto hoc diligentius curem, quàm aut de rumore, aut Pollione. De Pansa etiam, siquid certius: credo enim palàm factum esse. et De Critonio, siquid esset, certe de Metello, & Balbino? dic mihi, placetne tibi primum edere iussu meo? Hoc ne Hermodorus quidem faciebat, is, qui Platonis libros solitus est diuulgare, ex quo λόγοισιν Ερμόδωρος. quid illud? rectúmne existimas quicquam quicquam antè, quàm Brutо? cui te auctore προσφωνῶ: scripsit enim Balbus ad me, se à te quintum de finibus librum descripsisse: in quo non sanè multa mutaui, sed tamen quædam. Tu autem commode feceris, si reliquos continueris, ne & ἀδιόρθωτα habeat Balbus, & ἰωλα Brutus. Sed hæc hactenus, ne uidear περὶ μικρὰ σπουδάζειν. etsi nunc quidem maxima mihi sunt hæc: quid est enim aliud? Varroni quidem quæ scripsi te auctore, ita propero mittere, ut iam Romam miserim describenda. ea si uoles, statim habebis: scripsi enim ad librarios ut fieret

tuis, si tu uelles, describendi potestas. ea uero continebis, quoad ipse te uideam. quod diligentissime facere soles, cum à me tibi dictum sit. Quomodo autem fugit me tibi dicere? mirifica Cælia, studio uidelicet philosophiæ flagrãs, describit à tuis. istos ipsos de finibus habet. ego autem tibi confirmo (possum falli, ut humanus) à me eā non habere: nunquam enim ab oculis meis abfuerunt. tantum porrò aberat ut binos scriberent, uix singulos conscripserunt. tuorum tamen eō nullum delictum arbitror, idémque te uolo existimare: à me enim prætermissum est, ut dicerẽ eos exire nondum uelle. Hui quandiu de nugis? de re enim nihil habeo quod loquar. De Dolabella tibi assentior. cœheredes, ut scribis, in Tusculano. De Cæsaris aduentu, scripsit ad me Balbus, non ante Cal. Sext. De Attica optime, quòd leuius, ac lenius, & quòd fert εὐηόλως. Quod autem de illa nostra cogitatione scribis, in qua nihil tibi credo, ea quæ noui: ualde probo hominem, domum, facultates. quod caput est, ipsum non noui, sed audio laudabilia de Scrofa: etiam proxime accedit, si quid hoc ad rem. εὐγνώμων est etiam, quàm pater. cœrà igitur, & quidẽ propenso animo ad probandum: accedit enim, quòd patrem (ut scire te puto) plus etiam, quàm non modo tu, sed quàm ipse scit, amo, ídque & merito, & iandiu. Quid DE VARRONE, non sine causa, quid tibi placeat, tam diligenter exquiro. occurrunt mihi quædam: sed ea cœrám. te autem ἀσμενίσατα intexui, faciámque id crebrius: proximis enim tuis literis primum te id non nolle cognoui. De Marcello scripserat ad me Cassius antea, τὰ κατὰ μέρος Seruius. rem acerbam. Ad prima redeo. scripta nostra nusquã malo esse, quàm apud

te: sed ea tum foras dari, cum utrique nostrum uidebitur. Ego & librarios tuos culpa libero, neq; te accuso, & tamen aliud quiddam ad te scripseram, Cereliam quædam habere, quæ nisi à te non potuerit. Balbo quidem intelligebam satisfaciendum fuisse: tantum nolebam, aut obsoletum Bruto, aut Balbo inchoatum dari. Varroni, simulac te uidero (si tibi uidebitur) mittam. Quid autem dubitarim, cum uidero te, scies. Attributos quòd appellas, ualde probe. te de prædio Auiæ exercœri, moleste fero. De Bruto nostro perodiosum: sed uita fert. mulieres autē uix satis humane, quæ mimi eo animo erant, cum utraque officio pareat. Tullium scribā, nihil fuit quòd appellares: nam tibi mandassem, si fuisset: nihil enim est apud eum positum nomine uoti. Sed est quiddam apud illum meum. id ego in hanc rem statui conferre. Itaque & ego recte tibi dixi, ubi esset, & tibi ille negauit. Hoc quoque ipsum continuo adoriamur. Locum hominibus nō sanè probo, quòd est desertior: sed habet εὐλογίαν. Verum hoc quoque, ut œnsueris, quippe qui omnia. ego, ut constitui adero, atq; utinam tu quoque eodem die. sin quid, multa enim, utique postridie: etenim cœheredes: à queis sine te opprimi mallitia est. Alteris iam literis nihil ad me de Attica: sed id quidē mihi in optima spe pono. illud accuso, non te, sed illam ne salutem quidem. At tu & illi, & Piliæ plurimam. nec me tamen irasci iudicaris. Epistolam Cæsaris misi, si minus legisses.

ANTEMERIDIANIS tuis literis heri statim rescripsi: nunc respondebo uespertinis. Brutus mallē me accerseret: nam & æquius erat, cum illi iter instaret & subitum, & longum: & mehercule nunc, cum ita simus

affecti, ut non possimus planè simul uiuere (intelligis enim profecto quo maxime posita sit συμβίωσις) facile patiebar nos potius Romæ unà esse, quàm in Tusculano. libri ad Varronem non morabãtur: sunt enim defecti, ut uidisti: tantum librariorum menda tolluntur. de quibus libris scis me dubitasse: sed tu uideris. Item, quos Bruto mittimus, in manibus habent librarij.

ea manda ut ei / ἐναγῶς

Mea mandata (ut scribis) explica. quanquam ista retentione omnes ait uti Trebatius: quid tu istos putas? nosti domum, quam confice ὑδέγως. incredibile est quàm ego ista non curem. Omni tibi asseueratione affirmo,

quo.s

quod mihi credas uelim, mihi maiori offensioni esse, quàm delectationi possessiunculas meas. magis enim doleo, me non habere cui tradam, quàm habere, qui utar. atque illud Trebatius se tibi dixisse narrabat. Tu

malig

autem ueritus es fortasse, ne ego inuitus audirem. fuit id quidem humanitatis: sed, mihi crede, iam ista non curo. Quare da te in sermonem, & persecta, & cõfice, excita, compella, loquere, ut te cum illo Sæua loqui putes. ne existimes eos, qui non debita cõsectari soleant,

mo.s

quod debeatur remissuros. De die tantum uideto, & id eo ipsum bono modo.

QVID est, quod Hermogenes mihi Clodius Andromenem sibi dixisse, se Ciceronẽ uidisse Corcyræ? ego enim audita tibi putaram. nil igitur ne ei quidem litterarũ? an non uidit? facies ergo ut sciam. Quid tibi ego

currere

de Varrone rescribam? quatuor διφθέρας sunt in tua potestate. quod egeris, id probabo: nec tamen διόμαι Τρῶας: quid enim? sed ipsi quàm res illa probaretur, magis uerebar. Sed quoniam tu suscipis, in alteram aurem.

θεολα

DE RETENTIONE, *rescripsi ad tuas accurate litteras scriptas. conficies igitur, & quidem sine ulla dubitatione, aut retractatione. Hoc fieri & oportet, & opus est.* De Andromene, *ut scribis, ita putaram: scisses enim, mihique dixisses. Tu tamen ita mihi de Bruto scribis, ut de te nihil. quando autem illum putas? nam ego Romam prid. Id. ita uolui* Bruto *scribere: sed quoniam tu te legisse scribis, fui fortasse ἀσαφέστερος, me ex tuis literis intellexisse, nolle eum me quasi prosequendi sui causa Romam nunc uenire. Sed quoniam iam adest meus aduentus, fac quæso, nequid eum Idus impediant, quo minus suo cómodo in Tusculano sit. nec enim ad tabulam eum desideraturus eram: in tali enim negotio cur tu unus non satis es? Sed ad testamentũ uolebam: quod iam malo alio die, ne ob eam causam Romam uenisse uidear. Scripsi igitur ad Brutum, iam illud, quod putasse, Idibus nihil opus esse. uelim ergo totum hoc ita gubernes, ut ne minima quidem re ulla* Bruti *commodum impediamus.* Sed *quid est tandem, quod perhoreſcas, quia tuo periculo iubeam libros dari* Varroni? *etiam nunc si dubitas, fac ut sciamus: nihil est enim illis elegantius. Volo* Varronem, *præsertim cum ille desideret: sed est, ut scis* δανὸς ἀνὴρ, τάχα καὶ ἀναίτιον αἰτιόωτο. *Ita mihi sæpe occurrit ultus eius querentis fortasse uel hoc, meas partes in his libris copiosius defensas esse, quàm suas. quod mehercule intelliges non esse, si quando in Epeirum ueneris: nam nunc Alexionis epistolis cædimus: sed tamen ego non despero probatum iri* Varroni: *& id, quoniam impẽsam fecimus in macrocola, facile patior teneri. Sed etiam atque etiã dico, tuo periculo fiet. Quare, si addubitas, ad Brutum*

transeamus: est enim is quoque Antiochius. O Academiam uolaticam, & sui simlem, modo huc, modo illuc. Sed quaeso, epistola mea ad Varronem ualdéne tibi placuit? Male mihi sit, si unquam quicquam tam enitar. At ego ne Tironi quidem dictaui, qui totas περιοχὰς persequi solet, sed Spintharo syllabatim. De Virgilij parte ualde probo. Sic ages igitur: & quidem id erit primũ, proximum Clodiæ. Quòd si neutrum, metuo ne turbẽ, & irruam in Drusum. intemperans sum in eius rei cupiditate, quam nosti. Itaque reuoluor identidem in Tusculanum: quidnis enim potius, quàm ut non hac æstate absoluatur. Ego, ut tempus est nostrũ locum habeo nullum, ubi facilius esse possim, quàm Asturæ: sed quia qui mecum sunt, credo quòd mœstitiam meam non ferunt, domum properant: etsi poteram remanere, tamen, ut scripsi tibi, proficiscar hinc, ne relictus uidear. Quò autem Lanuuium? Conor equidem in Tusculanum: sed faciam te statim certiorem. Tu literas conficies. Equidem credibile non est, quantum scribam die: quin etiam noctibus: nihil est enim somni. Heri etiam effeci epistolam ad Cæsarem. tibi enim placebat: quam non fuit malum scribi, si forte opus esse putares. ut quidem nunc est, nihil sanè est necesse mittere, sed id quidem, ut tibi uidebitur: mittam tamen ad te exemplum fortasse Lanuuio, nisi forte Romam: sed cras scies.

EPISTOLAM ad Cæsarem, nobis uero semper rectissime placuit, ut isti antè legerent: aliter enim fuissemus & in hos inofficiosi, & in nosmetipsos, si illum offensuri fuimus, penè periculosi. Isti autem ingenue, mihique gratum, quòd, quid sentirent, non reticuerunt:

illud uero uel optime, quòd ita multa mutari uolunt ut mihi de integro scribendi causa non sit. quanquam de Parthico bello quid spectare debui, nisi quod illũ uelle arbitrabar? quod enim aliud argumentum epistolæ nostræ, nisi πολυπραγμοσύνη fuit? an, si ea quæ optima putaram, suadere uoluissem, oratio mihi defuisset? Totis igitur literis nihil opus est. ubi enim ἐπίτευγμα magnum nullum fieri possit, ἀπότευγμα uel non magnum molestum futurum sit, quid opus est παραπλησίως? præsertim cum illud occurrat illum, cum antea nihil scripserim, existimaturum me, nisi toto bello confecto, nihil scripturum fuisse. atque etiam uereor, ne putet me hoc quasi Catonis μάλιγμα esse uoluisse. Quid quæris? ualde me pœnitebat: nec in hac quidẽ re quicquam magis ut uellem, accidere potuit, quàm quòd ἀπροσδιόνυσον nostra non est probata. Incidissemus etiam in illos, in eis in cognatum tuum. Sed redeo ad hortos. Planè illuc te ire, nisi tuo magno cõmodo nolo. nihil enim urget. quicquid erit, operam Faberio ponamus. De die tamen auctionis, siquid scies. eũ, qui è Cumano uenerat, quòd & plane ualere Atticam nũtiabat, & literas se habere aiebat, statim ad te misi. Hortos quoniã hodie eras inspecturus, quid uisum tibi sit, cras scilicet. De Faberio autem, cum uenerit. De epistola ad Cæsarẽ (iurato mihi crede) non possum. nec me turpitudo deterret, etsi maxime debebat. quàm enim turpis est assentatio, cum uiuere ipsum turpe sit nobis? Sed, ut cœpi, non me hoc turpe deterret: ac uellem quidem (essem enim qui esse debebam) sed in mẽtem mihi uenit: nam quæ sunt ad Alexandrum hominum eloquentium & doctorum suasiones, uides quibus in rebus uersentur.

adoleſcentem incenſum cupiditate ueriſſimæ gloriæ, cupientem ſibi aliquid cõſilij dari, quod ad laudẽ ſempiternam ualeret, cõhortantur ad decus. non deeſt oratio. Ego quid poſſum? tamen neſcio quid è querela excidi, quàm culpſeram, quod uideretur ſimile ſimulacri. In eo quòd nonnulla erant paulo meliora, quàm ea quæ fiunt, & facta ſunt, reprehenduntur: quod me minime pœnitet. ſi enim peruenisſent iſtæ literæ, mihi crede, nos pœniteret. Quid? tu non uides, ipſum illum Ariſtotelis diſcipulum ſummo ingenio, ſumma modeſtia, poſteaquam Rex appellatus ſit, ſuperbum, crudelem, immoderatum fuiſſe? quid tu hunc de pompa, Quirini contubernalem, his noſtris moderatis epiſtolis lætaturum putas? ille uero potius non ſcripta deſiderat, quàm ſcripta non probet. Poſtremo, ut uolet. abijt illud, quod tum me ſtimulabat, quod tibi dabam πρόβλημα ἀρχιμήδειον. Multo mehercule magis nunc opto caſum illum quàm tum timebam, uel quemlibet, niſi quid te aliud impediet, mihi optato ueneris. Nicias à Dolabella magno opere accerſitus (legi enim literas) etſi inuito me, tamen eodem me auctore profectus eſt. Hoc manu mea.

CVM quaſi alias res quæ rerem de philologis è Nicia, incidimus in Talnam. Ille de ingenio nihil nimis. modeſtum, & frugi. ſed hoc mihi non placuit. ſe ſcire aiebat ab eo nuper petitam Cornificiã Quinti filiam, uetulam ſane, & multarum nuptiarum: non eſſe probatam mulieribus, quòd ita reperirent, rem non maiorem DCCC. hoc putaui te ſcire oportere. De hortis ex tuis literis cognoui, & Chryſippo. in uilla, cuius inſulſitatem bene noram, uideo nihil, aut pauca mu-

pauca ut ad balnearia

tata, balnearia tamen laudat, maiora de minoribus
ait hiberna effici posse. Tecta igitur ambulatiuncula
addenda est: quam ut tantam faciamus, quantam in
Tusculano fecimus, propè dimidio minori constabit
isto loco. Ad id autem quod uolumus, ἀφίδρυμα, ni-
hil aptius uidetur, quàm lucus, quem ego noram: sed
celebritatem nullā tum habebat, nunc audio maximā.
nihil est quod ego malim. In hoc τὸν τύφον μὲ πρὸς
βιῶν τροποφόρητον. Reliquum est, si Faberius nobis no
men illud explicat: noli quærere quanti: Othonem uin
cas uolo. Nec tamen insaniturum illum puto. nosse e-
nim mihi hominem uideor. Ita male autem audio i-
psum esse tractatum, ut mihi ille emptor non esse ui-
deatur. quid enim pateretur? sed quid argumentor? si
Faberianum explicas, emamus uel magno: sin minus, ne
paruo quidem possumus. Clodiam igitur, à qua ipsam
ob eam causam sperare uideor, quòd & multo mino-
ris sunt, & Dolabellæ nomen iam expeditum uidetur,
ut etiam repræsentatione concludam. De hortis satis.

Cras aut te, aut causam, quam quidem futuram Fa
berianam, sed si poteris.

CICERONIS epistolam tibi remisi. ò te ferreum,
qui illius periculis non moueris. me quoq; accusat. eam
epistolam tibi misissem. nam illam alteram de rebus
gestis eodem exemplo puto. In Cumanum hodie misi ta
bellarium. ei dedi tuas ad Vestorium, quas Pharna-
ci dederas. Commodum ad te miseram Demeam, cum
Eros ad me uenit. sed in eius epistola nihil erat noui,
nisi auctionem biduum. Ab ea igitur ut scribis, & ue-
lim confecto negotio Faberiana: quem quidem negat
Eros hodie: cras mane putat. à te colendus est. Istæ

autem πολυπλοκίαν non lõge absunt à scelere. Te, ut spero, perendie. si unde potes, erues qui decem legati Mumio fuerunt: Polybius non nominat. Ego memini Albinum Consularem, & Sp. Mumium: uideor audisse ex Hortensio Tuditanũ. Sed in Libonis annali XIIII. annis post Prætor est factus Tuditanus, quàm Consul Mummius. non sane quadrat. Volo aliquem Olympiæ, aut ubiuis nam πολιτικὸν σύλλογον, more Dicæarchi familiaris tui.

V. CAL. mane accepi à Demea literas pridie datas, ex quibus aut hodie, aut cras te expectare deberem. Sed, ut opinor, idem ego, qui expecto tuũ aduentum, morabor te. non enim puto tam expeditum Faberianum negotium futurũ, etiam si est futurum, ut non habeat aliquid moræ. Cum poteris igitur: quoniam etiam dum abes. Dicæarchi quos scribis libros, sane uelim mihi mittas: addas etiam κατα βάσεως. De epistola ad Cæsarem περιφιλῶς, atque id ipsum, quod isti aiunt illum scribere, se nisi constitutis rebus non iturũ in Parthos: idem ego suadebam in illa epistola, utrum liberet, facere posse, auctore me. Hoc enim ille expectat uidelicet, neque est facturus quicquam, nisi de meo consilio. Obsecro, abijciamus ista, & semiliberi saltem simus, quod assequemur & tacendo & latendo. Sed aggredere. Othonem, ut scribis. Conficæ mi Atticæ istam rem: nihil enim aliud reperio, ubi & in foro non sim, & tecum esse possim. Quanti autem hoc, mihi uenit in mentem. C. Albanius proximus est uicinus, is ∞ iugerum de M. Pilio emit, ut mea memoria est, HS CXV. omnia scilicet nunc minoris. sed accedit cupiditas: in qua, præter Othonem, non puto nos ullum aduersarium habi-

turos: sed eum ipsum tu poteris monere, facilius etiam, si Canum haberes. O gulã insulsam. pudet me patris. Rescribes, siquid uoles. monere a.b.

ALTERAM à te epistolam cum hodie accepissem, uoluptati mea contentũ. Tu uero age, quod scribis, de Faberio: in eo enim totum est positum id quod cogitamus. Quæ cogitatio si nõ incidisset (mihi crede istuc, ut cætera) non laborarẽ. quam ob rem, ut facis (istuc enim addi nihil potest) urge, institue, perfice. Dicæarchi περὶ ψυχῆς utrosque uelim mittas, & καταβάσεως. Τριπολιτικὸν non inuenio, & epistolam eius, quam ad Aristoxenum misit. Treis eos libros maxime nunc uellẽ: apti essent ad id quod cogito. Torquatus Romæ est. iussi ut tibi daretur. Catulum & Lucullum, ut opinor, antea. his libris noua proœmia sunt addita, quibus eorũ uterq; laudatur. Eas literas uolo habeas. & sunt quædam alia. & quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexti: credo quia διὰ σιμάων scripseram. de C. Tuditano enim quærebam, quem ex Hortensio audierã fuisse in decem. Eum uideo in Libonis Prætorem L. Popilio, P. Rupilio Cos. annis XIIII ante quàm Prætor factus est, legatus esse potuisset: nisi admodum sero Quæstor est factus: quod nõ arbitror. uideo enim Curules magistratus eum legitimis annis perfacile cepisse. Postumiu autem, cuius statuam in Isthmo meminisse te dicis, sciebã fuisse. Is autem est, qui cum Lucullo fuit, quem tu mihi addidisti. sanè ad illum σύλλογον personam idoneam. Videbis igitur si poteris, cæteros, ut possimus πομπεύσαι καὶ τοῖς προσώποις. negligentiam miram. semélne putas mihi dixisse Balbum & Faberium professionem relatam? quinetiam earum iussu meo.

DD.iij.

miseram, qui profiteretur: ita enim oportere dicebant. Professus est Philotimus libertus. nosti credo librarium: sed scribis, & quidem confectum. Ad Faberium, ut tibi placet, literas misi. cum Balbo autem puto te aliquid fecisse H. in Capitolio. In Virgilio mihi nulla est δυσωπία: nec enim eius causa sane debeo. & si emero, quid erit quod postulet? sed uidebis, ne is cum sit in Africa, ut Celius. De nomine tu uidebis cum Cuspio: sed si Planeus destinat tum haberes difficultatem. Te ad me uenire uterque nostrum cupit: sed ista res nullo modo relinquenda est. Othonem quod speras posse uinci, sane bene narras. De æstimatione, ut scribis, cum agere cœperimus: etsi nihil scripsit, nisi de modo agri. Cum Pisone, si quid poterit. Dicæarchi librum accepi; καταβάσεως expecto. negotium dederis. reperies ex eo libro in quo sunt S. C. Cn. Cornelio, & L. Coss. De Tuditana autem quod putas, ἄλογον est, tum illum, quoniam fuit ad Corinthum. non enim temere dixit Hortensius, aut Quæstorem, aut Tribunum mil. idque potius fuisse credo. sed tu de Antiocho scire poteris. Vide etiam quo anno Quæstor, aut Tribunus mil. fuerit: si neutrum, eodem in præf. aut contubernio fuerit, modo fuerit in eo bello. De Varrone loquebamur. lupus in fabula. uenit enim ad me, & quidem id temporis, ut retinendus esset: sed ego ita egi, ut non scinderem penulam. memini enim tui: & multi erant, nosque imparati. Quid refert? Paulo post C. Capito ad T. Carrinatem. horum ego uix attigi penulam: tamen remanserunt. Cecidit belle. sed casu sermo à Capitone de Vrbe augenda, à ponte Milvio Tyberim duci secundum montes Vaticanos, campum Martium coædificatum adi-

ri, illum autem campum Vaticanum fieri quasi Martium campum. Quid ais, inquam? at ego ad tabulam, ut si recte possem Scapulanos hortos. Caue facias, inquit: nam ista lex perferetur. uult enim Cæsar: audire, me facile passus sum: fieri autem moleste fero. Sed tu quid ais? quanquam quid quæro? nosti diligentiam Capitonis in rebus nouis perquirendis: non concedit Camillo. Facies igitur me certiore de Idibus: ista enim me res adducebat: eò adiunxeram cæteras: quas consequi tamen biduo aut triduo pòst facile potero. te tamen in uia confici minime uolo. quinetiam Dionysio ignosco. De Bruto quòd scribis, feci ut ei liberum esset, quod ad me attineret. scripsi enim ad eum heri Idibus Maij, eius opera mihi nihil opus esse. Asturam ueni VIII. Calend. Iul. uitandi enim caloris causa Lanuuij tres horas acquieueram. Tu uelim, si graue non erit, efficias ne ante Nonas mihi illuc ueniendum sit. Id potes per Egnatium Maximum. illud in primis cum Publilio me penè absente conficies. de quo quæ fama sit, scribes. id populus curat scilicet. non mehercule arbitror: etenim hæc decantata erat fabula: sed complere paginam uolui. Quid plura? ipse enim adsum, nisi quid tu prorogas: scripsi enim ad te de hortis. O rem indignam. gentilis tuus Vrbem auget: quam hoc biennio primum uidit: & ei parum magna uisa est, quæ etiam ipsum capere potuerit. Hac de re igitur expecto literas tuas. Varroni scribis, te, simulac uenerit. Dati igitur iam sunt, nec tibi integrum est. hui si scias quanto periculo tuo: aut fortasse literæ meæ te retardarunt: si sed eas nondum legeras, cum has proximas scripsisti. Scire igitur aueo quomodo res se habeat.

DE Bruti amore, uestráque ambulatione, etsi mihi nihil noui affers, sed idem quod sæpe, tamen hoc audio libentius, quo sæpius: eóque mihi iucundius est, quòd tu eo lætaris: certiúsque eo est quod à te dicitur. Has alteras hodie literas. de Xenonis nomine & de Epeiroticis XL. nihil potest fieri nec commodius nec aptius, quàm ut scribis. Id erat locutus mecũ eodem modo Balbus minor. Noui nihil sanè, nisi Hirtium cum Quinto acerrime pro me litigasse, omnibus cum locis facere, maximéque in conuiuijs: cum multa de me, tum redire ad patrem. Nihil autem ab eo ἀξιοπίστως dici, quàm alienissimos nos esse à Cæsare: fidem nobis habendam non esse, me uero etiam cauendum φοβερὸν ἦν, nisi uiderem scire Regem: me animi nihil habere: Ciceronem uero meum uexari, sed id quidem arbitratu suo. Laudationem Porciæ gaudeo me ante dedisse Leptæ tabellario, quàm tuas accepissem literas. Eam tu igitur, si me amas, curabis, si modo mittetur, isto modo mittendam Domitio & Bruto. De gladiatoribus, de cæteris, quæ scribis, ἀνεμοφόρητα, facies me quotidie certiorem uelim, si tibi uidetur, appelles Balbum, & Offilium de auctione proscribenda. Equidem locutus sum cum Balbo. placebat puto conscripta habere Offilium omnia. habet & Balbus. sed Balbo placebat, propinquũ diem, & Romæ: si Cæsar moraretur, posse in diem diem differri. Sed is quidem adesse uidetur. Totum igitur considera: placet enim Vestorio.

ANTE lucem cum scriberem contra Epicureos, de eodem oleo & opera exaraui nescio quid ad te, & ante lucem dedi. Deinde cum somno repetito simul cum sole experrectus essem, datur mihi epistola à sororis tuæ fi-

lio, quam ipsam tibi misi, cuius est principium non sine maxima contumelia, sed fortasse εὐ ἐπίσησιν. Est autem sic, EGO enim non probo quicquid non belle in te dici potest. Posse vult in me multa dici non belle, sed ea se negat approbare. Hoc quicquid potest esse impurius? iam cætera leges (nisi enim ad te) iudicabisque. Bruti nostri quotidianis assiduisque laudibus, quas ab eo de nobis haberi permulti mihi renunciauerunt, commotum istum aliquando scripsisti aliquid ad me, credo, & ad te: idque ut sciam, facies: nam ad patrem de me quid scripserit, nescio: de matre quàm pie? VOLVERAM, inquit, ut quamplurimum tecum esset, conduci mihi domum: & id ad te scripseram: neglexisti. ita minus multũ unà erimus: nam ego istam domũ uidere non possum: qua de causa, scis. Hanc autem causam pater odium matris esse dicebat. nunc me iuua mi Attice consilio, πότερον δίκας τᾶχος ὕψιον, id est utrum aperte hominem asperner, ac respuam ἢ συολιᾶι ἀπάτας. ut enim Pindaro, sic δίχα μοι νόος ἀτρέμαν εἰπᾶν. Omnino moribus meis illud aptius, sed hoc fortasse temporibus. Tu autem, quod ipse tibi suaseris, idem mihi persuasum putato.

EQVIDEM uereor maxime, ne in Tusculano opprimar. in turba hæc essent faciliora. Verum igitur Astu ræ? quid Cæsar subito? iuua me, quæso, consilio: utar eo quod tu decreueris.

O INCREDIBILEM uanitatem: ad patrem domo sibi carendum propter matrem plenam pietatis. Hic autem iam languescit, & ait tibi illum iure iratum: sed utar tuo consilio: συολιὰ enim tibi uideo placere. Romam, ut censes, ueniã, sed imitus: ualde enim

in scribendo hæreo. Brutum, inquis, eadem. scilicet: sed nisi hoc esset, res me ista non cogeret: nec enim inde uenit, unde mallem: neque diu abfuit: neque ullam literam ad me. Sed tamen scire aueo qualis ei totius itineris summa fuerit. Libros mihi, de quibus ad te antea scripsi, uelim mittas, & maxime φιλόδρυ περὶ θεῶν
* & ΓΑΛΑΙΔΟC. Itáne nuntiat Brutus illum ad bonos uiros ὀλιγηλίας? sed ubi eos? nisi forte se suspendit. Hic autem, ut fultum est. ubi igitur φιλοτέχνημα illud tuũ, quod uidi in Parthenone? Alam & Brutum. sed quid faciant? Illud optime, quòd ne is quidem, qui omnium flagitiorum auctor, bene de nostro. At ego uerebar, ne etiam Brutus eum diligeret: ita enim significarat ijs literis quas ad meas. At uellem aliquid degustasse de fabulis. sed coràm, ut scribis. etsi quid mihi auctor es, aduolóne, an maneo? Equidem & in libris hæreo, & illum hic excipere nolo, ad quem, ut audio, pater hodie ad saxa Acrimonia. Mirum quàm inimicus ibat, ut ego obiurgarem. Sed ego ipse μέτρομα. Itaque posthac. tu tamen uide quid de aduentu meo cenſeas, & τὰ ὅλα. cras, si perspici potuerint, mane statim, ut sciam. Ego uero Quinto epistolam ad sororem misi, cum ille quereretur filio cum matre bellum, & se ob eam causam domo cessurum filio diceret. dixi, illũ commodas ad matrẽ literas, ad te nullas. Ille alterum mirabatur: de te autem suam culpam, quòd sæpe grauiter ad filium scripsisset de tua in illũ iniuria. quòd autem relanguisse se dicit, ego ei tuis literis lectis σκολιῶς ἀπάτως significaui me non fore: tũ enim mentio Canai. Omnino, si id consilium placeret, esset necesse. sed, ut scribis, ratio est habenda grauitatis, & utri-

usque nostrum idem consilium esse debet: etsi in mea graviores iniuriæ, & certe notiores. Si uero etiam Brutus aliquid afferet, nulla dubitatio est. sed coràm: magna enim res, & multæ cautionis. Cras igitur, nisi quid à te commotus. meatus

VENIT ille ad me, καὶ μάλα κατηφής. Et ego, οὐ δὲ τί σύννους? Rogas, inquit? quòd iter instet, & iter ad bellum, idque tum periculosum, tum etiam turpe. Quæ uis igitur, inquam? AEs, inquit, alienum, & tamen ne uia ticum quidem. Hoc loco ego sumpsi quiddam de tua eloquentia: nam tacui. At ille, Sed me maxime angit aurunculus. Quidnã, inquã? Quòd mihi, inquit, iratus est. Cur pateris, inquam? malo enim ita dicere, quàm cur committis? Nõ patiar, inquit: causam enim tollam. Et ego, Rectissime quidem. sed, si graue non est, uelim scire quid sit causæ. Quia dum dubitabam quam ducerem, non satisfaciebam matri: ita ne illi quidem. Nũc nihil mihi tanti est: faciam quod uolunt. Feliciter uelim, inquam, téque laudo. sed quando? Nihil ad me, inquit, de tempore, quoniã rem probo. At ego, inquã, censeo prius quàm proficiscaris. ita patri quoque morem gesseris. Faciam, inquit, ut censes. Hic dialogus sic conclusus est. Sed heus tu, diem meum scis esse III. Non. Ian. aderis igitur. Scripseram iam. ecce tibi orat Lepidus, ut ueniam (opinor Augures nihil habere) ad templum afflandum Saturni ἀποόνδε. uidebimus te igitur. Ego uero utar prorogatione diei: túque humanissime fecisti, qui me certiorẽ feceris, atque ita, ut eo tempore acciperem literas, quo non expectarem, túque ut ab ludis scriberes. Sunt omnino mihi quædam agenda Romæ: sed consequemur biduo post.

SVAVES tuas literas: etsi acerba pompa: ueruntamen scire omnia non acerbum est, uel de Cotta. Populum uero præclarum, quòd propter malum uicinum ne uictoriæ quidem plauditur. Brutus apud me fuit: cui quidem ualde placebat me aliquid ad Cæsarem. Annueram, sed pompam uideret. Tu tamē ausus es Varroni dare. Expecto quid iudicet. quando autem perpetuò legetur? De Attica probo. est quiddam etiam animum leuari tum spectatione, tum etiam religionis opinione & fama. Cottam mihi uelim mittas. Libonem mecum habeo, & habueram ante Casca. Brutus mihi T. Ligarij uerbis nuntiauit, quòd appelletur L. Curfidius in oratione Ligariana: erratum esse meum, sed, ut aiūt, μνημονικὸν ἁμάρτημα. Sciebam Curfidium perneæsarium Ligariorum: sed eū uideo ante esse mortuum. Da igitur quæso negotium Pharnaci, Antæo, Saluio, ut id nomen ex omnibus libris tollatur.

FVIT apud me Lamia post discessum tuum, epistolámq; ad me attulit missam sibi à Cæsare: quæ quam quam antè data erat, quàm ille Diocharimæ, tamen planè declarabat illum antè ludos Romanos esse uenturum. In qua extrema scriptum erat, ut ad ludos omnia pararet, néue committeret ut frustra ipse properasset. Prorsus ex his literis non uidebatur esse dubiū quin antè eam diem uenturus esset. Itémque Balbo, cum eam epistolam legisset, uideri Lamia dicebat. Dies feriarum mihi additos uideo: sed quàm multos, fac, si me amas, sciam. De Babio poteris, & de altero uicino Egnatio. Quòd me hortaris ut eos dies cōsumam in philosophia explicanda: currentem tu quidem: sed cum Dolabella uinctum esse istis diebus uides. Quòd nisi

me Torquati causa teneret, satis erat dierum, ut Puteolos excurrere possem, & ad tempus redire. Lamia quidem à Balbo (ut uidebatur) audiuerat, multos numos domi esse numeratos, quos oporteret quamprimum diuidi. magnum pondus argenti: auctionem, præter prædia, primo quoque tempore fieri oportere. Scribas ad me uelim quid tibi placeat. Equidem, si ex omnibus esset eligendum, nec diligentiorem, nec officiosiorem facile delegissem Vestorio: ad quem accuratissimas literas dedi. quod idem te fecisse arbitror. mihi quidem hoc satis uidetur. Tu quid dicis? unum enim pungit, ne negligentiores esse uideamur. Expectabo igitur tuas literas.

POLLEX quidem fuit dixerat, ad Idus Sext. ita mihi Lanuuij pridie Iduum præsto fuit, sed planè pollex, non index. Cognoscès igitur ex ipso. Balbum conueni: Lepta enim de sua ui in curatione laborans, me ad eum perduxerat. In eo autem Lanuino, quod Lepido tradidit. Ex eo hoc primũ. paulo ante accepera eas literas, in quibus magnopere confirmat ante ludos Romanos. legi epistolam. Multa de meo Catone: quem sæpissime legendo se dicit copiosiorem factum: Bruti Catone lecto se sibi usum disertum. Ex eo cognoui cretionem Cluuij (ò Vestorium negligentem) liberam, testibus præsentibus sexaginta duobus. Metuebam ne ille arcessendus esset. nunc mittendum est, ut meo iussu cernat. Idem igitur Pollex etiam de hortis Cluuianis egit cum Balbo liberalius: se enim statim ad Cæsarẽ scripturum: Cluuium autem à T. Hordeonio legare & Terentiæ HS L ↄↄↄ, & sepulcro, multisque rebus, nihil à nobis. Subaccusa quæso. Vestorium. quid minus

probandum, quàm Plotium unguentarium per suos pueros omnia tãto ante Balbo, illum nihil ne per meos quidẽ? De Cosinio doleo. dilexi hominẽ. Quinto delegabo, siquid æri meo alieno superabit, & emptionibus, ex quibus mihi etiam æs alienum faciendũ puto. De domo Arpini nihil scio. Vestorium nil est quod accuses: iam enim obsignata hac epistola, nocte tabellarius noster uenit, & ab eo literas diligenter scriptas attulit, & exemplum testamenti. &

POSTEA QVAM abs te Agamemno, non ut uenirem (nam id quoque fecissem, nisi Torquatus esset) sed ut scriberẽ, tetigit, omisi ea quæ in manibus habebam, abieci, quod iusseras edolaui. Tu uelim è Pollice cognoscas rationes nostras sumptuarias. turpe est enim nobis illum, qualiscunque est, hoc primo anno egere. pòst moderabimur diligentius. idem Polyex remittendus est, ut ille ærnat. Planè Puteolos non fuit eundum, cum ob ea quæ ad te scripsi, tum quòd Cæsar adest. Dolabella scribit se ad me postridie Iduum. O magistrum molestum. Lepidus ad me heri uesperi literas misit Antio: nã ibi erat: habet enim domum, quam nos uendidimus. Rogat magnopere, ut sim Calendis in senatu: me & sibi, & Cæsari uehementer gratum esse facturum. Puto equidem nihil esse: dixisset enim tibi fortasse aliquid Oppius, quoniam Balbus est æger. sed tamen malim uenire frustra, quàm desiderari, si opus esset: molestè ferrem postea. Itaque hodie Antij, cras ante meridiem domi. Tu uelim (nisi te impediuisti) apud nos prid. Cal. cum Pilia. Te spero cum Publilio confecisse. Equidem Calendis in Tusculanum recurram: me enim absente omnia cum illis transige

malo. Quinti fratris epistolam ad te misi, non satis humane illam quidem respondentem meis literis, sed tamen quod tibi satis sit, ut equidem existimo. tu uides. Heri nescio quid in strepitu uideor exaudisse, cum dicéres te in Tusculanum uenturum: quod utinam, iterum utinam, tuo tamen commodo. Lepta me rogat, ut, siquid sibi opus sit, accurram: mortuus enim Babulius. Cæsar opinor exuncia, etsi nihil adhuc: sed Lepta ex triente. Veretur autem ne non licéat tenere hereditatem, ἀλόγως omnino, sed ueretur tamen. Is igitur si accierit, accurram: sin minus, haud antè, quàm necesse erit. Tu Polliœm, cum poteris.

LAVDATIONEM Porciæ tibi misi correctam: ac eò properaui, ut, si forte aut Domitio filio, aut Bruto mitteretur, hæc mitteretur. id, si tibi erit commodum, magnopere cures uelim. & uelim M. Varronis, & Lollij mittas laudationem, Lollij utique: nam illam legi: uolo tamen regustare: quædam enim uix mihi credo legisse. Atticæ primum salutem, quam equidem uiri esse arbitror. Multam igitur salutem & Piliæ. De Tigellio, siquid noui. qui quidem, ut mihi Gallus Fabius scripsit, μέμψιν ἀναφέρει mihi quandam iniquissimam, mę Phameæ defuisse, cum eius causam recepissem, quam quidem receperam contra pueros Octauios Cn. F. non libēter: sed Phameæ causa uolebam: erat enim, si meministi, in Consulatus petitione per te mihi pollicitus, siquid opus esset: quod ego perinde tuebar, ac si usus essem. Is ad me uenit, dixítque iudicem operā dare sibi cōstituisse eo die ipso, quo de Sestio nostro lege Pōpeia in cōsiliū iri necesse erat: scis enim dies illorū iudiciorum præstitutos fuisse. Respōdi, non igno-

rare eum quid ego deberem Sestio: quem uellet alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum. ita tum ille discessit iratus. puto me tibi narrasse. non laboraui scilicet, nec hominis alieni iniustissimam iracundiam mihi curandã putaui. Gallo autem narraui, cum proxime Romæ fui, quid audissem, neque nominaui Balbum minorem. Habuit suum negotium Gallus, ut scribit. Ait illum me animi conscientia, quòd Phameam destituissem, de se suspicari. Quare tibi hactenus mando, de illo nostro, siquid poteris, exquiras. de me nequid labores. Est bellum, aliquem libenter odisse, & quemadmodum non omnibus seruire. Etsi mehercule, ut tu intelligis, magis mihi isti seruiunt, si obseruare seruire est.

ADMONITVS quibusdam tuis literis, ut ad Cæsarem uberiores literas mitterem, institueram, cum mihi Balbus nuper in Lanuino dixisset, se & Oppium scripsisse ad Cæsarem, me legisse libros contra Catonem, & uehementer probasse. Conscripsi de his ipsis libris epistolam Cæsari, quæ deferetur ad Dolabellã: sed eius exemplum misi ad Oppium, & Balbum, scripsique ad eos ut tum deferri ad Dolabellam iuberent meas literas, si ipsi exemplum probassent. Ita mihi rescripserũt, nihil unquam se legisse melius: epistolámque meam iusserunt dari Dolabellæ. Vestorius ad me scripsit, ut iuberẽ mancipio dari seruo suo pro mea parte Hetereio cuidam fundum Brinnianum, ut ipse ei Puteolis recte mancipio dare posset. Eum seruum, si tibi uidebitur, ad me mittes: opinor enim ad te etiam scripsisse Vestoriũ. De aduentu Cæsaris idem, quod à te, mihi scriptum est ab Oppio & Balbo. Miror

te nihildum cum Tigellio, uel ut hoc ipsum quantum acceperit. prorsus aueo scire, nec tamen flocci facio. Quæris, quid cogitem de obuiam itione. Quid censes, nisi Alsium? & quidem ad Murenam de hospitio scripseram. sed opinor cū Matio profectum. Sallustius igitur urgebitur. Scripto iam superiore uersiculo Eros mihi dixit, sibi Murenam liberalissime respōdisse. eo igitur utamur: nam Silius calcitras non habet. Dida autem (opinor) hospitibus totam uillam concessit.

AD Cæsarem quam misi epistolam, eius exemplum fugit me tum tibi mittere. nec id fuit, quod suspicaris, ut me puderet tui, ne ridicule Micillus. nec mehercule scripsi aliter, ac si πρὸς ἴσον ὅμοιόνϛ; scriberem: bene enim existimo de illis libris, ut tibi corām. itaque scripsi & ἀνολοκυύτως, & tamen sic, ut nihil eum existimem lecturum libentius. De Attica nunc demum mihi est exploratum. itaque ei de integro gratulare. Tigellium totum mihi, & quidem quamprimum: nam pendeo animi. Narrabo tibi: Quintus cras, sed ad me an ad te, nescio. Mihi scripsit Romam VIII. Calen. sed misi qui muitaret. etsi hercle iam Romam uenien dum est, ne ille ante aduolet.

HOSPITEM mihi tam grauem ἀμεταμέλητον: fuit enim periucunde. sed cum secundis Saturnalibus ad Philippum uesperi uenisset, uilla ita completa militibus est, ut uix triclinium, ubi cœnaturus ipse Cæsar esset, uacaret, quippe hominum ∞ ∞. Sanè sum commotus quid futurum esset postridie. ac mihi Barba Cassius subuenit: custodes dedit, castra in agro, uilla defensa est. ille tertijs Saturnalibus apud Philippum ad horam VII. nec quenquam admisit. rationes opinor

cum Balbo. inde ambulauit in litore. post horã VIII in balneum. tum audiuit. de Mamurra non mutauit. unctus est, accubuit, ἐμετιῶν agebat. Itaque & edit, & bibit ἁδέως, & iucunde: opipare sanè & apparate: nec id solum, sed bene & cocto, condito, sermone bono, & si quæris, libenter. Præterea tribus triclinijs ac cœpti ὀὶ περὶ αὐτὸν ualde cœpiose. libertis minus lautis, seruisque nihil defuit: nam lautiores elegantèr accepti. Quid multa? Homines uisi sumus: hospes tamen nõ is, cui dicæres: ambo te, eodem ad me cum reuertere. semel satis est. ἀπουδάζον ἁδὲν in sermone, φιλόλογα multa. Quid quæris? delectatus est, & libenter fuit. Puteolis se aiebat unum diẽ fore, alterum ad Baias. habes hospitium, siue ἐπισκεμίαν: odiosam mihi duxi, non molestam. Ego pauliſper hic: deinde in Tusculanum. Dolabellæ uillam cum præteriret, omnis armatorum copia dextra sinistra ad equum, nec usquam alibi. Hoc ex Nicia. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T. POMPONIVM ATTICVM LIBER XIIII.

CICERO ATTICO S.

IVERTI ad illum, de quo tecum mane. nihil perditius, explicari rem non posse. etenim si ille tali ingenio exitũ non reperiebat, quis nunc reperiet? Quid quæris? periisse omnia aiebat.

quod haud scio an ita sit. Verum ille gaudens, affirmátque, minus diebus XX tumultum Gallicum in sermonem se post Idus Martij, præterquam Lepidi, uenisse nemini. ad summã, non posse istæc sic abire. O prudentem Oppium, qui nihilo minus illũ desiderat, sed loquitur nihil, quod quenquam bonum offendat. sed hæc hactenus. Tu quæsõ quicquid noui (multa autem expecto) scribere ne pigrere: in his, de Sexto satisne certum, maxime autem de Bruto nostro: de quo quidem ille, ad quẽ diuerti, Cæsarẽ solitum dicere, Magni refert hic quid uelit: sed quicquid uult, ualde uult. idque eum animaduertisse, cum pro Deiotaro Nicæa dixerit, ualde uehementer eum usum, & libere dicere. Atque etiam (ut enim quicque succurrit, libet scribere) proxime, cum Sestij rogatu apud eum fuissem, ex pectarémque sedens quoad uocarer, dixisse eũ, Ego dubitem quin summo in odio sim, cum M. Cicero sedeat, nec suo commodo mecum conuenire possit? Atqui si quisquam est facilis, hic est: tamen non dubito quin me male oderit. hæc, & eiusmodi multa. sed ad propositum. quicquid erit, non modo magnum, sed etiam parum, scribes: equidem nihil intermittam. Vale.

CICERO ATTICO S.

DVAS à te accepi epistolas heri. ex priore theatrum, Publiúmque cognoui, bona signa consentientis multitudinis. plausus uero L. Cassio datus, etiam facetus mihi quidem usus est. Altera epistola de Madaro scripta. apud quẽ nullum σαλάκωμα, ut putas: processi enim, sed minus diu: eius sermone enim sum retentus. Quod autem ad te scripseram, obscure, fortasse, id eiusmodi

est. aiebat Cæsarem secum, quo tempore Sestij rogatu ueni ad eum, cum expectarē sedens, dixisse, Ego nunc tam sim stultus, ut hūc ipsum facilem hominem putem mihi esse amicum, cum tandiu sedens meum cōmodum expectet? Habes igitur φαλάκρωμα inimicissimū otij, id est Bruti. In Tusculanum hodie, Lanuuij cras, inde Asturæ cogitabam. Piliæ paratum est hospitium: sed uellem Atticam. uerum tibi ignosco. quarum utrique salutem. Vale.

CICERO ATTICO S.

TRANQVILLAE quidem tuæ literæ: quod utinam diutius: nam Matius posse negabat. Ecce autem structores nostri ad frumentum profecti, cum manes redijssent, rumorem afferunt magnum, Romæ domum ad Antonium frumentum omne portari: παγκοὺν cer-te: scripsisses enim. Corumbus Balbi nullus adhuc, & mihi notum nomen: bellus enim esse dicitur architectus. Ad obsignandum tu adhibitus non sine causa uideris: uolunt enim nos ita putare: nescio cur non animo quoque sentiant. Sed quid hæc ad nos? Odorare tamen Antonij διάθεσιν. quem quidem ego epularum magis arbitror rationē habere, quàm quicquam mali cogitare. Tu, siquid pragmaticō habes, scribe. sin minus, populi ὑπομνήματα, & mimorum dicta perscribito. Piliæ & Atticæ salutem. Vale.

CICERO ATTICO S.

NVNC quid putas me Lanuuij? at ego te istic quotidie aliquid nouæ suspicor. tument negotia: nam cum Matius, quid cēnses cæteros? Equidem doleo, quod nunquā

in nulla ciuitate accidit, non unà cum libertate Remp. recuperatam. horribile est quæ loquãtur, quæ minitẽtur. ac uereor Gallica etiam bella, ipse Sextus quò euadat. Sed omnia licet concurrant, Idus Martiæ cõsolãtur. nostri autem πρῶτοι, quod per se ipsos cõfici potuit, gloriosissime, & magnificentissime confecerunt. reliquæ res opes, & copias desiderant: quas nullas habemus. Hæc ego ad te: ut si quid noui (nam quotidie aliquid expecto) cõfestim ad me: & si noui nihil, nostro more tamen ne patiamur intermitti literulas: equidẽ non committam. Vale.

CICERO ATTICO S.

SPERO *tibi iam esse ut uolumus, quoniam quidẽ ἰσόμοιρος quàm leuiter commotus esses: sed tamen uelim scire quid agas. signa bella, quòd Caluena molestè fert, se suspectum esse Bruto. illa signa non bona, si cum signis legiones ueniunt è Gallia. quid tu illas putas, quæ fuerunt in Hispania? nónne idem postulaturas? Quid eas, quas Annius transportauit? Caninium uolui, sed μνημονικὸν ἀμάρτημα, ab aleatore φυρμὸς πολύς. Nam ista quidem Cæsaris libertorum coniuratio facile opprimeretur, si recta saperet Antonius. meam stultam uerecundiam, qui legari noluerim ante res prolatas, ne deserere uiderer hunc rerum tumorem: cui certè si possem mederi, deesse non deberem: sed uides magistratus: si quidem magistratus illi sunt: uides tamen tyranni satellites in imperijs: uides eiusdem exercitus: uides in latere ueteranos: quæ sunt ἐυρίπιστα omnia: eos autem, qui orbis terræ custodijs non modo septi, uerum etiam magni esse debebãt, tantummodo lau-*

dari, atque amari, sed parietibus contineri. atque illi quoquo modo beati: ciuitas misera. sed uelim scire quid aduentus Octauij, num qui concursus ad eũ, num quæ νεωτερισμοῦ suspicio. non puto equidẽ. sed tamen, quicquid sit, scire cupio. Hæc scripsi ad te proficiscens Asturâ, III. Id. Vale.

CICERO ATTICO S.

PRID. Id. Fundis accepi tuas literas cœnans. Primum igitur, melius esse: deinde meliora te nuntiare: odiosa illa enim fuerant, legiones uenire. nam de Octauio, susque déque. expecto quid de Mario: quem quidẽ ego sublatum rebar à Cæsare. Antonij colloquium cum heroibus nostris pro re nata non incommodum. sed tamẽ adhuc me nihil delectat præter Idus Martij. nã quoniam Fundis sum cum Ligure nostro, discrucior Sestilij fundum à Verberone Curtilio possideri. quod cum dico, de toto genere dico: quid enim miserius, quàm ea nos tueri, propter quæ illum oderamus? Etiámne Consules, & Tribunos pl. in biennium, quos ille uoluit? nullo modo reperio quemadmodum possim πολιτένεσθαι: nihil enim tam σόλοικον, quàm tyrannocτόνους in cælo esse, tyranni facta defendi. sed uides Consules: uides reliquos magistratus, si isti magistratus: uides languorem bonorum. exultant lætitia in municipijs: dici enim non potest, quantopere gaudeãt, ut ad me concurrant, ut audire cupiant uerba mea de re: nec ulla interea decreta: sic enim πεπολιτένμεθα, ut uictos metueremus. Hæc ad te scripsi apposita secunda mensa. plura, & πολιτικώτερα postea: & tu, quid agas, quídque agatur. Postridie Iduum Pau-

lum, Caietæ uidi. is mihi de Mario, & de Repub. alia quædam sanè pessima: à te scilicet nihil: nemo enim meorum. sed Brutum nostrum audio uisum sub Lanuuio. ubi tandem est futurus? nam cum reliqua, tum de hoc scire aueo omnia. Ego è Formiano exiens XVII. Calend. ut inde altero die in Puteolanum, scripsi hæc.

A Ciærone mihi literæ sanè πεπυρωμένοι, & bene longæ. Cætera autem uel fingi possunt: πῖνος literarum significat doctiorem. Nunc magnopere à te peto, de quo sum nuper tecum locutus, ut uideas nequid ei desit. id cum ad officium nostrum pertinet, tum ad existimationẽ, & dignitatem, quod idem intellexi tibi uideri omnino. si ergo est, uolo mẽse Quintili in Græciam. Sunt omnia faciliora. sed cum sint ea tempora, ut certi nihil esse possit, quid honestum mihi sit, quid liceat, quid expediat: quæso da operam ut illum quamhonestissime copiosissiméq; tueamur. Hæc, & cætera quæ ad nos pertinebunt, ut soles, cogitabis: ad méque aut quod ad rem pertineat, aut si nihil erit, quod in buccam uenerit, scribes.

TVME iam rebare, cum scribebas, in agris esse nostris: at ego accepi XVII. Calen. in diuersoriolo Sinuessano tuas literas. De Mario probe. etsi doleo L. Crassi nepotem optime, tam etiam Bruto nostro probari Antoniũ. nam quod Iuniam scribis moderatæ, & amicæ scriptas literas attulisse: mihi Paulus dedit ad se à fratre missas: quibus in extremis erat, sibi insidias fieri, se id certis auctoribus comperisse. hoc nec mihi placebat, & multo illi minus. Reginæ fuga mihi non molesta. sed Clodia quid egerit, scribas ad me uelim. De Bizantijs curabis ut cætera: & Pelopem ad te arcesse. Ego,

epistolas ut postulas, Baiana negotia, chorúmque illum, de quo
scire uis, cum perspexero, tum scribã, nequid ignores.
Quid Galli, quid Hispani, quid Sextus agat, uehemẽter
expecto. ea scilicet tu declarabis, qui cætera. Nau-
n im/ seolam tibi tum causam otij dedisse facile patiebar: ui-
are/ debar enim mihi legenti tuas literas requiesse pauliſ-
q/ per. De Bruto semper ad me omnia perscribito, ubi
qui/ sit, quid cogitet: quem quidem ego spero iam tutò uel so
lum tota Vrbe uagari posse. Veritamen de Rep. multa
cognoui ex tuis literis: quas quidem multiugis accepi
uno tempore à Vestorij liberto. Ad ea autem quæ re-
q/ quiris, breuiter respõdebo. primum uehementer me Clu
uiana delectant. Sed quod quæris, quid arcesserim
Chrysippus archi- Chrysippum: tabernæ mihi duæ corruerũt, reliquæ ri- quarũ
testus Psilippi mas agũt: itaque non solũ inquilini, sed mures etiã mi-
grauerũt. Hanc cæteri calamitatẽ uocant, ego ne incõ-
modum quidẽ. O Socrates, ò Socratici uiri, nunquam
Hã uobis gratiam referã. Dij immortales, quàm mihi ista q/
inuituri/ pro nihilo. sed tamen ea ratio ædificandi initur, cõsi-
liario quidem, & auctore Vestorio, ut hoc damnum
quæstuosum sit. Hic turba magna est, erítque, ut audio,
maior: duo quidem quasi designati Consules. O Dij bo-
ni, uiuit tyrannis, tyrannus occidit? eius interfecti
cuius mortẽ lætamur, cum facta defendimus? Itaq; quàm se-
uere nos M. Curtius accusat, ut pudeat uiuere: neq; in-
iuria: nam mori mulies præstitit, quàm hæc pati, quæ
mihi uidẽtur habitura etiã uetustatẽ. & Balbus hic est,
multúmque mecũ: ad quem à Vetere literæ datæ prid.
Cal. Cal. Ian. cũ à se Cæcilius circũsideretur, & iam tene chã
retur, ueniſſe cum maximis cõpijs Pacorum Parthũ: pau;
ita sibi esse eum ereptum multis suis amissis: in qua re

accusat Volcatium. Ita mihi uidetur bellum illud instare re. sed Dolabella, & Nicias uiderint. Idē Balbus meliora de Gallia XXI die literas habebat: Germanos, illásque nationes re audita de Cæsare, legatos misisse ad Aureliū, qui est præpositus ab Hircio, se, quod imperatum esset, esse facturos. Quid quæris? omnia plena pacis, aliter ac mihi Caluenna dixerat.

ITA'NE uero? hoc meus, & tuus Brutus egit, ut Lanuuij esset? ut Trebonius itineribus deuijs proficiscretur in prouinciam? ut omnia facta, scripta, dicta, promissa, cogitata Cæsaris plus ualerēt, quàm si ipse uiueret? meministíne clamare illo ipso primo Capitolino die? senatum in Capitoliū à Prætoribus uocari? Dij immortales, quæ tum opera effici potuerunt, lætantibus omnibus bonis, etiam sat bonus, fractis latronibus? Liberalia tu accusas. quid fieri tum potuit? iampridem perieramus. Meministíne te clamare causam perijsse, si funere elatus esset? At ille etiam in foro combustus, laudatúsque miserabiliter: seruíque, & egētes in tecta nostra cū facibus immissi. Quæ deinde? ut audeant dicere, Túne cōtra Cæsaris nutum? Hæc, & alia ferre non possum. Itaque χὴν pro χῆς cogito. Tua tamen ἀνανέμιος nausea iámne planè abyit? mihi quidem ex tuis literis cōiecturanti ita uidebátur. Redeo ad te: Bassos, Scæuas, Frangones, hos tu existimas cōfidere se illa habituros stantibus nobis, in quibus plus uirtutis putarunt, quàm experti sunt? pacis isti scilicet amatores, & non latrocinij auctores. At ego cum tibi de Curtilio scripsi, Sestilianóque fundo, scripsi de Cēsorino, de Messala, de Planco, de Posthumio, de genere toto. Melius fuit perijsse illo imperfecto: quod nunquam accidisset, quàm hæc ui-

dere. Octauius Neapolim uenit XIIII. Cal. ibi eũ Balbus mane postridie: eodémq; die mecum in Cumano: illũ hereditatem aditurũ. sed, ut scribis, ῥιξόθεμιν magnam cũ Antonio. Buthrotia mihi tua res est, ut debet, erítque curæ. Quid quæris, iámne ad cœnacla viamna Cluuianum? aduentare uidetur: sed primo anno LXXX deterſimus. Quintus pater ad me grauia de filio, maxime quòd matri nunc indulgeat, cui antea bene merenti fuerit inimicus. ardentes in eum literas ad me misit. Ille autem quid agat, si scis, neque dum mæ Roma es profectus, scribas ad me uelim, & hercule siquid aliud. Vehementer delector tuis litteris. Vale.

CICERO ATTICO S.

NVDIVSTERTIVS dedi ad te epistolam longiorem, nũc ad ea quæ proxime. Velim mehercule Asturæ Brutus. ἀνολκσίαν istorum scribis, an cœnsebas alquin/ litter? Equidem etiam maiora expecto. Cum equidem concionem lego de tanto uiro, de clarissimo ciue, ferre non queo. Etsi ista iam ad risum. sed memento: sic alitur prec./ cõsuetudo perditarum concionum: ut nostri illi non heroes, sed Dij futuri quidẽ in gloria sempiterna sint, sed non sine periculo quidem. Verum illis magna consolatio cõscientia maximi, & clarissimi facti: nobis hi/ quæ, qui interfecto Rege liberi non sumus? Sed hæc aui/ lege fortuna uiderit, quoniam ratio non gubernat. De Cicerone quæ scribis, iucunda mihi sunt, uelim sint prospera. Quòd uerõ curæ tibi est ut ei suppeditetur ad & / usum, & cultum copiosè, per mihi gratum est: idque ut facias, te etiam rogo. De Buthrotijs & tu rectè cogitas, & ego non dimitto istam curam, suscipiam omnem

etiam actionem, quam uideo quotidie faciliorem. De Cluuiano, quoniã in re mea me ipsum diligentia uincis, res ad centena perducitur. Ruina rẽ non fecit deteriorem, haud scio an iam fructuosiorem. Hic mecum Balbus, Hircius, Pansa. modo uenit Octauius, & quidem in proximam uillam Philippi, mihi totus deditus. Lentulus Spinther hodie apud me: cras mane uadit. Vale.

Cluiano/ uina/ etiam

CICERO ATTICO S.

O MI Attiæ, uereor ne nobis Idus Martiæ nihil dederint præter lætitiam, & odij pœnam, ac doloris. Quæ mihi istinc afferũtur? quæ hic uideo? ὦ πράξεως καλῆς μὲν, ἀτελοῦς δέ. Scis quàm diligam Siculos, & quàm illam clientelam honestam iudicem. Multa illis Cæsar, neque me inuito. etsi latinitas erat non ferenda. Veruntamen. ecce autem Antonius accepta grandi pecunia, fixit legem à Dictatore comitijs latam, qua Siculi ciues Romani, cuius rei uiuo illo mentio nulla. Quid? Deiotari nostri causa non similis? dignus ille quidem omni regno, sed non per Fuluiam. Sexcẽta similia. Verum illuc refero. Tam claram, támque testatam rem, támq; iustam Buthrotiã non tenebimus aliqua ex parte? & eo quidẽ magis, quo ista plura. Nobiscum hic perhonorifice, & amice Octauius: quem quidẽ sui Cæsarem salutabant, Philippus non, itaque ne nos quidẽ. quẽ nego posse bonum ciuẽ, ita multi circunstant, qui quidẽ nostris mortẽ minitãtur. Negat hæc ferri posse. Quid censes, cum Romã puer uenerit, ibi nostri liberatores tuto esse non possunt? qui quidem semper erunt clari, conscientia uero facti sui etiam beati. Sed nos (nisi

plura nobis. Cum/ fieri/ ubi.

me fallit) iacebimus. Itaque exire aueo, ubi nec Pelopidarum inquit. Haud amo uel hos designatos, qui etiam declamare me coegerunt, ut ne apud aquas quidē acquiescere licēret. Sed hoc meæ nimiæ facilitatis: nam id erat quondam quasi necesse: nunc quoquo modo se res habet, non est item, quàm dudum. Nihil habeo quod ad te scribam: scribo tamen, nō ut delecter meis literis, sed ut eliciam tuas. Tu, siquid erit de cæteris, de Bruto utique quicquid erit. Hæc cōscripsi X. Cal. accubās apud Vestorium, hominem remotū à dialecticis, in arithmeticis satis exercitatū. Septimo denique die literæ mihi redditæ sunt, quæ erāt à te XIII. Cal. datæ, quibus quæris, atque etiam me ipsum nescire arbitraris, utrū magis tumulis, prospectúque, an ambulatione à literatā delecter. Est mehercule, ut dicis, utriusque loci tanta amœnitas, ut dubitem utra antēponenda sit:

Αλλ' οὐ σωτὸς ἐπηράτου ἔργα μέμηλεν,
Αλλὰ λίην μέγα πῆμα διοτρεφὲς, ἀσσοροῶντες
δεδίμεν, ἐνδοίη δὲ σαώσεμεν, ἢ ἀπολέσθαι.

Quānuis enim tu magna, & mihi iucūda scripseris de D. Bruti aduētu ad suas legiones, in quo spē maximam uideo: tamē, si est bellū ciuile futurum, (quod certe erit, si Sextus in armis permanebit, quem permansurum esse certò scio,) quid nobis faciendum est ignoro. neque enim iam licebit, quod Cæsaris bello licuit, neque huc, neque illuc: quencūque enim hæc pars perditorum lætatum morte Cæsaris putabit (lætitiam autem apertissime tulimus omnes) hunc in hostium numero habebit. quæ res ad cædem maximam spectat. Reliquum est, ut in castra Sexti, aut, si fortè, Bruti nos conferamus. Res odiosa, & aliena nostris ætatibus, & mœrto exitu belli. &

neſcio quo pacto tibi ego poſſim, mihi tu dicere,
Τέυνον ἐμὸν, ἕτοι δίδοται πολεμήια ἔργα,
Αλλὰ σύγ' ἰμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο.
Sed hæc fors uideritʒ ea, quæ talibus in rebus plus, tabulis
quàm ratio poteſt. Nos autem id uideamus quod in no
bis ipſis eſſe debet, ut, quicquid acciderit, fortiter, & ſa
pienter feramus: & accidiſſe hominibus meminerimus,
quod cum multum literæ, tum non minimum Idus οὐκ ἐλαχίστα
quoque Martiæ cõſolentur. Suſcipe nunc meam de
liberationem, qua ſolicitor, ita multa ueniunt in men
tem in utrãque partem. Proficiſcor, ut conſtitueram, le
gatus in Græciam. Cædis impẽdentis periculum non- Ci
nihil uitare uideor, ſed caſurus in aliquam utuperationem, quòd Reip. defuerim tam graui tẽpore. Sin autem manſero, equidẽ uideo in diſcrimine: ſed accidere poſſe ſuſpicor, ut prodeſſe poſſim Reip. Iam illa conſilia priuata ſunt, quòd ſentio ualde eſſe utile ad confirma
tionem Ciceronis, me illuc uenire. Nec alia cauſa pro- a
fectionis mihi ulla fuit, cum conſiliũ cepi legari ab Cæ
ſare. Tota igitur hac de re, ut ſoles, ſiquid ad me pertinere putas, cogitabis. Redeo nũc ad epiſtolam tuam. Scribis enim eſſe rumores, me ad lacũ quod habeo, uẽ
diturũ, minuſculam uero uillam utique. Quinto tradi- &
turũ, uel impenſo pretio, quò introducatur, ut tibi Quin quod
tus F. dixerit, dotata Aquilia. Ego uero de uẽditione ni
hil cogito, niſi quid, quod magis me delectet, inuenero.
& Quintus autem de emendo nihil curat hoc tẽpore: ſatis enim torquetur debitione dotis: in qua mirificas Q. &
Egnatio gratias agit. Aʿ ducenda autem uxore ſic ab
horret, ut quicquã libero lectulo neget eſſe iucundius.
Sed hæc quoque hactenus: redeo enim ad miſeram, ſeu

nullã potius Remp. M. Antonius ad me scripsit de restitutione Sex. Clodij: quàm honorificè, quod ad me attinet, ex ipsius literis cognosces (misi enim tibi exẽplũ) quàm dissolutè, quàm turpiter, quámq; pernicioſe. ut nonunquam Cæsar desiderãdus esse uideatur, facile existimabis. quæ enim Cæsar nunquam, neque fecisset, neque passus esset, ea nunc ex falsis eius cõmentarijs proferuntur. Ego autem Antonio facillimum me præbui: etenim ille, quoniã semel induxit animũ, sibi licere quod uellet, fecisset nihilo minus me inuito. Itaque mearũ quoque literarũ misi tibi exemplũ. Vale.

Antonius Cos. S. D. Ciceroni.

OCCVPATIONIBVS est factum meis, & subita tua profectione, ne tecũ cõrãm de hac re agerẽ. Quam ob causam uereor ne absentia mea leuior sit apud te. Quòd si bonitas tua respõderit iudicio meo quod semper habui de te, gaudebo. A Cæsare petij, ut Sex. Clodium restitueret: impetraui. erat mihi in animo etiam tum sic uti beneficio eius, si tu cõcessisses: quo magis laboro, ut tua uoluntate id per me facere nunc liceat. Quòd si duriorem te eius miseræ, & afflictæ fortunæ præbes, non contendam ego aduersus te. Quanquam uideor debere tueri cõmentarium Cæsaris. Sed mehercule si humaniter, & sapienter, & amabiliter in me cogitare uis, facilem te profecto præbebis, & uoles P. Clodium in optima spe puerum repositum existimare, non te insectatum esse, cum potueris, amicos paternos. Patere obsecro te, pro Rep. uideri gessisse simultatem cum patre eius. non contempseris hanc familiam: honestius enim, & libentius deponimus inimicitias

Reip. nomine susceptas, quàm contumaciæ. Me deinde sine ad hanc opinionem iam nunc dirigere puerum, & tenero animo eius persuadere, non esse tradendas posteris inimicitias. Quanquam tuam fortunam Cicero ab omni periculo abesse certum habeo, tamen arbitror malle te quietam senectutem, & honorificam potius agere, quàm solicitam. Postremo, meo iure te hoc beneficium rogo: nihil enim non tua causa feci. Quòd si non impetro, per me Clodio daturus non sum: ut intelligas quanti apud me auctoritas tua sit, atque eo te placabiliorem præbeas. Vale.

Cicero Antonio Cos. S.

QVOD mecum per literas agis, unam ob causam mallem coràm egisses: non enim solum ex oratione, sed etiam ex vultu & oculis, & fronte (ut aiunt) meum erga te amorem perspicere potuisses. nam cum te semper amaui, primum tuo studio, pòst etiam beneficio prouocatus, tum his temporibus Resp. te mihi ita commendauit, ut cariorem habeam neminem. Literæ uero tuæ tum amantissime, tum honorificentissime scriptæ sic me affecerũt, ut non dare tibi beneficium uiderer, sed accipere à te ita petente, ut inimicum meum, necessarium tuum me multo seruare nolles, cum id nullo negotio facere posses. Ego uero tibi istuc mi Antoni remitto, atque ita, ut me à te, cum his uerbis scripseris, liberalissime atque honorificẽtissime tractatum existimem. idque cum totum, quoquo modo se res haberet, tibi dandum putarem, tum do etiam humanitati, & naturæ meæ. nihil enim unquam non modo acerbũ in me fuit, sed ne paulo quidẽ tristius, aut seuerius, quàm

necessitas Reip. postulauit. Accedit, ut ne in ipsum quidem Clodium meum insigne odium fuerit unquam: sempérque ita statui, non esse insectandos inimicorum amicos, præsertim humiliores: nec his præsidijs nosmet ipsos esse spoliandos. Nam de puero Clodio tuas partes esse arbitror, ut eius animum tenerum, quemadmodum scribis, his opinionibus imbuas, ut nequas inimicitias residere in familijs nostris arbitretur. Cõtendi cum P. Clodio, cum ego publicam causam, ille suam defenderet. Nostras contentiones Resp. dijudicauit. si uineret, mihi cum illo nulla contentio iam maneret. Quare quoniam hoc à me sic petis, ut quæ tua potestas est, ea neges te me inuito usurum: puero quoque hoc à me dabis, si tibi uidebitur: non quo aut ætas nostra ab illius ætate quicquam debeat periculi suspicari, aut dignitas mea ullam cõtentionem extimescat: sed ut nosmet ipsi inter nos coniunctiores simus, quàm adhuc fuimus. interpellãtibus enim his inimicitijs, animus tuus mihi magis patuit, quàm domus. Sed hæc hactenus. illud extremum, Ego, quæ te uelle, quæq; ad te pertinere arbitrabor, semper sine ulla dubitatione summo studio faciam. Hoc uelim tibi penitus persuadeas. Vale.

CICERO ATTICO S.

ITERÃ dum eadẽ ista mihi. Coronatus Quintus noster Parilibus? Parilibus, solúsne? etsi addis Lamiam: quod demiror equidẽ: sed scire cupio qui fuerint alij. quanquam satis scio, nisi improbũ neminem. explana his igitur hoc diligentius. Ego autem cæsu cum dedissem ad te literas VI. Cal. satis multis uerbis, tribus ferè horis pòst accepi tuas, & magni quidẽ põderis. itaq; ioca

tua plena facetiarum, de hæresi Vesturiana, & de Pherionum more Puteolano risisse me satis, nihil est necesse rescribere. πολιτικώτερα illa uideamus. Ita Brutos, Cassiumque defendis, quasi eos ego reprehendam, quos satis laudare non possum. rerum ego utia collegi, non hominum. sublato enim tyranno tyrānida manere uideo: nam quæ ille facturus non fuit, ea fiunt, ut de Clodio: de quo mihi exploratum est, illum non modo non facturum, sed etiam ne passurum quidē fuisse. sequetur Rufio Vestorianus, Victor nunquam scriptus, cæteri quis non? cui seruire ipsi non potuimus, eius libellis paremus. nam Liberalibus quis potuit in senatū non uenire? Fac id potuisse aliquo modo: num etiā cum uenissemus, libere potuimus sententiam dicere? nónne omni ratione ueterani, qui armati aderant, cum præsidij nos nihil haberemus, defendendi fuerunt? Illā sessionem Capitolinā mihi non placuisse, tu testis es. quid ergo? culpa ista Brutorum? minime illorum quidem, sed aliorum Brutorum, qui se cautos, ac sapientes putant, quibus satis fuit lætari, nonnullis etiā gratulari, nullis permanere. Sed præterita omittamus: istos omni cura, præsidióque tueamur: & quemadmodum tu præcipis, contenti Idibus Martij simus. quæ quidē nostris amicis diuinis uiris aditum ad cælum dederunt, libertatem populo Ro. non dederunt. recordare tua: nónne meministi clamare te, omnia periisse si ille funere elatus esset? sapienter id quidem. Itaque, ex eo quæ mandarint, uides. Quæ scribis Calendis Iunij Antonium de prouincijs relaturum, ut & ipse Gallias habeat, & utrisque dies prorogetur: licébitne decerni libere? si licuerit: libertatem esse recuperatam lætabor. si non li-

cuerit, quid mihi attulerit ista domini mutatio præter lætitiam, quam oculis cepi iusto interitu tyranni? Rapinas scribis ad Opis fieri, quas nos quoque tum uidebamus. ne nos & liberati ab egregijs uiris, nec liberi sumus. ita laus illorum est, culpa nostra. Et hortaris me, ut historias scribam: ut colligam tanta eorum scelera, à quibus etiã nunc obsidemur? poteróne eos ipsos non laudare, qui te obsignatorem adhibuerunt? Nec mehercule me rauduscalum mouet: sed homines benuolos, qualescunq; sunt, graue est insequi contumelia. Sed de omnibus meis consilijs, ut scribis, existimo exploratius nos ad Cal. Iun. statuere posse: ad quas adero, & omni ope atque opera enitar, adiuuante me scilicet auctoritate tua, & gratia, & summa æquitate causæ, ut de Buthrotijs S.C. quale scribis, fiat. Quod me cogitare iubes, cogitabo equidẽ. etsi tibi dederã superiore epistola cogitandum. Tu autem quasi iã recuperata Rep. uicinis tuis Massilienſibus sua reddis. Hæc armis (quæ quàm firma habeamus, ignoro) restitui fortasse possunt, auctoritate non possunt.

EPISTOLA breuis quæ postea ad te scripta est, sanè mihi fuit iucunda de Bruti ad Antonium, & de eiusdẽ ad te literis. Posse uidẽtur esse mæliora, quàm adhuc fuerint: sed nobis, ubi simus, & quò iam nos conferamus, prouidẽdum est. O mirificam Dolabellam meum: iam enim dico meum, antea (crede mihi) subdubitabam. magnam ἀναθεώρησιν res habet. de saxo, in crucem, colum nam tollere, locum illũ sternendum locare. Quid quæris? heroica. sustulisse mihi uidetur simulationem desiderij, adhuc quæ serpebat in dies, & inueterata, uerebar ne periculosa nostris tyrannoctonis esset. Nunc

prorſus aſſentior tuis literis, ſperóque meliora. quanquam iſtos ferre non poſſum: qui dum ſe pacem uelle ſimulant, acta nefaria defendunt. ſed non poſſunt omnia ſimul. Incipit res melius ire, quàm putaram. nec uero diſcedam, niſi cum tu id me honeſte putabis facere poſſe. Bruto certe meo nullo loco deero. idque, etiam ſi mihi cum illo nihil fuiſſet, facerem propter eius ſingularem, incredibilémque uirtutem. Piliæ noſtræ uillam totam, quæque in uilla ſunt, trado, in Pompeianũ ipſe proficiſcens Calẽdis Maij. quàm uelim Bruto perſuadeas, ut Aſturæ ſit. Vale.

CICERO ATTICO S.

V. NON. conſcendens ab hortis Cluuianis in phaſelum epicopum has dedi literas, cum Piliæ noſtræ uillã ad Lucrinum, uilliciſque procuratores tradidiſſem. ipſe autem eo die in Pæti noſtri tyrotarichum imminebã, perpaucis diebus in Pompeianum, pòſt in hæc Puteolana, & Cumana regna renauigare. O' loca cæteroqui ualde expetenda, interpellãtium autem multitudine penè fugienda. Sed ad rem ut ueniã, O' Dolabellæ noſtri magnam ἀρισάκν. quanta eſt ἀναθεώρησις? Equidem laudare eum, & hortari non deſiſto. recte tu omnibus epiſtolis ſignificas, quid de re, quid de uiro ſentias. mihi quidem uidetur Brutus noſter iam uel coronam auream per forum ferre poſſe: quis enim audeat uiolare, propoſita cruce, uel ſaxo? præſertim tantis plauſibus, tanta approbatione infimorum? Nunc mi Attice me fac ut expedias. cupio, cum Bruto noſtro affatim ſatisfecerim, excurrere in Græciã. magni intereſt Ciceronis, uel mea potius, uel mehercule utriuſque, me interſ

uenire discenti. nã Epistola Leonidæ, quã ad me misisti, quid habet quæso, in quo magnopere lætemur? Nunquam ille mihi satis laudari uidebitur, cũ ita laudabitur, QVOMODO NVNC EST. non est fidentis hoc testimonium, sed potius timentis. Herodi autem mandaram ut mihi κατὰ μῆτον scriberet: à quo adhuc nulla litera est. uereor ne nihil habuerit, quod mihi, cum cognossem, iucundum putaret fore. Quòd ad Xenonem scripsisti, ualde mihi gratum est: nihil enim deesse Ciceroni tum ad officiũ, tum ad existimationem meam pertinet. Flammam Flaminium audio Romæ esse. ad eum scripsi, me tibi mandasse per literas, ut de Montani negotio cũ eo loquerere. & uelim cures epistolam, quam ad eum misi, reddendam, & ipse (quod cõmodo tuo fiat) cum eo colloquare. puto, si quid in homine pudoris est, præstaturum eum, ne pro se quodammodo dependatur. De Attica pergratum mihi feceris, quòd curaris ante scirem recte esse, quàm non belle fuisse. In Pompeianum ueni V. Cal. Maij, cum pridie (ut antea ad te scripsi) Piliã in Cumano collocauissem. ibi mihi cœnãti literæ tuæ sunt redditæ quas dederas Demetrio liberto prid. Cal. in quibus multa sapienter, sed tamen talia (quemadmodum tute scribebas) ut omne consilium in fortuna positũ uideretur. itaque his de rebus ex tempore, & corãm. De Bulbrotio negotio utinam quidem Antonium conueniam: multum profecto proficiam. sed non arbitrantur eum à Capua declinaturum. quò quidem metuo ne magno Reip. malo uenerit: quod idem L. Cæsari uidebatur, quem pridie Neapoli affectum grauiter uideram. Quam ob rẽ ista nobis ad Cal. Iun. tractanda, & perficienda sunt. Sed

hactenus. Quintus filius ad patrem acerbissimas literas misit: quæ sunt ei redditæ, cum uenissemus in Pompeianum: quarum tamen erat caput, Aquiliam nouercam non esse laturum. Sed hoc tolerabile fortasse, illud uero se ab Cæsare habuisse omnia, nihil à patre, reliqua sperare ab Antonio. O perditum hominem. sed μελλησα. Ad Brutum nostrum, & Cassium, & ad Dolabellam epistolas scripsi. earum exemplaria tibi misi, non ut deliberarem reddendæne essent (planè enim iudico esse reddendas) sed quòd non dubito quin tu idem existimaturus sis. Cicæroni meo mi Atticæ suppeditabis quantum uidebitur, méque tibi hoc onus imponere patiere. quæ adhuc fecisti, mihi sunt gratissima. Librum meum illũ αὐτόσχεδιον, nondum ut uolui perpolitum. ista uero quæ tu contexuisti, aliud quoddam separatum uolumen expectant. Ego autem (credis mihi uelim) minore periculo existimo contra illas nefarias partes uiuo tyranno dici potuisse, quàm mortuo. ille enim nescio quo pacto ferebat me quidem mirabiliter: nunc quæcunque nos commouimus, ad Cæsaris non modo acta, uerum etiam cogitata reuocamur. De Montano, quoniam Flamma uenit, uidebis. puto rem meliore loco esse debere. Vale.

Ciæro Dolabellæ Cos. suo, S.

ETSI contentus eram mi Dolabella tua gloria, satisque ex ea magnam lætitiam, uoluptatémque capiebam: tamen non possum non cõfiteri cumulari me maximo gaudio, quòd uulgo hominum opinio socium me ascribat tuis laudibus. neminem conueni (conuenio autem quotidie plurimos: sunt enim permulti optimi uiri, qui ualetu-

dinis causa in hæc loca ueniunt, præterea ex municipijs frequẽtes necessarij mei) quin omnes, cũ te summis laudibus ad cælum extulerunt, mihi cõtinuo maximas gratias agunt. negant enim se dubitare, quin tu meis præceptis, & consilijs obtemperans, præstantissimum te ciuem, & singularem Cõsulem præbeas. quibus ego quanquam uerissime possim respondere te, quæ facias, & tuo iudicio, & tua sponte facere, nec cuiusquã egere consilio: tamen neque planè assentior, ne immanuam tuam laudem, si omnis à meis consilijs profecta uideatur: neque ualde nego: sum enim audior, etiam quàm satis est, gloriæ. & tamen non alienum est dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni Regi Regum fuit honestum, habere aliquem in consilijs capiendis Nestorem: mihi uero glorioſum, te iuuenem Cõsulem florere laudibus quasi alumnum disciplinæ meæ. L. quidem Cæsar, cum ad eum ægrotum Neapolim uenissem, quanquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen ante quàm me planè salutauit, O mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cum tantum uales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis filium ualerem, iam salui esse possemus. Dolabellæ uero tuo & gratulor, & gratias ago, quem quidem post te Consulem, solum possum uere Consulem dicere. Deinde multa de facto, ac de re gesta: tum nihil magnificentius, nihil præclarius actum unquã, nihil Reip. salutarius. Atque hæc una uox omnium est. A te autem peto, ut me hanc quasi falsam hereditatẽ alienæ gloriæ sinas cernere, néque aliqua ex parte in societatem tuarum laudum uenire patiare. quanquam mi Dolabella (hæc enim iocatus sum) libentius omneis meas, si modo sunt aliquæ meæ laudes, ad te

transfuderim, quàm aliquam partem exhauserim ex tuis: nam cum te semper tantum dilexerim, quantum tu mælligere potuisti, tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. nihil est enim (mihi crede) uirtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. semper amaui, ut scis, M. Brutum propter eius summum ingenium, suauissimos mores, singularem probitatem, atque constantiam: tamen Idibus Martij tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augendi in eo, quod mihi iam pridem cumulatum etiam uidebatur. Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, ut mihi nunc denique amare uidear, antea dilexisse. Quare quid est quod ego te horter, ut dignitati, & gloriæ seruias? proponam tibi claros uiros, quod facere solent qui hortantur? neminem habeo clariorem, quàm teipsum: te imitere oportet, tecum ipse certes. nec licet quidem tibi iam tantis rebus gestis non tui similem esse. Quod cum ita sit, hortatio non est necessaria: gratulatione magis utendum est. contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa seueritas animaduersionis nõ modo non inuidiosa, sed etiam popularis esset, & cum bonis omnibus, tum infimo cuiq; gratissima. Hoc si tibi fortuna quadã contigisset, gratularer felicitati tuæ: sed contigit magnitudine animi, tum etiam ingenij, atque consilij. legi enim concionem tuam: nihil illa sapientius: ita pedetentim tum accessus à te ad causam facti, tum recessus, ut res ipsa maturitatem tibi animaduertendi omnium consensu daret. Liberasti igitur eq. urbem periculo, & ciuitatem metu: neque solum ad tẽpus maximam utilitatem

attuliſti, ſed etiam ad exemplum. quo facto intelligere debes, in te poſitam eſſe Remp. tibíque non modo tuendos, ſed etiam ornandos illos uiros, à quibus initiũ libertatis profectũ eſt. Sed hȝ de rebus coràm plura prope diẽ, ut ſpero. Tu quoniam Rẽp. nóſque conſeruas, fac ut diligẽtiſſime teipſum mi Dolabella cuſtodias. Vale.

CICERO ATTICO S.

SAEPIVS me iam agitas, quòd rem geſtam Dolabellæ nimis in cælum uidear efferre. Ego autem, quanquam ſanè probo factum, tamen ut tantopere laudarẽ, adductus ſum tuis & unis, & alteris literis. ſed totum ſe à te abalienauit Dolabella, ea de cauſa qua me quoque ſibi inimiciſſimum reddidit. O hominem pudentem. Cal. Ian. debuit: adhuc non ſoluit, præſertim cum ſe maximo ære alieno Faberij manu liberarit, & opem ab eo petierit. licet enim iocari, ne me ualde conturbatum putes. atque ego ad eum VIII. Id. literas dederam bene mane. eodem autem die tuas literas ueſperi accepẽrã in Põpeiano, ſanè ceteriter, tertio abs te die. Sed, ut ad te eo ipſo die ſcripſerã, ſatis aculeatas ad Dolabellam literas dedi: quæ ſi nihil profecerint, puto fore ut me præſentẽ non ſuſtineat. Albianum te confeciſſe arbitror. De Petuſciano nomine, quòd mihi ſuppeditatus es, gratiſſimũ eſt, & ſimile tuorũ omniũ. Sed ego Erotem ad iſta expediẽda factũ mihi uidebar reliquiſſe: eius nõ ſine magna culpa uacillarunt. Sed cum ipſo uidero. De Montano, ut ſæpe ad te ſcripſi, erit tibi tota res curæ. Seruius proficiſcens, quòd deſperanter tecum locutus eſt, minime miror, neq; ei quicquam in deſperatione concedo. Brutus noſter ſingularis

uir,si in senatum non est Cal.Iun.uēturus, quid factu rus sit in foro,nescio.sed hoc ipse melius.ego ex his quæ parari uideo, non multum Idibus Martijs profectum iudicō. Itaque de Græcia quotidie magis & magis cogito:nec enim Bruto meo exilium,ut scribis ipse,meditanti uideo quid prodesse possim. Leonidæ me literæ nō satis delectarunt. De Herode tibi assentior. Saufeium legisse uellem.

CICERO ATTICO S.

EGO ex Pōpeiana accepi binas à te literas,alteras sexto die,alteras quarto. ad superiores igitur prius. Quàm mihi iucundum opportune tibi Barnachū literas reddidisse.tu uero cum Cassio, ut cætera. quàm cōmode autem,quòd id ipsum,quod me mones,quatriduo ante ad eum scripseram,exemplúmque mearum literarum ad te miseram. sed cum Dolabellæ auaritia(sic enim tu ad me scripseras)magna desperatione affectus essem,ecce tibi & Bruti & tuæ literæ. ille exilium meditari.nos autem alium portum propiorem huic ætati uidebamus:in quem mallem equidem peruehi, florente Bruto nostro,cōstitutáque Rep.sed nunc quidē,ut scribis,non utrum uis:assentires enim mihi,nostram ætatem præsertim à castris ciuilibus abhorrere. M.Antonius ad me tantum de Clodio rescripsit,meam lenitatem,& clementiam & sibi esse gratam,& mihi uoluptati magnæ fore.Sed Pansa furere uidetur de Clodio,itémque de Deiotaro,& loquitur seuere,si uelis credere.Illud tamen non uelle, ut mihi quidem uidetur, quòd factum Dolabellæ uehementer improbat. De cōronatis,cum sororis tuæ filius à patre accusatus esset,

rescripsit, se coronam habuisse honoris Cæsaris causa, posuisse luctus gratia: postremo se libenter uituperationem subire, quòd amaret etiam mortuum Cæsarem.

Ad Dolabellam, quemadmodum tibi dicis placere, scripsi diligenter. ego etiam ad Siccam. tibi hoc oneris non impono. nolo te illũ iratum habere. Seruij orationem cognosco: in qua plus timoris uideo, quàm consilij. sed quoniam perterriti omnes sumus, assentior Seruio. Publilius tecum tricatus est: huc enim Cerelia missa ab istis est legata ad me: cui facile persuasi, mihi id quod rogaret, ne licere quidem, non modo non libere. Antonium si uidero, accurate agam de Buthroto. Venio ad recentiores literas. quanquã de Seruio iam rescripsi me facere magnã πρᾶξιν Dolabellæ. mihi mehercule ita uidetur, nõ potuisse maior tali re, talique tempore. Sed tamen quicquid ei tribuo, tribuo ex tuis literis. tibi uero assentior maiorẽ πρᾶξιν eius fore, si mihi, quod debuit, dissoluerit. Brutus uelim sit Asturæ. Quod autẽ laudas me, quòd nihil antè de profectione constituã, quàm, ista quo euasura sint, uidero: muto sententiam, neque quicquam tamen antè quàm te uidero.

Atticam meã gratias mihi agere de matre gaudeo. cui quidem ego totam uillam, cellámque tradidi, eámque cogitabam V. Id. uidere. Tu Atticæ salutem dices. nos Piliam diligenter tuebimur. Vale.

CICERO ATTICO S.

E POMPEIANO naui aduectus sum in Luculli nostri hospitium VI. Id. hora ferè tertia. egressus autem è naui, accepi tuas literas, quas tuus tabellarius in Cumanum attulisse dicebatur, Nonis Maij datas, à Lucullo

postridie eadem ferè hora, qua ueni VII. Id. Lanuuio datas. Audi igitur ad omnes. primū quæ de re mea gesta & in solutione, & in Albiano negotio grata. de tuo autem, cum in Pōpeiano essem, Missenū uenit Antonius: inde antè discessit, quàm illum uenisse audissem: à quo in Samniū. unde quod speres. Romæ igitur de Buthroto. L. Antonij horribilis concio, Dolabellæ præclara. iam uel sibi habeat numos, modo numeret Idibus. Tertullæ nollē abortum: tam enim Cassij sunt iam, quàm Bruti ferendi. De Regina uelim, atque etiā de Cæsare illo. Per solui primæ epistolæ. uenio ad secundā. De Quintis, Buthroto, cum uenero, ut scribis. Quòd Ciceroni suppeditas, gratū. Quòd errare me putas, qui Rēp. putem pendere è Bruto: sic se res habet. aut nulla erit, aut ab isto, isti sue seruabitur. Quòd me hortaris ut scriptā concionem mittam: accipe à me mi Atticæ κακόζηλον καὶ θεώρημα earū rerum, in quibus satis exercitati sumus. nemo unquam neque poeta, neque orator fuit, qui quenquā meliorē, quàm se arbitraretur. Hoc etiā malis contigit. quid tu Bruto putas & ingenioso, & erudito? de quo etiā experti sumus nuper in edicto. scripserā rogatu tuo. meum mihi placebat, illi suum. quin etiā cum ipsius precib⁹ penè adductus, scripsissem ad eū de optimo genere dicendi, nō modo mihi, sed etiā tibi scripsit, sibi illud, quod mihi placeret, non probari. quare sine quæso sibi quenq; scribere: suā cuiq; spōsam, mihi meā: suū cuique amorem, mihi meū. non scitè: hoc enim Attilius poeta durissimus. atq; utinam liceat isti concionari: cui si esse in Vrbe tuto licebit, uicimus: ducem enim nouu belli ciuilis aut nemo sequetur, aut ij sequentur, qui facile uincantur. Venio ad tertiam. Gratas fuis-

a Buthroto

quod contentio

Præceptum generale

se meas literas Bruto & Cassio gaudeo. itaque ijs scripsi. Quòd Hircũ per me meliorẽ fieri uolũt, do equidem operam: & ille optime loquitur, sed uiuit, habitátque cum Balbo, qui item bene loquitur. quid credas, uideris. Dolabellam ualde placere tibi uideo: mihi quidem egregie. Cum Pansa uixi in Pompeiano. is planè mihi probabat se bene sentire, & cupere pacem. causam armorũ quæri planè uideo. Edictum Bruti & Cassij probo. Quæris ut suscipiam cogitationem, quidnam istis agendum putem. consilia temporum sunt, quæ in horas cõmutari uides. Dolabellæ & prima illa actio, & hæc contra Antonium concio mihi profecisse permultum uidetur. prorsus ibat res. nunc autem uidemur habituri ducem: quod unum municipia, bonique desiderant. Epicuri mentionem facis, & audes dicere μὴ πολιτεύεσθαι. nõ te Bruti nostri uulticulus ab ista oratione deterret? Quintus frater, ut scribis, est dextella. per eũ igitur, quod uolemus, facile auferemus. Expecto, si, ut putas, L. Antonius produxit Octauium, qualis concio fuerit. Hæc scripsi: statim enim Cassij tabellarius. eram continuo Piliam salutaturus: deinde ad epulas Vestorij nauicula. Atticæ plurimam salutem. Vale.

CICERO ATTICO S.

CVM paulo ante dedissem ad te Cassij tabellario literas, V. Id. uenit noster tabellarius, & quidem portenti simile, sine tuis literis. sed cito conieci, Lanuuij te fuisse. Eros autem festinauit ut ad me literæ Dolabellæ perferrentur, non de re mea (nondum enim meas acceperat) sed rescripsit ad eas, quarum exemplum tibi mi-

seram, sanè luculente. ad me autem, cum Cassij tabellarium dimisissem, statim Balbus. O Dij boni, quàm facile perspiceres timere otium. & nosti urum, quàm tectus: sed tamen Antonij consilia narrabat, illum circuire ueteranos, ut acta Cæsaris sancirent, idque se facturos esse iurarēt: ut rata omnes haberent, eáque Duumuiri omnibus mēsibus inspicerent. Quæstus est etiā de sua inuidia, eáque omnis eius oratio fuit, ut amare uideretur Antonium. Quid quæris? nihil sinceri. Mihi autem non est dubium quin res spectet ad castra: acta enim illa res est animo uirili, cōsilio puerili: quis enim hoc non uidit, regni heredē relictum? quid autem absurdius, hoc metuere, alterū in metu non ponere? quin etiam hoc ipso tempore multa ὑποσόλοικα, Pontij Neapolitanum à matre tyrannoctoni possideri. Legendus mihi sæpius est Cato maior ad te missus: amariorem enim me senectus facit: stomachor omnia: sed mihi quidem βιβλίωται. Viderint iuuenes. tu mea curabis, ut curas. Hæc scripsi, seu dictaui, apposita secunda mensa apud Vestorium. postridie apud Hircium cogitabam. equidem πεντέλοιπον, sic hominem traducere ad optimates paro. λῆρος πολύς. nemo est istorum qui otiū non timeat. quare talaria uideamus: quiduis enim potius, quàm castra. Atticæ salutem plurimam uelim dicas. Expecto Octauij concionem, & siquid aliud, maxime autem ecquid Dolabella tinniat, an in meo nomine tabulas nouas fecerit. Vale.

CICERO ATTICO S.

CERTIOR à Pilia factus, mitti ad te Idibus tabellarios, statim hoc nescio quid exaraui. Primum igitur

scire te uolui, me hinc Arpinum XVI. Cal. Iun. eò igitur mittes, siquid erit posthac: quanquã ipse iam, iámque adero: cupio enim antè quàm Romã uenio, ẽdorari diligentius quid futurũ sit: quãquam uereor ne nihil cõiectura aberrem: minime enim obscurum est, quid isti moliantur. meus uero discipulus, qui hodie apud me cœnat, ualde amat illum quem Brutus noster sauciauit: &, si quæris (perspexi enim planè) timent ὑπόθεσιν autem hanc habent, eámque præ se ferunt, uirum clarissimum interfectum, totam Remp. illius meritu perturbatam: irrita fore, quæ ille egisset, simulac desistemus timere. clementiam illi malo fuisse: qua si usus non fuisset, nihil ei tale accidere potuisse. sed mihi autem uenit in mentem, si Pompeius cum exercitu firmo ueniat, quod est ὄλογον, certè fore bellũ. Hæc me species, cogitatióque perturbat: neque enim id, quod tibi tum licuit, nobis nunc licebit: nam apertè lætati sumus. Deinde habent in ore nos ingratos. nullo modo licebit, quod tũ & tibi licuit, & multis. φαινοπροσωπητέον ergo, & ἰτέον in castra? millies mori melius, huic præsertim ætati. Itaque me Idus Martiæ nõ tam cõsolantur, quàm antea: magnum enim mendum continẽt. etsi illi iuuenes ἄλλοις ἐντεθλοῖς τὸν διαποδοῦντα λόγον. sed, si tu melius quippiam speras, quòd & plura audis, & interes cõsilijs, scribas ad me uelim, simúlque cogites quid agendum nobis sit super legatione uotiua. equidẽ in his locis moneor à multis, ne in senatu Calendis: dicuntur enim occultè milites ad eam diem cõparati, & quidem in istos, qui mihi uidentur ubiuis tutius, quàm in senatu fore. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T. POMPONIVM ATTICVM LIBER XV.

CICERO ATTICO S.

FACTVM *male de* Alexione. *incredibile est, quanta me molestia affecerit, nec mehercle ex ea parte maxime, quòd plerique mecum: ad quem igitur medicum te conferes? Quid mihi iam medico: aut, si opus est, tanta inopia est? amorem erga me, humanitatem, suauitatémque desidero. etiam illud, quid est, quod non pertimescendum sit, cum hominem temperantem, summum medicum tantus improuiso morbus oppresserit? Sed ad hæc omnia una consolatio est, quòd ea conditione nati sumus, ut nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus.* De Antonio *iam antea tibi scripsi, non esse eum à me conuentum: uenit enim* Missenum, *cum ego essem in* Pompeiano: *inde antè profectus est, quàm ego eum uenisse cognoui. Sed casu, cum legerem tuas literas,* Hircius *erat apud me in* Puteolano. *ei legi, & ego primum, quod attinet. nihil mihi concedebat. Deinde ad summum, arbitrum me statuebat non modo huius rei, sed totius Consulatus sui. cum* Antonio *autem sic agemus, ut perspiciat, si in eo negotio nobis satisfecerit, totum me futurum suum.* Dolabellam *spero domi esse. Redeamus ad nostros: de quibus tu bonam spem te significas habere*

propter edictorum humanitatem. ego autem perspexi, cum à me XVII Cal. de Puteolano Neapolim Pansæ conueniendi causa proficisceretur Hircius, omnem eius sensum: seduxi enim, & ad pacem cohortatus. non poterat scilicet negare se uelle pacem, sed non minus se nostrorum arma timere, quàm Antonij, & tamen utrosque non sine causa præsidium habere, se autem utraque arma metuere. quid quæris? οὐδὲν ὑγιές. De Quinto F. tibi assentior. patri quidem gratissimæ, & bellæ tuæ literæ fuerunt. Cereliæ uero facile satisfeci. nec ualde laborare mihi uisa est: & si illa, ego certe non laborarem. istam uero, quam tibi molestam scribis esse, auditam à te esse omnino demiror. Nã quòd eam collaudaui apud amicos, audientibus tribus filijs eius, & filiâ, τοῦτο ὄλογον. quid est hoc? quid est autem cur ego personatus ambulem? parúmne fœda persona est ipsius senectutis? Quòd Brutus rogat, ut ante Calendas: ad me quoque scripsit: & fortasse faciam: sed planè, quid uelit nescio. quid enim illi afferre consilij possum, cum ipse egeam consilio, & cum ille suæ immortalitati melius, quàm nostro otio consuluerit? De Regina rumor extinguetur. De Flamma obsecro te, siquid potes. Here dederam ad te literas exiens è Puteolano, diuertérámque in Cumanum. ibi penè ualentem uideram Piliam. quin etiam paulo clàm iis eam & uidi: uenerat enim in funus: cui funeri ego quoque operam dedi. Cn. Lucullus familiaris noster matrem efferebat. manfi igitur eo die in Sinuessano, atque inde mane postridie Arpinum proficiscens hanc epistolam exaraui. erat autem nihil noui quod aut scriberẽ, aut ex te quærerem: niſi fortè hoc ad te putas pertinere.

Brutus, misit ad me orationem suam habitam in con-
cione Capitolina, petiuitque à me, ut eam ne ambitio-
se corrigerem antè quàm ederet. Est autem oratio scri
pta elegantissimè sententijs, uerbis, ut nihil possit ul-
tra. Ego tamen, si illam causam habuissem, scripsissem
ardentius ὑπόθεσιν. uides quæ sit persona dicentis: ita-
que eã corrigere non potui. quo enim in genere Brutus
noster esse uult, & quod iudiciũ habet de optimo ge-
nere dicẽdi, ita cõsecutus est ea oratione, ut elegantius
nihil esse possit. Sed ego solus alius sum, siue hoc re-
cte, siue non recte. Tu tamen uelim orationẽ legas, nisi
forte iam legisti, certiorẽmque me facias quid iudices i-
pse. quanquam uereor, ne cognomine tuo lapsus ὑπερ-
ατττικὸς sis in iudicando. Sed si recordabere Δημοσθέ-
νεις fulmina, tũ intelliges posse & ἀττικώτατα grauis
sime dici. Sed hæc coràm. nunc nec sine epistola, nec cũ
inani epistola uolui ad te Metrodorũ uenire. Vale.

CICERO ATTICO S.

XV Cal. è Sinuessano proficiscens, cum dedissem ad te li
teras, diuertissémque à Cumis in Vestiano, accepi à ta-
bellario tuas literas: in quib⁹ nimis multa de Buthro-
to: non enim tibi ea res maiori curæ aut est, aut erit,
quàm mihi. sic enim decet te mea curare, tua me. Quã
ob rem id quidem sic susceptum est mihi, ut nihil sim
habiturus antiquius. L. Antoniũ concionatum esse,
cognoui tuis literis & alijs, sordide: sed id quale fuerit,
nescio: nihil enim scripsisti. De Menedemo, probe.
Quintus certe ea dictitat quæ scribis. Consiliũ me-
um à te probari, quòd ea non scribam, quæ tu à me
postularis, facile patior: multòque magis id probabis, si

oratione meam, de qua hodie ad te scripsi, legeris.
Quæ de legionibus scribis, ea uera sunt. Sed non satis hoc mihi uideris tibi persuasisse, quid de Buthrotijs nostris per senatum speres confici posse. quod puto (tantum enim uideo) non uidemur esse uicturi. sed, si etiam nos hoc fallat, de Buthroto te non fallet. De Octauij concione idem sentio quod tu: ludorúmq; eius apparatus, & Matius, ac Posthumus mihi procuratores non placent. Saserna collega dignus. sed isti omnes, quemadmodum sentis, non minus otium timent, quàm nos arma. Balbum leuari inuidia per nos uelim: sed ne ipse quidem id fieri posse confidit: itaque alia cogitat. Quòd prima disputatio Tusculana te confirmat, sanè gaudeo: neque enim ullum est perfugium aut melius, aut paratius. Flāma quòd bene loquitur, non molestè fero. Tyndaritanorū causa, de qua laboras, quæ sit ignoro. Hos tamen τελευταίους mouere ista uidentur, in primis erogatio pecuniæ. De Alexione doleo: sed quoniam inciderat in tam grauem morbum, bene actum cum illo arbitror. quos tamen secundos heredes, scire uellem, & diem testamenti. Vale.

CICERO ATTICO S.

VI. Cal. accepi duas epistolas tuas, quibus duabus meis respondisti, una erat XV Cal. altera XII data. ad superiorem igitur. prius accurres in Tusculanum, ut scribis: quò me VI Cal. uenturum arbitrabar. Quòd scribis parēdum uictoribus: non mihi quidem, cui sunt multa potiora: nam illa quæ recordaris Lentulo, & Marcello Coss. acta in æde Apollinis, nec causa eadem est, nec simile tempus, præsertim cum Mar

cellum scribas, aliósque discedere. Erit igitur nobis coràm odorandum, & constituendum tutóne Romæ esse possimus. Noui conuentus habitatores sanè mouent: in magnis enim uersamur angustijs. sed sint ista parui: quin & maiora contemnimus. Caluæ testamentum cognoui, hominis turpis, ac sordidi. Tabula Demonici quòd tibi curæ est, gratũ. De Mario scripsi iã pridem ad Dolabellã accuratissime, modo literæ redditæ sint. eius causa & cupio, & debeo. Venio ad propiorem. Cognoui de Alexione, quæ desiderabam. Hircius est tuus. Antonio, quàm est, uolo peius esse. De Quinto filio, ut scribis, ἄλογος. de patre coràm agemus. Brutum omni re, qua possum, cupio iuuare. cuius de oratiuncula idem te, quod me, sentire uideo. sed parum intelligo quid me uelis scribere, quasi à Bruto habita oratione, cum ille ediderit. Qui tandem conuenit? an sicut in tyrannum iure optimo cæsum multa dicentur, multa scribentur à nobis? sed alio modo, & tempore. De sella Cæsaris, bene Tribuni. præclaros etiã XIIII ordines. Brutum apud me fuisse gaudeo, modo & libẽter fuerit, & sat diu. XVIII Cal. ferè à Q. Fusio uenit tabellarius, nescio quid ab eo literularum, ut me sibi restituerem, sanè insulse, ut solet: nisi forte, quem non ames, omnia uidentur insulsè fieri. Scripsi ita, ut te probaturum existimem. mihi duas à te epistolas reddidit, unam XI, alteram X. Cal. ad reentiorem prius. & lenitorem laudo, si uero etiam Calfulenus, ἄνω ποταμῶν. Antonij consilia narras turbulẽta: atque utinam potius per populum agat, quàm per senatum: quod quidem ita credo. sed mihi totum eius consilium ad bellum spectare

uidetur: siquidem D. Bruto prouincia eripitur. Quomodo ego de illius neruis existimo, non uidetur fieri posse sine bello. sed non cupio, quoniam cauetur Buthrotijs. Rides: ast condoleo non mea potius assiduitate, diligentia, gratia perfici. Quòd scribis te nescire quid nostris faciendum sit: iam pridem me illa ἀπορία solicitat: itaque stulta iam Iduum Martiarum est consolatio. animis enim usi sumus uirilibus, consilijs (mihi crede) puerilibus: excisa enim est arbor, non euulsa. itaque, quàm frutiætur, uides. Redeamus igitur, quoniã sæpe usurpas, ad Tusculanas disputationes. Sauseium petæ, cælemus: ego nunquã indicabo. Quòd te à Bruto scribis, ut ærtior fieret quo die in Tusculanum essem futurus, ut ad te ante scripsi, VI Cal. & quidem ibi te quamprimum peruidere uelim: puto enim nobis Lanuuium eundum, & quidem non sine multo sermone. sed μελήσει. Redeo ad superiorem: ex qua prætereo illa prima de Buthrotijs: quæ mihi sunt inclusa medullis: sit modo (ut scribis) locus agendi. De oratione Bruti prorsus contendis, meámque iterum tam multis uerbis agis. Egóne ut eam causam, quam is scripsit, ego scribam non rogatus ab eo? Nulla παρεγχείρησις fieri potest contumeliosior. At, inquis, ῥᾳδιούργιον aliquod. Non recuso id quidem, sed & componendum argumentum est, & scribẽdi expectandum tempus maturius. licet enim de me, ut libet, existimes: uelim quidem quamoptime: si hæc ita manent, ut uidentur (feres quod dicam) me Idus Martiæ nõ delectant. ille enim nunquam reuertisset, nos timor confirmare eius acta nõ coegisset: aut (ut in Sauseianam, reliquásque Tusculanas disputationes, ad quas tu etiam Vesto-

rium hortaris) ita gratioſi eramus apud illum, quem Dij mortuum perdant, ut noſtræ ætati, quoniam interfecto domino liberi non ſumus, non fuerit dominus ille fugiendus. Rubeo (mihi crede) ſed iam ſcripſeram, delere nolui. De Menedemo, uellem uerum fuiſſet.

De Regina uelim uerum ſit. Cætera coràm, & maxime quid noſtris faciendum ſit, quid etiam nobis, ſi Antonius militibus obſeſſurus eſt ſenatum. Hanc epiſtolam ſi illius tabellario dediſſem, ueritus ſum ne ſolueret: itaque miſi dedita opera: erat enim reſcribendum tuis. Quàm uellem Bruto ſtudium tuum nauare potuiſſes. ego igitur ad eum literas. Ad Dolabellam Tironem miſi cum mandatis, & literis. eũ ad te uocabis, & ſiquid habebis quod placeat, ſcribes. Ecce autem de tranſuerſo L. Cæſar, ut ueniam ad ſe, rogat, in nemus: aut ſcribam, quò ſe uenire uelim: Bruto enim placere, ſe à me conueniri. O rem odioſam, & inexplicabilẽ. Puto me ergo iturum, & inde Romam, niſi quid mutaro. Sũmatim adhuc ad te: nihil dum enim à Balbo. Tuas igitur expecto, nec actorũ ſolum, ſed etiam futurorum.

CICERO ATTICO S.

A BRVTO tabellarius rediit: attulit & ab eo, & Caſſio, Conſilium meum magnopere exquirunt, Brutus quidem utrum de duobus. O rem miſeram. planè nõ habeo quid ſcribam: itaque ſilentio puto me uſurum, niſi quid aliud tibi uidetur. ſin tibi quid uenit in mẽtem, ſcribe quæſo. Caſſius uero uehementer orat, ac petit, ut Hircium quamoptimum faciam. ſanum putas? ὁ θησαυρὸς ἄνθρωπος. Epiſtolam tibi miſi, ut tu de

prouincia Bruti, & Cassij per S.C. ita scribit & Balbus, & Hircius quidem se acturum: etenim iam in Tusculano est, mihique, ut absim, uehementer auctor est: ille quidem periculi causa, quod sibi etiam fuisse dicit. Ego autem, etiam ut nullum periculum sit, tantum abest ut Antonij suspicionem fugere non curem, ne uidear eius secundis rebus non delectari, ut mihi causa sit cur Romam uenire nolim, ne illum uideam. Varro autem noster ad me epistolam misit, sibi à nescio quo missam (nomen enim delerat) in qua scriptum erat, ueteranos eos qui reijciantur (nam partem esse dimissam) improbissime loqui, ut magno periculo Romæ sint futuri qui ab eorum partibus dissentire uideantur. Quis porrò noster itus, reditus, uultus, incessus inter istos? quòd si, ut scribit, L. Antonius in Decimum, reliqui in nostros: ego quid faciam? aut quo me pacto geram? Mihi uero deliberatum est, ut nunc quidem est, abesse ex ea urbe, in qua non modo florui cum summa, uerùetiam seruiui cum aliqua dignitate: nec tam statui ex Italia exire, de quo tecum deliberabo, quàm istuc non uenire.

Cum ad me Brutus noster scripsisset, & Cassius, ut Hircium, quem adhuc bonum fuisse sciebant, neq; confidebant fore, mea auctoritate meliorem facere (Antonio est enim fortasse iratior, causæ uero amicissimus) tamen ad eum scripsi, eique dignitatem Bruti & Cassij commendaui. Ille quid mihi rescripsisset, scire te uolui: si forte idem tu quod ego, existimares, istos etiam nunc uereri, ne forte ipsi nostri plus animi habeant, quàm habent.

Hircius Ciceroni suo S.

Rure an redierim, quæris: an ego, cum omnes caleãt

ignauiter aliquid faciam. etiã ex Vrbe sum profectus: utilius enim statui abesse. has tibi literas exiẽs in Tusculanum scripsi. Noli autem me tam strenuum putare, ut ad Nonas recurram: nihil enim iam uideo opus esse nostra cura, quoniam præsidia sunt in tot annos prouisa. Brutus & Cassius utinam quàm facile à te de me impetrare possunt, ita per te exorentur, nequod callidius meant cõsiliũ: cedent enim hæc ais scripsisse: quò? aut quare? Retine, obsecro te, Cicero illos: noli sinere hæc omnia perire, quæ funditus medius fidius rapinis, incendijs, cædibus peruertuntur. tãtum siquid timent, caueant, nihil præterea moliantur. non medius fidius acerrimis cõsilijs plus quàm etiam inertissimis, dum modo diligentibus, cõsequentur: hæc enim quæ fluũt, per se diuturna non sunt: in cõtentione præsentes ad nocẽdum habent uires. Quid speres de illis, in Tusculanum ad me scribe. Habes Hircij epistolam, cui rescripsi, nil illos callidius cogitare, idq; confirmaui. hoc, qualecunq; esset, te scire uolui. Obsignata iam epistola Balbus ad me, Seruiliã rediisse, confirmare non discessuros. nunc expecto à te literas.

GRATVM, quòd mihi epistolas: quæ quidem me delectarunt, in primis Sexti nostri. Dies, Quia te laudat. Puto mehercule id quoque esse causæ: sed tamen etiam antè quàm ad eũ locum ueni, ualde mihi placebat cui sensus eius de Re, tum scribẽdi cura. Seruius uero pacificator cum librariolo suo uidetur obiisse legationem, & omneis captiunculas pertimescere. Debuerat autem non ex iure manu consertum, sed quæ sequuntur. tu quoque scribes. Post tuum discessum binas à Balbo: nihil noui: itémq; ab Hircio, qui se scribit uehementer

offensum esse ueteranis. Expectat animus, quidnam agant de Cal. Martijs. Misi igitur Tironem, & cum Tirone plures, quibus singulis, ut quid accidisset, dares literas. atque etiam scripsi ad Antonium de legatione, ne, si ad Dolabellã solum scripsissem, iracundus homo commoueretur. Quòd autem aditus ad eũ difficilior esse dicitur, scripsi ad Eutrapelum, ut is ei meas literas redderet, legatione mihi opus esse. honestior est uotiua: sed licet uti utraque. De te quæso etiam atque etiã uide. uelim possis coràm: si minus possis, literis idẽ consequémur. Græcius ad me scripsit C. Cassium sibi scripsisse, homines comparari, qui armati in Tusculanum mitterentur. id quidem mihi uidebatur, sed cauẽdum tamen (ut ille) quæ plures uident. debet aliquid crastinus ad cogitandum nobis dare. IIII Non. uesperi à Balbo redditæ mihi literæ, fore Nonis senatũ, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentũ emendum, & ad Vrbem mittendum curarent. O rem miseram: primum ullam ab istis: deinde, si aliquam, hanc legatariam prouinciam: atque haud scio an melius sit, quàm ad Eurotam sedere. Sed hæc casus gubernabit. Ait autem eodem tempore decretum iri, ut & ijs, & reliquis prætorijs prouinciæ decernãtur. Hoc certe melius, quàm illa Persicæ porticus: nolo enim Lacedæmonem longinquam Lanuuium existimaris. Rides, inquies, in talibus rebus? Quid faciam? plorãdo fessus sum.

Dij immortales, quàm me cõturbatum tenuit epistolæ tuæ prior pagina. Quid autẽ iste in domo tua casus armorum? Sed hunc quidem nimbum cito transijsse lætor. Tu quid egeris tua cũ tristi, tum etiã difficili ad consiliandũ legatione, uehemẽter expecto: est enim

inexplicabilis: ita circunsidemur copijs omnibus. Me quidem Bruti literæ, quas ostendis à te lectas, ita perturbarunt, ut quanquam ante egebam consilio, tamen animi dolore sim tardior. Sed plura, cum ista cognoro. Hoc autem tempore quod scriberem, nihil erat, eóque minus, quòd dubitabã, tu has ipsas literas esséne accepturus. erat enim incertum, uisurúsne te esset tabellarius. Ego tuas literas uehementer expecto. ò Bruti amanter scriptas, ò iniquum tuum tempus, qui ad eum ire non possis. Ego autem quid scribam? ut beneficio istorum utantur? quid turpius? ut moliantur aliquid? nec audent, nec iam possunt. Age, quiescant auctoribus, nobis? quis incolumitatem præstat? si uero aliquid de Decimo gratius: quæ nostris uita, etiam si nemo molestus sit? ludos uero non facere quid fœdius? frumentum imponere, quæ est alia Dionis legatio? aut quod munus in Repub. sordidius? prorsus quidem consilia tali in re ne ijs quidem tuta sunt, qui dant. sed possim id negligere proficiens. Frustra uero quid ingrediar? matris consilio cum utatur, uel etiam precibus, quid me interponam? sed tamen cogitabo quo genere utar literarum: nam silere non possum. statim igitur mittam uel Antium, uel Circæos. Vale.

CICERO ATTICO S.

ANTIVM ueni ante VI. Cal. Bruto iucundus noster aduentus. deinde multis audientibus, Seruilia, Tertulla, Porcia quærere quid placeret. aderat etiam Fauonius. Ego quod eram meditatus in uia, suadere ut uteretur Asiatica curatione frumenti, nihil esse iam reliqui quod ageremus, nisi ut saluos esse: in eo etiam ipsi

Reip. esse præsidiũ. quam orationem cum ingressus essem, Cassius interuenit. ego eadẽ illa repetiui. hoc loco fortibus sane oculis Cassius, Martem spirare dicæres, se in Siciliam non iturũ. Egóne ut beneficium accepisse in contumelia? Quid ergo agis, inquã? At ille, in Achaiam se iturũ. Quid tu, inquam, Brute? Romam, inquit, si tibi uidetur. Mihi uero minime. tuto enim non eris. Quid si possem esse? placæretne? Atque ut omnino neque nunc, neque ex Prætura in prouinciã ires. Sed auctor nõ sum ut te Vrbi committas. diœbam ea quæ tibi profecto in mentem ueniũt, cur non esset tutus futurus. Multo inde sermone querebantur: atque id quidem Cassius maxime, amissas occasiones: Decimúmq; grauiter accusabat. Ea negabam oportere præterita. assentiebar tamen: quanquam ingressus essem dicere quid oportuisset: nec uero quicquam noui, sed ea quæ quotidie omnes: nec tamen illũ locum attingere, quenquam præterea oportuisse tangi, sed Senatum uocari, populum ardentẽ studio uehementius incitari, totam suscipere Remp. exclamat tua familiaris. Hoc uero neminem unquã audiui. ego repressi. Sed & Cassius mihi uidebatur iturus (etenim Seruilia polliciebatur se curaturũ, ut illa frumenti curatio de S. C. tolleretur) & noster cito deiectus est de illo mani sermone. uelle enim se dixerat. Constituit igitur, ut ludi absente se fierẽt suo nomine. proficisci autem mihi in Asiam uidebantur ab Antio uelle, multa, nihil ne in illo itinere præter conscientiã delectauit. non enim fuit committendum ut ille ex Italia prius, quàm à me conuentus esset, discederet. Hoc dẽpto munere amoris atque officij, sequebatur, ut mecũ ipse, ὃ δὲ ῥ ὁδός, σοι τί δύνατα νῦν θεοπρεπὲς; prorsus dissolutum

offendi nauigium, uel potius dissipatum. nihil consilio, nihil ratione, nihil ordine. Itaq; etsi ne antea quidem dubitaui, tamen nunc eo minus euolare hinc, idq; quà primum, ubi nec Pelopidarũ facta, neque famam audiã. Sed heus tu, ne forte sis nescius, Dolabella me sibi legauit ad IIII. Non. Apr. id mihi heri uesperi nũtiatum est. uotiua ne tibi quidem placebat: etenim erat absurdum, quæ si stetisset Resp. uouissem, ea me euersa illa uota dissoluere. & habẽt, opinor, liberæ legationes difficilem tẽpus lege Iulia, nec facile addi potest: idq; adeo genus legationis, ut cum uelis introire, exire licèat. quod nunc mihi additũ est. Bella est autem huius iuris quinquennij licẽtia, quanquã quid de quinquẽnio cogitem? contrahi mihi negotium uidetur. sed βλάσφημα mittamus. Bene mehercule de Buthroto. at ego Tironem ad Dolabellam cum literis, quia iusseras, miseram. quid nocet? De nostris autem Antiatibus satis uidebar planè scripsisse, ut non dubitares, essent quin otiosi futuri, usurique beneficio Antonij cõtumelioso. Cassius frumentariã rem aspernabatur. eam Seruilia sublaturam ex S.C. se esse dicebat. Noster uero, καὶ μάλα σιμνὸς, in Asiã postea quàm mihi est assensus tuto se Romæ esse non posse: ludos enim absens facere malebat: statim autem se iturum, simulac ludorum apparatum ijs qui curaturi essent, tradidisset. nauigia colligebat. erat animus in cursu. Interea in eisdem locis erant futuri. Brutus quidem se aiebat Asturæ. L. quidem Antonius liberaliter literis sine cura me esse iubet. Habeo unum beneficiũ, alterũ forte. si in Tusculanum uenerit. ò negotia non ferenda, quæ ferũtur tamẽ. τὰν δ' αὐτίαν τῶν βρᾳτων τὶς ἄρχιν. Octauiano, ut perspexi, satis ingenij, satis animi:

uidebatúrque erga nostros ἥρωας ita fore, ut nos uellemus, animatus. Sed quid ætati credendum sit, quid nomini, quid hereditati, quid κατηχήσει, magni consilij est. uitricus quidem nihil cœnsebat: quem Asturæ uidimus: sed tamen alendus est: & ut nihil aliud, ab Antonio seiungendus. Marcellus præclare, si præcipit nostro, nostri: cui quidē ille deditus mihi uidebatur. Pansæ autem & Hircio non nimis credebat. bona indoles ἐὰν διαμένῃ.

CICERO ATTICO S.

VIII. Cal. duas à te accepi epistolas. respondebo igitur priori prius. Assentior tibi ut nec duces simus, nec agmen cogamus, faueamus tamen. Orationem tibi misi. eius custodiendæ, & proferendæ arbitrium tuum. sed quando illum diem, cum tu edendam putes? Inducias quas scribis, non intelligo fieri posse. melior est ἀντιφώνησις: qua me usurum arbitror. Quòd scribis legiones duas Brunduſiū uenisse: uos omnia prius: scribes igitur quicquid audieris. Varronis διάλογον expectoriam probo ἥρωικώτερον, præsertim cum tu tantopere delectere. sed quale uelis, uelim scire. Quòd ad te antea atque adeo prius scripsi (sic enim mauis ad scribendum tibi uere dicere) feciſti me acriorem. Ad tuum iudicium, quod mihi erat notum, addidiſti Peducæi auctoritatem, magnam quidem apud me, & in primis grauē. Enitar igitur ne desideres aut industriam meam, aut diligentiam. Vectenum ut scribis, & Faberium foueo. Clodiū nihil, arbitror malitioſe. quanquam quid egerit de libertate retinēda, qua certe nihil est dulcius, tibi assentior. Itáne? Gallo animo homi-

nem nequam? quid enim dicam aliud? Cautum Marcellum, me sic, sed non tamen cautissimum. Longiori epistolæ, superioríque respondi: nunc breuiori, propioríque quid respondeam nisi eam fuisse dulcissimam? Res Hispanienses ualde honæ. modo Balbilium incolumem uideam, subsidium nostræ senectutis. De Anniano item, quòd me ualde obseruat Visellia. sed hæc quidem humana. De Bruto te nihil scire dicis: sed Selicia uenisse M. Scaptium, eúmque non qua pompa, ad se tamen clàm uenturum, sciturúmque me omnia, quæ ego statim. Interea narrat eadẽ, Bassi seruum uenisse, qui nuntiaret legiones Alexandrinas in armis esse, Bassum arcessi, Cassium expectari. Quid quæris? uidetur Resp. ius suum recuperatura. sed ne quid ante. nosti horũ exercitationem in latrocinio, & amentiam. Dolabella uir optimus. etsi, cum scribebã secunda mensa apposita, uenisse eum ad Baias audiebam: tamen ad me ex Formiano scripsit, quas literas, cum è balineo exüssem, accepi, sese de attributione omnia summa feciſſe. Vectenum accusat. tricatur scilicet, ut homo talis: sed ait totum negotium Sestium nostrũ susæpisse, optimum quidem illum uirum, nostríque amantissimum. Quæro autem, quid tandem Sestius in hac re facere possit, quod non quis nostrum? sed, siquid præter spem erit, facies ut sciam. sin est (ut arbitror) negotium perditum, scribes tamen, neque ista res cõmouebit. Nos hic φιλοσοφήμενα: quid enim aliud? & τὰ περὶ τὸ καθήκοντος magnifice explicamus, προσφωνεμέν'que Ciceroni: qua de re enim potius pater filio? deinde alia. quid quæris? extabit opera peregrinationis huius. Varronem hodie, aut cras uenturum putabant. ego autem in Pom-

sed si

& Cneo

trigatur

quiuis

& De Officijs

peianum properabam, non quo hoc loco quicquam pulchrius, sed interpellatores illic minus molesti. Sed perscribe quæso, quæ causa sit Myrtilo. pœnas quidem illum pependisse audiui. & satisne patet, unde corruptus? Hæc cum scriberem, tantum quod existimabam ad te orationem esse perlatam, hui, quàm timeo quid existimes. etsi quid ad me, quæ non sit foras proditura, nisi Repub. recuperata? de quo quid sperem, non audeo scribere. VI. Calend. accepi à Dolabella literas, quarum exemplum tibi misi, in quibus erat, omnia se fecisse, quæ tu uelles. statim ei rescripsi, & multis uerbis gratias egi. Sed tamen ne miraretur, cur idem iterum facerem, hoc causæ sumpsi, quòd ex te ipso coràm antea nihil potuissem cognoscere. Sed quid multa? literas hoc exemplo dedi,

Cicero Dolabellæ Cos. suo S.

Antea cũ per literas Attici nostri de tua summa liberalitate, summóq; erga se beneficio certior factus essem, cúmque tu ipse etiã ad me scripsisses, te fecisse ea quæ nos uoluissemus: egi tibi gratias per literas ijs uerbis, ut intelligeres, nihil te mihi gratius facere potuisse. Posteà uero quàm ipse Atticus ad me uenit in Tusculanũ huius unius rei causa, tibi, ut apud me gratias ageret, cuius eximiam quandam, & admirabilem in causa Buthrotia uolũtatem & singularem erga se amorem perspexisset: teneri non potui quin tibi apertius illud idem his literis declararem. ex omnibus enim mi Dolabella studijs in me, & officijs, quæ summa sunt, hoc scito mihi & amplissimum uideri & gratissimum esse, quòd perfeceris ut Atticus intelligeret quantum ego te, quan-

tum tu me amares. Quod reliquum est, Buthrotiã & causam, & ciuitatem, quanquam à te constituta est (beneficia autem nostra tueri solemus) tamen uelim receptam in fidem tuam, à méq; etiam tibi commendatam, auctoritate, & auxilio tuo tectam uelis esse. Satis erit in perpetuum Buthrotijs præsidij: magnáque cura, & solicitudine Atticum, & me liberaris, si hoc honoris mei causa suscœperis, ut eos semper à te defensos uelis. quod ut facias, te uehementer etiã atque etiam rogo.

His literis scriptis, me ad συντάξεις dedi: quæ quidẽ uereor, ne miniata cærula tua pluribus locis notandæ sint: ita sum μετέωρος, & magnis cogitationibus impeditus. L. Antonio male sit, siquidem Buthrotijs molestus est. Ego testimonium composui: quod cum uoles, obsignabo. Tu numos Arpinatum, si L. Fadius AEdilis petet, uel omnis reddito. Ego ad te alia epistola scripsi de HS C X, quæ Statio curarentur. Si ergo petet Fadius, ei uolo reddi: præter Fadium, nemini. apud me item puto depositum. id scripsi ad Erotem, ut redderet. Reginam odi. me iure facere scit. Sponsor promissorum eius Ammonius, quæ quidẽ erãt φιλόλογα, & dignitatis meæ, ut uel in concione dicere auderẽ. Saram autem præterquam quòd nefariũ hominem cognoui, præterea in me contumacẽ. Semel eum omnino domi meæ uidi. cum φιλοφρόνως ex eo quærerẽ quid opus esset: Atticum se dixit quærere. Superbiã autem ipsius Reginæ, cũ esset trans Tyberim in hortis, cõmemorare sine magno dolore non possum. Nihil igitur cum istis. nec tam animũ me, quàm stomachum non habere arbitrantur. Profectionem meam, ut uideo Erotis dispensatio impedit: nam cum ex reliquis, quæ Nonis April. fecit, abunda-

re debeam, cogor mutuari: quódque ex istis fructuosis rebus receptum est, id ego ad illud fanum sepositum putabam. Sed hæc Tironi mãdaui, quem ob eam causam Romam misi. te nolui impeditum impedire. Cicero noster quo modestior est, eo me magis commouet: ad me enim de hac re nihil scripsit, ad quem nimirum potissimum debuit. Scripsit hoc autem ad Tironem, sibi post Cal. Apr. (sic enim annuum tempus confici) nihil datum esse: tibi pro tua natura semper placuisse, téque existimasse id etiam ad dignitatem meam pertinere, eum non modo liberaliter à nobis, sed etiam ornate, cumulatéq; tractari. Quare uelim cures (nec tibi essem molestus, si per alium hoc agere possem) ut permutetur Athenas, quod sit in annuum sumptum: & scilicet Eros eí numerabit. eius rei causa Tironem misi. Curabis igitur, & ad me, siquid tibi de eo uidebitur, scribes.

CICERO ATTICO S.

TANDEM à Cicerone tabellarius: & mehercule literæ πεπινωμένως scriptæ, quòd ipsum προοπτὴν aliquá significaret. itémque cæteri præclara scribunt. Leonides tamen retinet suum illud ADHVC. Summis uero laudibus Erotes. Quid quæris? uel uerba mihi dari facile patior in hoc, méque libenter præbeo credulum. Tu uelim, siquid tibi est à tuis scriptũ, quod pertineat ad me, certiorem me facias. Narro tibi, hæc loca uenusta sunt, abdita certe, & siquid scribere uelis, ab arbitris libera. Sed nescio quomodo οἴκοι φίλος. itaque me referunt pedes in Tusculanum: & tamẽ hæc ῥωπογραφία ripulæ uidetur habitura œlerem satietatem. Equidem etiam pluuias metuo, si prognostica nostra uera sunt:

ranæ enim ῥητορίνουσιν. Tu, quæso, fac sciã ubi Brutum nostrum, & quo die uidere possim. Duas accepi postridie Iduum, alteram eo die datam, alterã Idibus. Prius igitur superiori. De Bruto, cum scies. De Consulum ficto timore cognoueram: Sicca enim φιλοσόφως ille quidẽ, sed tumultuosius ad me etiam illam suspicionem pertulit. Quid tu autẽ, τὰ μὲν διδόμενα? nullum enim uerbum à Siregio. non placet. De Pletorio uicino tuo, permoleste tuli quenquam prius audisse, quàm me. De Siro prudenter. L. Antonium per M. fratrem, ut arbitror, facillime deterrebis auctoritate, uel ui: sed nondum acceperas literas: nec cuiquam, nisi L. Fadio AEdili: aliter enim nec cautè, nec iure fieri potest. Quòd scribis tibi deesse HS C, quæ Ciceroni curata sint: uelim ab Erote quæras, ubi, mercès insularũ. Arabioni de Sicio nihil irascor. Ego de itinere, nisi explicato Λ, nihil cogito. Quod idem tibi uideri puto. Habes ad superiorem. nunc audi ad alterã. Tu uero facis, ut omnia, quòd Seruiliæ non desit, id est Bruto. De Regina gaudeo te non laborare, certe etiam tibi probari. Erotis rationes & ex Tirone cognoui, & uocaui ipsum. Gratissimum, quòd polliceris Ciceroni nihil defuturum. De quo mirabilia Messala, qui Lanuuio rediens ab illis uenit ad me. Et mehercule ipsius literæ sic & φιλοσόφως, & κυνικῶς scriptæ, ut eas uel in acroasi audeam legere: quo magis illi indulgendum puto. De Buciliano Sestium puto non moleste ferre. Ego, si Tiro ad me, cogito in Tusculanũ. Tu uero, quicquid erit quod me scire par sit. statim XVII. Cal. abibo. Etsi satis uidebar scripsisse ad te quid mihi opus sit, & quid te facere uellem, si tibi

cõmodum esset: tamen cum profectus essem, & in lacu
naui garem, Tironem statui ad te esse mittendum, ut ijs
negotijs, quæ agerẽtur, intæresset. atque etiã scripsi ad
Dolabellam, me, si ei uideretur, uelle proficisci: petij que
ab eo de mulis uecturæ itineris. Vt in eis, cũ intelligo te
distentissimum esse, quà de Buthrotijs, quà de Bruto, cu-
ius etiã ludorum suorũ curam, etiã administrationem
susp icor ex magna parte ad te pertinere: ut ergo in
eiusmodi re, tribues nobis paulũ operæ: nec enim multũ
opus est. Mihi res ad cædẽ, & eam quidẽ propinquam
spectare uidetur. Vides homines: uides arma. prorsus
non mihi uideor esse tutus. Si tu aliter sentis, uelim ad
me scribas: domi enim manere, si recte possum, multo
malo. Quidnam est quod audendũ amplius de Bu-
throtijs? stetisse enim te frustra scribis. Quid autem se
refert Brutus? Doleo mehercule te tam esse detentum.
quod decem hominibus referẽdum est acceptũ, est illud
quidẽ ἐργῶδες, sed ἀνυστὸν, mihique gratissimum. De
armis, nihil uidi apertius. fugiamus igitur, &, ut ais,
corám. Theophanes quid uelit nescio: scripserat enim
ad me. cui rescripsi ut potui. mihi autem scribit, ueni-
re ad me se uelle, ut & de suis rebus, & quædã quæ
ad me pertinerent. Tuas literas expecto. Vide quæso
nequid tæmere fiat. Statius scripsit ad me, locutum
secum esse Q. Ciceronem ualde asseueranter, se hæc
ferre non posse, certum sibi esse ad Brutum & Cassiũ
trãsire. Hoc enimuero nunc discere aueo. hoc ego quid
sit, interpretari non possum. Potest aliquid iratus An-
tonio? potest gloriam nouam quærere? potest totũ esse
σχεδίασμα: & nimirũ ita est. Sed tamen & ego ue-
reor, & pater cõturbatus est: scit enim quæ ille de hoc

mecum. quædam ἄφατα nolim. Planè, quid uelit ne-
scio. A Dolabella mandata habebo, quæ mihi uide-
tur οὐδέν. Dic mihi, C. Antonius uoluítne fieri Septē-
uir? fuit certè dignus. De Menedemo, est ut scribis.
facies omnia mihi nota. Ego gratias Vecteno: nihil
enim potuit humanius. Dolabellæ mandata sint quæ-
libet, modo aliquid, uel quod Niceæ nitiem. quis enim
hæc, ut scribis ante, ne nunc dubitare quenquam pru-
dētem, quin meus discessus desperationis sit, non lega-
tionis? Quod ais extrema quædam iam homines de
Rep. loqui, & eos quidem uiros bonos: ego, quo die au-
diui illum tyrannum in concione clarissimum uirum
appellari, subdiffidere cœpi: postea uero quàm tecum
Lanuuij uidi nostros tantum spei habere ad uiuēdum,
quàtum accepissent ab Antonio, desperaui. Itaque mi
Attice fortiter hoc uelim accipias ut ego scribo. Genus
* illud interitus, quo casurus est, fœdum duces, & quasi
denuntiatum nobis ab Antonio. Ex hac nassa exire
constitui, non ad fugam, sed ad spē mortis melioris. Hæc
omnis culpa Bruti. Pompeium Cartheiæ receptum
scribis. Iam igitur contra hunc exercitum. Vtra ergo
castra? media enim tollit Antonius. Illa infirma, hæc
nefaria. Properemus igitur. sed iuua me consilio, Brun-
dusióne, an. Puteolis, Brutus quidem subito: sed sapien-
ter πάσχωτι: quando enim illum? sed humana feren-
da. Tu ipse eum uidere non potes. Dij illi mortuo, qui
unquam Buthrotum. Sed acta missa: uideamus quæ
agenda sint. Rationes Erotis, etsi ipsum nondum uidi,
tamen & ex literis eius, & ex eo, quod Tiro cognouit,
propemodum cognitas habeo. Versuram scribis esse fa-
ciēdam mensium quinque, id est ad Cal. Nou. HS CC

in eam diem cadere numos, qui à Quinto debentur. Velim igitur, quoniam Tiro negat tibi placere me eius rei causa Romam uenire (si te ea res nihil offendet) uideas, unde nummi sint, mihi feras expensum. hoc uideo in præsentia opus esse. Reliqua diligentius ex hoc ipso exquirã, in his, de mercedibus dotaliũ prædiorum: quæ si fideliter Ciceroni curabuntur, quanquam uolo laxius, tamen ei propemodũ nihil deerit. Equidem uideo mihi quoque opus esse uiatico: sed id ex prædijs, ut cadet, ita soluetur. Mihi autem opus est uniuerso quidem. Etsi mihi uidetur iste, qui umbras timet, ad cædẽ spectare: tamen, nisi explicata solutione, non sum discessurus. Sitne autem exitata, nécne, tecum cognoscam. Hanc putaui mea manu scribendam: itaque feci de Fadio, ut scribis. utique alij nemini. rescribas uelim hodie. Narro tibi: Quintus pater exultat lætitia: scripsit enim filius, se idcirco profugere ad Brutũ uoluisse, quòd, cum sibi negotium daret Antonius, ut eum Dictatorem efficeret, præsidium occuparet, id recusasset: recusasse autem se, ne patris animum offenderet: ex eo sibi illum hostem. Tũ me, inquit, collegi, uerens nequid mihi ille iratus tibi noceret, itaque eum placaui. & quidẽ CCCC. certa, reliqua in spe. Scribit autem Statius illum cum patre habitare uelle. Hoc uero mirum: & id gaudet. Quem tu illo certiorem nebulonem? ἐπόχὴν uestram de re Cani deliberationis probo. Nihil éram suspicatus de tabulis. ἀπιρόλως restitutam arbitrabar. Quæ differs, ut mecum coràm: expectabo: tabellarios, quoad uoles, tenebis: & enim occupatus. Quòd ad Xenonem, probe. Quòd scribo, cum absoluero. Quinto scripsisti, te ad eum literas.

nemo attulerat. Tiro negat iam tibi placere Brundusium, & quidem dicere aliquid de mulitibus. at ego iam destinaram Hydruntem quidem. Mouebant me tuæ quinque horæ. hic autem quantus πλοῦς. sed uidebimus. Nullas à te XI. Cal. quippe, quid enim iam nouis? cum primum igitur poteris, uenies. Ego propero, ne ante Sextus: quem aduentare aiunt. Gratulor nobis, Quantum filium exüsse. molestus non erit.

Pãsam bene loqui credo: semper enim coniunctum esse cum Hircio scio: amicissimum Bruto, & Cassio puto, si expediet. sed quando illos uidebit? inimicum Antonio, quando, aut cur? quousque ludemur? Ego autem scripsi Sextum aduentare, non quo iam adesset, sed quia certe id ageret, ab armisque nullus discederet. Certe, si pergit, bellum paratum est. Hic autem noster Cicerius, nisi uictorem, neminem uicturum. Quid ad hæc Pansa? utro erit, si bellum erit? quod uidetur fore. Sed & hæc, & alia corám. Hodie quidem (ut scribis) aut cras. Mirificè torqueor, sine dolore tamen: sed permulta mihi de nostro itinere in utranque partem occurrunt. Quousque, inquies? quoad erit integrum: erit autem usque, dum ad nauem. Pansa si rescripserit, & meam tibi, & illius epistolam mittam. Silium expectabã: cui ὑπόμνημα compositum, siquid noui. Ego literas misi ad Brutum: cuius de itinere etiam ex te uelim, siquid scies, cognoscere. Tabellarius, quem ad eum miseram, ex itinere rediit VII. Cal. ei Seruilia dixit, eo die Brutum Puteolis profectum. Sanè dolui meas literas redditas non esse. Silius ad me non uenerat. causam composui. eum libellum tibi misi. Te quo die expectem, uelim scire.

CICERO ATTICO S.

DE MEO itinere uariæ sententiæ: multi enim ad me. sed tu incumbe quæso in eam curam. magna res est. An probas, si ad Cal. Ian. cogitamus? meus animus est æquus, si tamẽ, ut si nihil offensionis sit, & tuus. Etiam scribe, quo die Olympia: cum mysteria scilicet. ut tu scires. Casus consilium nostri itineris iudicabit. dubitemus igitur. hiberna enim nauigatio, odiosa, eóque ex te quæsieram mysteriorum diem. Brutum, ut scribis, uisum iri à me puto. Ego hinc uolo prid. Cal.

CICERO ATTICO S.

DE Quinti negotio uideo à te omnia facta. Ille tamẽ dolet, dubitans utrũ morem gerat Leptæ, an fidem infirmet Silio Mandibili. L. Pisonem uellem exire legatum. Ἀνυπερόφως S. C. uelim scire, quid sit. Tabellarius ille, quem tibi dixerã à me ad Brutũ esse missum in Anagninũ, ad me uenit ea nocte, quæ proxima ante Cal. fuit, litérásq; ad me attulit, in quibus unũ alienũ summa sua prudẽtia, ut spectem ludos suos. Rescripsi scilicet, primũ me iam profectum, ut non integrũ sit: deinde ἀστοιμώτατον esse, me, qui Romam omnino post hæc arma nõ accesserim, neq; id tã periculi mei causa fecerim, quàm dignitatis, subito ad ludos uenire. tali enim tempore ludos facere illi honestum est, cui nõ necesse est spectare: mihi ut non est necesse, sic nec honestũ est. Equidem illos celebrari, & esse quam gratissimos mirabiliter cupio, idque ita futurũ esse confido: & tecum ago, ut iam ab ipsa cõmissione ad me, quemadmodum accipiantur, deinde omnino reliquorũ dies singulos perscribam

quare. Sed de ludis hactenus. Reliqua pars epistolæ: illa nanque in utranque. sed tamen nõnullos interdũ iacit iniculos utriles. Quod quale tibi uideretur, ut possis interpretari, misi ad te exẽplum epistolæ. quanquã mihi tabellarius noster dixerat, tibi quoque se attulisse literas à Bruto, eásq; à Tusculano esse delatas. Ego itinera sic cõposueram, ut Non. Quint. Puteolis essem: ualde enim festino, ita tamen, ut quantũ homo possit, quàm cautissime nauigem. M. AElium cura liberabera. ei sine paucos specus in extremo fundo, & eos quidẽ subterraneos, seruitutis apud Talnæ quid habituros: id me iam iam nolle, neq; mihi quicquã esse tanti: sed (ut mihi dicebas) quam lenissime, potius ut cura liberetur, quàm ut me sucœnsere aliquid suspicetur.

* Idẽ de illo Tulliano. cupide libero. Cum Caselio loquare. Parua res est: sed tu benè attendisti: nimis callide agebatur. Ego autem, si mihi imposuisset aliquid, quod penè fecit, nisi tua malitia affuisset, animo iniquo tulissem. Itaq; ut erit, rem impediri malo. Octauã
* partẽ Tullij luminariũ in ædiũ ad strane memineris.
Cui Cerelia, uideris mancipio dare ad eam summam, quæ sub præcone fuit maxima. id opinor esse CCCLXXX. Noui siquid erit, atque etiã siquid prospicies, quod futurũ putes, scribas ad me quãsæpissime uelim.

Varroni, quemadmodum tibi mandaui, memineris
* excusare tarditatem literarũ mearum: Mũdus istum. M. Ennius quid egerit de testamento, curiosius facias me uelim œrtiorem. Ex Arpinati, VI. Non.

CICERO ATTICO S.

GAVDEO id te mihi suadere, quod ego mea sponte

pridie fecèram: nam cùm ad te VI. Non. darem, eidem tabellario dedi etiam ad Sestium scriptas πάνυ φιλοσόφως. Ille autem, quòd Puteolos prosequitur, humane: quòd queritur, iniustè. non enim ego tam illum expectare, cùm de Cosano rediret, debui: quàm ille autem non ire ante quàm me uidisset, aut citius reuerti. sciebat enim me celeriter uelle proficisci, seséque ad me in Tusculanum scripserat esse uenturum. Te, ut à me discesseris, lacrimasse molestè ferebã. Quod si me præsente fecisses, consiliũ totius itineris fortasse mutassem. Sed illud præclare, quòd te cõsolata est spes breui tempore congrediẽdi: quæ quidem expectatio me maxime sustentat. meæ tibi literæ non deerunt. De Bruto scribã ad omnia. librum tibi celeriter mittam, de gloria. excudam aliquid πραυλότιον, quod lateat in thesauris tuis. De Planco memini. Attica iure queritur. Quòd me de Bacchi, de statuarũ coronis certiorem feceris, ualde gratũ: nec quicquam posthac non modo tantum, sed ne tantulum quidẽ præterieris. Et sed de Herode, & Metio meminero, & de omnibus quæ te uelle suspicor. Modo turpem sororis tuæ filium, cum hæc scriberem. Aduentabat autem βουλύσια cœnantibus nobis. Ego, ut ad te pridie scripserã, Nonis cõstitueram uenire in Tusculanum. Ibo igitur: quotidie tuas literas expectabo, & maxime de ludis: de quibus etiam ad Brutum tibi scribendum est: cuius epistolæ, quam interpretari ipse uix poteram, exemplum pridie tibi miseram. Atticæ meæ uelim me ita excuses, ut omnem culpã in te trãsferas: & ei tamen cõfirmes, me eam minime totũ amorem eò mecum abstuliss̃e. Bruti ad te epistolã miss̃i. Dij boni, quanta ἀμηχανία cognoscès

cum legeris. De celebratione ludorum, tibi assentior. ad M. AElium nullus tu quidem domum: sed si ubi inciderit, de Tulliano semusse, M. Axianum adhibebis, ut scribis. Quod cum Cosiano, egisti optime. Quòd non solum mea, uerum etiam tua expedis, gratum. Legationem probari meam gaudeo. Quod promittis, Dij faxint: quid enim mihi meis iucundius? Sed ista, quam tu excipis, metuo. Brutum cum cōuenero, perscribam omnia. De Planco, & Decumo sanè uelim Sextum scitum abijcere. De Mundo, siquid scies. Rescripsi ad omnia. nunc nostra accipe. Quintus filius usq; Puteolos: mirus ciuis, ut tu Fauonium, Asinium dicas: & quidē duas ob causas, & ut mecum, & κατὰ σχεσιν ualt cum Bruto, & Cassio. Sed tu quid ais? scio enim te familiarem esse Othonum. ait hic sibi Iuliam ferre: cōstitutum enim esse dissidium. quæsiuit ex me pater qualis esset fama. dixi, sanè nihil me audisse: nescibam enim cur quæreret, nisi de ore, & patre. Sed cur tu, inquam? At ille, filium uelle. Tum ego, etsi ἐβδελυττόμην, tamen negaui. putaui illa esse uera: σιωπος hoc est enim huic nostro, nihil præbere. illa autem οὐ παρὰ τοῦτο. Ego tamen suspicor hunc, ut solet, hallucinari. sed uelim quæras: facile autem potes: & me certiorem. Obsecro te, quid est hoc? signata iam epistola, Formiani, qui apud me cœnabant, Planci se aiebant hunc Buthrotium pridie quàm hoc scribebam, id est III. Nonarum uidisse demissum, sine phaleris: seruulos autem dicere, eum, & agripetas eiectos à Buthrotijs. Macte. sed amabo te, perscribe mihi totum negotium. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T. POMPONIVM ATTICVM LIB. XVI.

CICERO ATTICO S.

NONIS Quint. ueni in Puteolanum iens ad Brutum. in Nesi de hæc scripsi. sed eo die quo ueneram, cœnanti Eros tuas literas. Itáne? Nonis Iulijs? meher cule istis. sed stomachari totum diem licet. quicquámne turpius, quàm Bruto nil? Redeo ad meum igitur, ἔλθωμεν. nihil uidi. Sed quid est quæso, quòd agripetas Buthroti concisos audio? Quid autem Plancus tam cursim? ita enim meditabar diem & noctem. Sanè cupio scire quid sit. Meã profectionem laudari gaudeo. Dymæos agro pulsos, mare infestũ habere, nil mirum. uidendum est ut mansio laudetur. ἐν ὁμοπλοίᾳ Bruti uidetur aliquid præsidij esse, sed opinor minuta nauigia. sed iam sciam, & ad te cras.

De Ventidio, παχυπὸν puto. De Sexto, pro certo habebatur, ad arma. quòd si uerum est, sine bello ciuili uideo seruiendum. Quid ergo? Calendis Ianuarij in Pansa spes. λῆρος πολὺς in uno & in somno istorum.

De CCX optime Ciceronis rationes explicentur: Quius enim rec̃enset multa quæ uellem: in his ne hoc quidem malũ, in mandatis sat abunde: HS LXX satis esse, affatim prorsus, sed Xenonem perexigue, & γλίσχρως præbere, minuta tamq; quo plus permutasti, quàm ad fructum insularum: id ille annus habeat, in quem

itineris sumptus accessit. hinc ex Calend. Apr. ad HS LXXX accommodetur: nunc enim insulæ tantum. uidendum enim est, quid cum Romæ erit: non enim pudendum socrum illam ferendam. Pindaro Decumano negaram. Nunc, cuius rei causa tabellarium miserim, accipe. Quintus filius mihi pollicetur se Catonem. ego autem & pater & filius, ut tibi sponderem, sed ita, ut tum crederes, cum ipse cognosses. huic ego literas ipsius arbitratu dabo: eæ te ne mouerint. Has scripsi in eam partem, ne me motum putares. Dij faxint ut faciat ea quæ promittit: commune enim gaudium. sed ego nihil dico amplius. Is hinc VII. Id. ait enim attributionem in Idus. se autem urgeri acriter. Tu ex meis literis, quomodo respondeas, meditabere. plura cum & Brutum audero, & Erotem remittam. Atticæ meæ excusationem accipio, eámque amo plurimum: cui, & Piliæ salutem. Vale.

CICERO ATTICO S.

VI. Id. duas epistolas accepi, unam à meo tabellario, alterâ Bruti. De Buthrotijs longe alia fama in his locis fuerat: sed cum alijs multis hoc ferendum. Erotem remisi citius, quàm constituerã, ut esset cum Hortensio, & quia equitibus quidẽ ait se Idibus constituisse. Hortẽsius uero impudenter: nihil enim debetur ei, nisi ex tertia pẽsione, quæ est Cal. Sext. ex qua pẽsione ipsa maior pars est ei soluta aliquãto ante diẽ. sed hæc Eros uidebit. Idibus de Publilio autẽ quod perscribi oportet, morã non puto esse faciendã. sed cũ uideas quantum de iure nostro decesserimus, qui de residuis CCCC. HS. CC præsentia soluerimus, reliqua per-

scribamus, loqui cum eo (si tibi uidebitur) poteris, eum commodum nostrum expectare debere, cum tanta sit à nobis iactura facta iuris. Sed amabo te mi Attice (uidésne quàm blandè?) omnia nostra, quoad eris Romæ, quàm enim reliqua satis apta sint ad soluendum, tamen fit sæpe, ut ij qui debent, non respondeant ad tempus. siquid eiusmodi acciderit, nequid tibi sit fama mea potius. non modo uersura, uerum etiam uenditione, si ita res coget, nos uindicabis. Bruto tuo literæ gratæ erant: fui enim apud illum multas horas in Neside, cum paulo antè tuas literas accepissem. delectari mihi Tereo uidebatur, & habere maiorem Accio, quàm Antonio gratiã. Mihi autem, quo lætiora sunt, eo plus stomachi, & molestiæ est, populum R. manus suas non in defendenda Rep. sed in plaudendo consumere. mihi quidem uidentur istorum animi inœndi etiam ad repræsentandam improbitatem suam. Sed tamen dũmodo doleãt aliquid, doleant quidlibet. Consiliũ meũ quòd ais quotidie magis laudari, non molestè fero, expectabámque, siquid de eo ad me scriberes: ego enim in uarios sermones incidebam: quin etiam iccirco trahebam, ut quamdiutissime integrum esset. Sed quoniã euro uilla extrudimur, Brundusium cogito: facilior enim & exploratior deuitatio legionum fore uidetur, quàm piratarũ, qui apparere dicuntur. Sestius VI. Id. expectabatur, sed non uenerat quod sciã. Cassius cum classicula sua uenerat. Ego eum eũ uidissem V. Cal. in Pompeianum cogitabam, inde Aculanum. nosti reliqua. De Tutia ita putaram. De C. Metio non credo: nec tamen curo plus, quàm tu. Plãco, &

Oppio scripsi equidem, quoniam rogaras: sed si tibi ui
debitur, ne necesse habueris reddere. cum enim tua cau
sa fecerint omnia, uereor, ne meas literas superuacaneas arbitrentur. Oppio quidem utique: quem tibi amicissimum cognoui: uerum ut uoles tu. Quoniã scribis hiematurum te in Epeiro, feceris mihi gratum, si antẽ eò ueneris, quàm mihi in Italiam te auctore ueniendum est. Literas ad me quamsæpissime, sed de rebus minus necessarijs aliquem nactus. sin autem erit quid maius, domo mittito. Ηραυλάδιον, si Brunduſiũ salui adoriemur. de gloria misi tibi: custodies igitur, ut soles: sed notentur eclogarij, quos Saluius, bonos auditores nactus, in conuiuio duntaxat legat, mihi ualde placent: mallem tibi. Etiam atque etiam uale.

CICERO ATTICO S.

TV VERO sapiẽter: nunc demum enim rescribo ijs literis quas mihi misisti conuento Antonio Tiburi: sapienter igitur, quòd manus dedisti, quódque etiam ultro gratias egisti: certe enim, ut scribis, deseremur ocyus à Rep. quàm à re familiari. Quòd uero scribis te magis delectari Ο ΤΙΤΕ, SI QVID EGO: siquid agis, addis mihi scribẽdi alacritatẽ. Quòd Erotem nõ sine munusculo expectare dicis, gaudeo non fefelliſſe eã rem opinionẽ tuã. Sed tamẽ idem σύνταγμα misi ad te retractatius, & quidẽ ἀρχέτυπον ipsum crebris locis inculcatũ, & refectum. hunc tu tralatum in macrocollum legẽ in arcano conuiuis tuis, sed si me amas, hilaris & bene acceptis, ne in me stomachum erũpant, cum sint tibi irati. De Cicerone, uelim ita sit ut audiuimus. De Xenone oràm cognoscam: quanquã nihil

ab eo arbitror neq; indiligẽter, neq; illiberaliter. De Erote faciam ut mandas, & ea quæ scribis, ex Saufeio, & ex Xenone cognoscã. De Quinto fratre gaudeo tibi meas literas prius à tabellario meo, quàm ab ipso redditas. quanquã te nihil fefellisset. uerũtamen. sed ex pecto quid ille tecum, quid tu uicissim: nec dubito quin suo more uterque. sed eas literas Curiũ mihi spero redditurum: qui quidẽ etsi per se est amabilis, à méque diligitur, tamen accedit magnus cumulus cõmendationis tuæ. Literis tuis satis respõsum est. nunc audi, quod etsi intelligo scribi necesse nõ esse, scribo tamen. Multa me mouẽt in discessu, in primis mehercule, quòd disiungor à te. mouet etiã nauigationis labor, alienus non ab ætate solum nostra, uerũ etiam à dignitate, tempúsque discessus subabsurdũ. relinquémus enim pacem, ut ad bellũ reuertamur: quódque tẽporis in prædiolis nostris & belle ædificatis, & satis amœnis cõsumi potuit, in peregrinatione cõsumimus. consolãtur hæc: aut proderimus aliquid Ciceroni: aut quantũ profici possit, iudicabimus. deinde tu iam, ut spero, & ut promittis, aderis. quod quidẽ si acciderit, omnia nobis erũt meliora. Maxime autẽ me angit ratio reliquorum meorũ, quæ quanquã explicata sunt: tamen quòd & Dolabellæ nomen in his est, & attributio est mihi nominum ignota, cõturbor: nec ulla res magis angit ex omnibus. Itaque non mihi uideor errasse, quòd ad Balbũ scripsi apertius, ut siquid tale accidisset, ut non concurrerent nomina, subueniret: méque tibi etiam mandasse, ut siquid eiusmodi accidisset, cum eo communicares. quod facies, si tibi uidebitur, eóque magis, si proficiscẽris in Epeirũ. Hæc ego conscendens è Pompeiano tribus actuario-

lis decæmscalmis. Brutus erat in Neside etiam nunc, Neapoli Cassius. ecquid amas Deiotarum? & non amas Eram? qui ut Blesamius uenit ad me, cui ei præscriptum esset, nequid sine Sexti nostri sententia ageret, neque ad illum, neque ad quenquam nostrum retulit. Atticam nostram cupio suauiari: ita mihi dulcis salus uisa est per te nussa ab illa. Referes igitur ei plurimũ, itémq; Piliæ dicas uelim, ita ut heri tibi narraui, uel fortasse hodie: Quintus enim altero die se aiebat. In Neside VIII. Id. ibi Brutus. quàm ille doluit de Nonis Iul. mirificæ est conturbatus. itaque sese scripturum aiebat, ut uenationem etiam, quæ postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent. III. Id. Quint. Libo intereuenit. is Philonem Pompeij libertum, & Hilarum suũ uenisse à Sexto cum literis ad Cõsules, siue quo alio nomine sunt: earũ exẽplũ nobis legit, siquid uideretur. pauca παρὰ λέξιν: cæteroqui & satis grauiter, & non contumaciter. tantum addi placuit, quod erat, COSS. solum, ut esset, PRAETT. TRIB. PL. SENATVI, ne illi non proferrẽt eas quæ ad seipsos missæ essent. Sextum autem nuntiauit cum una solum legione fuisse Carthagine, eíque eo ipso die, quo oppidum Boream cepisset, nuntiatum esse de Cæsare. capto oppido, miram lætitiam commutationémque animorum, concursúmque undique. sed illum ad sex legiones, quas in ulteriore reliquisset, reuertisse. Ad ipsum autem Libonem scripsit, nihil esse, nisi ad larem suum liceret. summa postulatorum, ut omnes exercitus dimittantur, qui ubique sint. Hæc ferè de Sexto. De Buthrotijs undique quærẽs nihil reperiebã. alij conciſos agripetas: alij Plancum acceptis numis, relictis illis, au

fugisse. Itaque non uideo sciturum me quid eius sit, ni statim aliquid literarũ. Iter illud Brundusium, de quo dubitabam, sublatum uidetur: legiones enim aduẽtare dicuntur. hæc autem nauigatio habet quasdã suspiciones periculi. itaque constituebam uti ὁμοιοπαθῶς. paratiorem offendi Brutum, quàm audiebam: nam & ipse Domitius bona planè habet dicrota, sintque naues præterea luculenta Sestij, Buciliani, cæterorũ. nam Cassij classem, quæ planè bella est, non numero ultra fretũ. Illud est mihi submolestum, quòd parum Brutus properare uidetur. primũ confectorum ludorũ nũtios expectat. deinde, quantum intelligo, tarde est nauigaturus, consistens in locis pluribus. tamen arbitror esse commodius tarde nauigare, quàm omnino non nauigare: etsi cũ proœsserimus, exploratiora uidebũtur, & tectis utemur. Tuas iam literas Brutus expectabat: cui quidem ego non nouum attuleram de Tereo Accij. Ille Brutum putabat, sed tamen rumoris nescio quid afflauerat, commissione Græcorum frequentiam non fuisse: quæ quidem me minime fefellit: scis enim, quid ego de Græcis ludis existimem. Nunc audi quod pluris est, quàm omnia. Quintus fuit mecum dies complures: &, si ego cuperem, ille uel plures fuisset: sed quantum fuit, incredibile est quàm me in omni genere delectarit, in eóque maxime, in quo minime satisfaciebat: sic enim commutatus est totus & scriptis meis quibusdã, quæ in manibus habebã, & assiduitate orationis, & præceptis, ut tali animo in Rẽp. qualinos uolumus, futurus sit. hoc cũ mihi nõ modo cõfirmasset, sed etiã persuasisset, egit mecũ accurate multis uerbis, tibi ut responderẽ, se dignum & te, & nobis futurum:

neque se postulare ut statim crederes, sed cum ipse perspexisses, tum ut se amares. quòd nisi fidē mihi fecisset, iudicassémque hoc quod dico, firmum fore, non feciſſem id quod dicturus sum: duxi enim meū adolescentem ad Brutum: sic ei probatū est quod ad te scribo, ut ipse crediderit, me sponsorem accipere noluerit, eúmque laudans amicissime mentionem tui fecerit, complexus, oscu latúsq; dimiserit. Quam ob rē etsi magis est, quod gratuler tibi, quàm quod te rogem, tamen etiam rogo, ut si quæ minus antea propter infirmitatem ætatis constanter ab eo fieri uidebātur, ea iudicēs illū abiecisse, mihíque credas, multum allaturā, uel plurimum potius ad illius iudicii confirmandum auctoritatem tuā. Bruto cum sæpe mecissem de ὁμοπλοίᾳ, non permde atque ego putarā, arripere uisus est. existimabā μετιωρότερον esse: & hercule erat, & maxime de ludis. At mihi, cum ad uillā rediissem, Cn. Lucius, qui multum utitur Bruto, narrauit illum ualde morari, non terguersantem, sed expectantem siqui forte casus. Itaque dubito an Venusiam tēdam, & ibi expectem de legionibus: si aberunt, (ut quidam arbitrantur) Hydruntem: si neutrū erit ἀσφαλὲς, eodem reuertar. Iocari me putas? moriar si quisquam me tenet præter te: etenim circunspice: sed ante erubesco. O dies in auspicijs Lepidi descriptos, & aptos ad consilium reditus nostri. Magna ῥοπὴ ad proficiscendum tuis literis. atque utinam te illic. sed ut conducere putabis. Nepotis epistolā expecto. cupidus ille meorum? qui ea, quibus maxime γωρίῳ, legenda nō putet. & ais μετ' ἀμύμονα. tu uero ἀμύμων. ille quidem ἄμβροτος. Mearū epistolarum nulla est συναγωγή. sed habet Tiro instar septuaginta. & quidē sunt à te

quædam ſumendæ. eas ego,oportet,perſpiciam, cõrigam: tum denique edentur.Ego adhuc (peruenì enim Vibonem ad Siccam)magis cõmode quàm ſtrenue nauigaui:remis enim magnã partem.prodromi nulli.Illud ſatis opportune:duo ſinus fuerũt,quos tramitti oportet,Pæſtanus, & Vibonenſis: utrunque pedibus,equis & tranſmiſimus. Veni igitur ad Siccam octauo die è Põpeiano,cum unum diem Veliæ cõſtitiſſem, ubi quidẽ fui ſanè libenter apud Talnam noſtrum,nec potui accipi(illo abſente præſertim)liberalius. IX. Cal.igitur ad Siccam.ibi tanquam domi meæ ſciliçt.itaque obduxi poſterum diẽ.ſed putabam, cum Regium uenìſſem, fore ut illic δολιχὸν πλοῦν ὁρμαίνοντες,cogitaremus cõr bitáne Patras,an actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum, aſt inde Corcyram: & ſi oneraria, ſtatimne freto,an Syracuſis. hæc ſuper re ſcribam ad te Regio.Mehercule mi Attiçe ſæpe mecum ἡ δοῦρ ὁδὸς σοὶ τά δύνατα,cur ego tecum non ſum?cur oœllos Italiæ,illulas meas non uideo?Sed id ſatis,ſupérque,tecum me non eſſe fugientem periculum.nec id nunc quidem(niſi fallor)ullum eſt: ad ipſum enim reuocat me auctoritas tua: ſcribis enim in cælum ferri profectionem meam,ſed ita,ſi ante Cal.Ian. redeam: quod quidem œrtæ enitar: malo enim uel cum timore domi eſſe, quàm ſine timore Athenis tuis.Sed tamen proſpicæ quò iſta uergant:mihíque aut ſcribe, aut (quod multo malim) affer ipſe. hæc hactenus.Illud uelim in bonam partem accipias,me agere tecum, quod tibi maiori curæ ſciam eſſe, quàm ipſi mihi.Nomina mea per Deos expedi,exolue.bella reliqui.ſed opus eſt diligentia, cõheredibus pro Cluuiano Cal. Sext. perſolutum ut ſit.

Cum Publilio quomodo agendum sit, uidebis. nō debet urgere, quoniam iure non utimur: sed tamen ei quoque satisfieri planè uolo. Terentiæ uero quid ego dicam? etiam ante diem, si potes. quin si, ut spero, celeriter in Epeirum, hoc, quod satisdato debeo, peto à te ut antè prouideas, planéque expedias, & solutum relinquas. Sed de his satis, metuóq; ne tu nimium putes. nunc negligentiam meam cognosce. De gloria librum ad te misi: & in eo proœmium id est, quod in Academico tertio. id euenit ob eam rem, quòd habeo uolumē proœmiorum: ex eo eligere soleo, cum aliquid συγγραμμα instituí. Itaque iam in Tusculano, qui non meminissem me abusum isto proœmio, conieci id in eum librum, quem tibi misi. cum autem in naui legerem Academicos, agnoui erratum meum: itaque statim nouum proœmium exaraui, & tibi misi. tu illud desecabis, & hoc agglutinabis. Piliæ salutem dices, & Atticæ, delicijs atque amoribus meis. Vale.

CICERO ATTICO S.

VIII. Id. Sext. cum à Leucopetra profectus (inde enim tramittebam) stadia circiter CCC processissem, reiectus sum austro uehementi ad eandem Leucopetrā. ibi cum uentum expectarem (erat enim mihi Valerij nostri, ut familiariter essem & libenter) Regini quidam illustres homines eo uenerunt Roma, sanè recentes: in ijs Bruti nostri hospes, qui Brutum Neapoli reliquisset. Hæc afferebant: edictum Bruti & Cassij: & fore frequentem senatum Cal. à Bruto, Cassio literas missas ad consulares & prætorios: ut adessent rogare. summam spem nuntiabant, fore ut Antonius

cederet, res conueniret, nostri Romam redirent. addebant etiam, me desiderari, subaccusari. quæ cum audissem, sine ulla dubitatione abieci consiliũ profectionis, quo mehercule ne antea quidem delectabar. lectis uero tuis literis admiratus equidem sum, te tam uehementer sententiam commutasse. sed non sine causa arbitrabar. etsi, quamuis non fueris suasor & impulsor profectionis meæ, approbator certe fuisti, dummodo Calendis Ianuarijs Romæ essem. ita fiebat, ut, dũ minus periculi uideretur, abessem, in flammam ipsam uenirem. Sed hæc etiã si non prudenter, tamen ἀνεμέσητα sunt: primum quòd de mea sententia acta sunt: deinde etiam, si te auctore, quid debet, qui consilium dat, præstare præter fidem? Illud admirari satis nõ potui, quod scripsisti his uerbis: BENE igitur tu, qui οὐθανασίαν bene, relinque patriam. An ego relinquebam? aut tibi tum relinquere uidebar? tu id non modo nõ prohibebas, uerũ etiam approbabas. Grauiora, quæ restãt, VELIM σχόλιον aliquod elimes ad me, oportuisse te istuc facere. itáne mi Attiæ defensione eget meum factum, præsertim apud te, qui id mirabiliter approbasti? ego uero istum ἀπολογισμὸν συντάξομαι, sed ad eorum alium, quibus inuitis, & dissuadẽtibus profectus sum. etsi quid iam opus est σχολίῳ? si perseuerassem, opus fuisset. at hoc ipsum non constanter. nemo doctus unquam (multa autem de hoc genere scripta sunt) mutationem consilij, inconstantiam dixit esse. Demæps igitur hæc, NAM si à Phædro nostro expedita excusatio esset. nunc quid respondemus? ergo id erat meũ factum quod Catoni probare non possim, flagitij scilicet plenum, & dedecoris. Vtinã à primo ita tibi esset

uisum. tu mihi, sicut esse soles, fuisses Cato. Extremum illud uel molestissimum, NAM Brutus noster silet: hoc est non audet hominem id ætatis monere. Aliud nihil habeo quod ex ijs à te uerbis significari putem. & hercule ita est. nam XVI Calen. Sept. cum uenissem Veliam, Brutus audiuit: erat enim cum suis nauibus apud Haletem fluuium citra Veliam millia passuum III. pedibus ad me statim. Dij immortales, quâ ualde ille reditu, uel potius reuersione mea lætatus: effudit illa omnia quæ tacuerat: ut recordarer illud tuum, NAM Brutus noster silet. maxime autem dolebat, me Cal. Sext. in senatu non fuisse. Pisonem ferebat in cælum: se autem lætari, quòd effugissem duas maximas uituperationes, unam, quam itinere faciendo me mtelligebam suscipere desperationis ac relictionis Reip. flentes mecum uulgo querebãtur, quibus de meo cœleri reditu non probabam: alteram de qua Brutus, & qui unà erant (multi autem erant) lætabãtur, quòd eã uituperationem effugissem, me existimari ad Olympia. Hoc uero nihil turpius quouis Reip. tempore. sed hoc ἀνακολούθητον. ego uero austro gratias muras ago, qui me à tanta infamia auerterit. Reuersionis has speciosas causas habes, iustas illas quidem, & magnas, sed nulla iustior, quàm quòd tu idem alijs literis, PROVIDE, sicui quid debetur, ut sit unde par pari respõdeatur. mirifica enim δυσχρησία est propter metum armorũ. in freto medio hãc epistolã legi, ut quid possem prouidere, in mentem non ueniret mihi, nisi quòd præsens me ipse defenderẽ. Sed hæc hactenus. reliqua corã. Antonij edictum legi à Bruto, & horum contra scriptum præclare. sed quid ista edicta ualeãt, aut quò

spectent, planè non uideo. nec ego nunc, ut Brutus cœnsebat, istuc ad Remp. cæpessendam uenio. quid enim fieri potest? num quis Pisoni est assensus? num redijt ipse postridie? sed abesse hác ætatem longe à sepulchro negant oportere. Sed obsecro te, quid est quod audiui de Bruto? Piliam παραϊτήσασθαι παρακλήσαν te scripsisse aiebat. ualde sum commotus. etsi idem te scribere, sperare melius, ita planè uelim. ei dicas plurimam salutem, & suauissimæ Atticæ. Hæc scripsi nauigans, cum Pōpeianum accederem, XIIII. Cal.

CICERO ATTICO S.

CVM sciam quo die uenturus sim, faciam ut scias. impedimenta expectanda sunt, quæ Anagnia ueniunt: & familia ægra est. Cal. uesperi literæ mihi ab Octauiano reddítæ sunt. magna molitur. ueteranos, qui qui Cassilini, & Calatiæ sunt, perduxit ad suam sententiam: nec mirum: quingenos denarios dat: cogitat reliquas cōlonias obire. planè hoc spectat, ut se duce bellum geratur cum Antonio. Itaque uideo paucis diebus nos in armis fore. quem autem sequamur? uide nomen: uide ætatem. Atque à me postulat, primum ut clā colloquatur mecum uel Capuæ. puerile hoc quidem, si id putat clàm fieri posse. docui literis, id nec opus esse, nec fieri posse. misit ad me Cæcinam quēndam Volaterranum familiarem suum, qui hoc pertulit, Antonium cum legione Alaudarum ad Vrbem pergere: pecunias municipijs imperare: legionem sub signis ducere. Consultabat utrum Romam cum ∞ ∞ ueteranorū proficisceretur, an Capuam teneret, & Antonium ue-

nientem excluderet: an iret ad tres legiones Macedonicas, quæ iter secundum mare superum faciunt, quas sperat suas esse. hæc congiarium ab Antonio accipere noluerunt, ut hic quidem narrat, & ei conuitium grande fecerunt, concionantémque reliquerunt. Quid quæris? ducem se profitetur: nec nos sibi putat deesse oportere. Equidem suasi ut Romam pergeret: uidetur enim mihi & plebeculam urbanam, & (si fidem fecerit) etiam bonos uiros secum habiturus. O Brute ubi es? quantam εὐκαιρίαν amittis. Non equidem hoc diuinaui, sed aliquid tale putaui fore. nunc tuum consilium exquiro, Romámne uenio? an hic maneo? an Arpinum? ἀσφάλειαν habet is locus. fugiam Romam, ne desideremur, siquid actum uidebitur. hoc igitur explica. nunquam in maiore ἀπορίᾳ fui.

BINAE uno die mihi literæ ab Octauio. nunc quidē, ut Romam statim ueniam, uelle se rem agere per senatum. cui ego, nō posse senatum ante Cal. Ian. quod quidem ita credo. ille autem addit, Consilio tuo. quid multa? ille urget: ego autem σκέπομαι: non confido ætati: ignoro quo animo: nil sine Pansa tuo uolo: uereor ne ualeat Antonius: nec à mari discedere libet: & metuo, neque ἀρισθέα me absente. Varroni quidem displicet consilium pueri, mihi non firmas copias habet. Brutum habere potest, & rem gerit palàm. cœnturiat Capuæ: dinumerat. iam iámque uideo bellum. Ad hæc rescribe. Tabellarium meum Cal. Roma profectum sine tuis literis miror. VI. Arpinum ueni, ad IIII in Simuessanum. eodem die uulgo loquebantur Antonium mansurum esse Casilini. Itaque mutaui consilium: statueram enim recta Appia Romam. facile me ille esset assecutus:

aiunt enim eũ Cæsariana uti celeritate. uerti igitur me à Minturnis Arpinum uersus. constitueram ut prid. Id. aut Aquini manerem, aut in Arcano. nunc mi Atticæ tota mente incumbe in hanc curam: magna enim res est. tria sunt autem, manedmne Arpini, an propius accedam, an ueniam Romam. quod censueris, faciam: sed quamprimum. Aude expecto tuas literas. VI. Id. mane, in Simuessano.

CICERO ATTICO S.

NONIS accepi à te duas epistolas: quarum alteram Cal. dederas, alterã pridie. igitur prius ad superiorẽ. nostrũ opus tibi probari lætor. ex quo ante ipse posuisti, quæ mihi florentia sunt uisa tuo iudicio: cærulas enim tuas miniatulas illas extimescebã. De Sicca ita est ut scribis. ast ab ea ægre me tenui. itaque perstringam sine ulla contumelia Siccæ, & Septimæ: tãtum, ut * sciant παῖδες παίδων sine uallo Lucilliano, eum ex C. Fadii filia liberos habuisse. atque utinam eũ diem uideã cum ista libere uagetur, ut etiã in Siccæ domum introeat. sed illo tẽpore opus est, quod fuit illis Triumuiris. moriar, nisi facete. Tu uero leges Sexto, eiúsque iudicii mihi perscribes, ἅς ἐμοὶ μύριοι. Caleni, interuetum, & Caluenæ cauebis. Quod uereris ne ἀδόλεσχος: mihi tu? quis minus, aut, ut Aristophani Archilochi iãbus, sic epistola lõgissima quæque optima uidetur? Quòd me admones, tu uero etiam si reprehenderes, non modo facile paterer, sed etiam lætarer, quippe cum in reprehensione est prudentia cum ὠμηστάς. Ita libenter ea corrigam, quæ à te animaduersa sunt, eodem iure, quo Rubriana potius, quàm quo Scipionis: &

de laudibus Dolabellæ de ruam cumulum. attamen est
istic loco bella, ut mihi uidetur, ἀρωγάς, quòd eum contra
cíues in acie. illud etiam malo, indignius esse hunc
uiuere, quàm quòd indignius. περιλογραφίαν Varro
nis tibi probari non molestè fero: à quo adhuc ἥδιον
illud non abstuli. Quòd me hortaris ad scribendum, amiæ tu quidem, sed me scito agere nihil aliud.

Grauedo tua mihi molesta est. quæso adhibe, quam
soles, diligentiã. O TITE, tibi prodesse lætur. Anagnini sunt Mustella ταξιάρχης, & Laco, qui plurimum
bibit. Librum, quem rogas, perpoliam, & mittam.
Hæc ad posteriorem. τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος, quatenus
Panætius, absolui duobus: illius tres sunt. sed cum initio diuisisset ita, tria genera exquirẽdi officij esse: unum
cum deliberamus, honestum, an turpe sit: alterum, utile, an mutile: tertium, cum hæc inter se pugnare uideantur, quomodo iudicandũ sit: qualis causa Reguli, redire honestum, manere utile: de duobus primis præclare disseruit: de tertio pollicetur se deinceps scripturum,
sed nihil scripsit. eum locum Possidonius persecutus.
Ego autem & eius librum accersiui, & ad Athenodorum Caluum scripsi, ut ad me τὰ ὑποφάλαια mitteret:
quem expecto: quem uelim cohortere, & roges, ut quàm primum. in eo est περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος.
Quod de inscriptione quæris: non dubito quin τὸ καθῆκον officium sit, nisi quid tu aliud: sed inscriptio plenior, de officijs. προσφωνῶ autem Ciceroni filio. usum
est non ἀνοικεῖον. De Myrtilo dilucide. O qualis tu
semper istos. itáne in D. Brutum de istis? Ego me, ut scripserã, in Pompeianum nõ abdidi, primo tempestatibus,
quibus nihil tetrius: deinde ab Octauio quotidie lite-

ræ,ut negotium ſuſciperem,Capuam uenirem,iterum Remp.ſeruarẽ,Romam utique ſtatim,αὐτοῦ μὲν ἀνύ-ναυθαι, δᾶσαν δ' ὑποδέχθαι. is tamen egit ſanè ſtrenue, & agit:Romam ueniet cum manu magna.ſed eſt planè puer.putat ſenatum ſtatim.quis ueniet?ſi uenerit, quis mœrtis in rebus offendet Antoniũ? Calendis Ian.erit fortaſſe præſidio,aut quidem ante depugnabitur.puero municipia mire fauent:iter enim faciens in Samnium uenit Cales,manſit Theani. mirifica ἀπάντησις,& cohortatio.hoc tu putares?ob hoc ego citius Romã, quàm conſtituerã.ſimul ac conſtituero,ſcribam.etſi nondum ſtipulationes legeram(nec enim Eros uenerat)tamen rẽ prid.Id.uelim conficias. Epiſtolas Catinam,Tauromenium, Syracuſas commodius mittere potero,ſi Valerius interpres ad me nomina gratioſorum ſcripſerit: alij enim ſunt aliás,noſtríque familiares ferè demortui.publicè tamen ſcripſi, ſi uti uellet eis Valerius, aut mihi nomina mitteret. De Lepidianis feris Balbus ad me.uſque ad III. Cal.expectabo tuas literas: méque Torquati negotiolo ſiturum puto. Quinti literas ad te miſi, ut ſcires quàm ualde eum amaret quẽ dolet à te minus amari. Atticæ,quoniam (quod primum in pueris eſt)hilarula eſt,meis uerbis ſuauium des. Vale.

CICERO ATTICO S.

OPPII epiſtolæ,quia perhumana erat, tibi miſi exemplum. De Oœlla,dum tu muginaris, nec mihi quicquam reſcribis,cœpi conſilium domeſticum. itaque me prid.Id.arbitror Romæ futurũ. commodius eſt uiſum, fruſtra me iſtic eſſe,cum id non neceſſe eſſet, quàm, ſi opus eſſet,nõ adeſſe. & ſimul,ne intercluderer metue

bam. ille enim iam aduentare potest: etsi uarij rumores multique, quos cuperem ueros: nihil tamen certi. Ego uero, quicquid est, tecum potius, quàm animi pendeam, cum à te absim, & de te, & de me. sed quid dicam? bonum animum. De πραγματεύω Varronis negotia sanasa. me quidem nihil unquam sic delectauit. sed hæc, & alia maiora coràm. Vale.

CICERO ATTICO S.

O CASVM mirificum. V. Id. cũ ante lucem de Sinuessano surrexissem, ueniissémque diluculo ad Pontum Tiretium, qui est Minturnis, in quo flexus est aditer Arpinas, obuiam mihi fit tabellarius, qui me offendit δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντα. Ego statim, Cedo, inquam, siquid ab Attico? nondum legere poteramus: nam & lumina dimiseramus, nec satis lucebat. cum autem lucaret, ante scripta epistola ex duabus tuis prior mihi legi cœpta est. illa omnium quidem elegantissima (ne sim saluus, si aliter scribo ac sentio) nihil legi humanius. Itaq; ueniã quò uocas, modo adiutore te. sed nihil tam ἀπροσδιόνυσον mihi primo uidebatur, q̃ ad eas literas, quibus ego à te consilium petieram, te mihi ista rescribere. Ecce tibi alteras, quas hortaris παρ' ἡνεμόεντα μίμαντα, νήσου ἐπὶ ζυρίης, Appiã ἐν ἀρίσερ' ἔχοντα. Itaq; eo die manssi Aquini. longulũ sanè iter, & uia inepta. inde postridie mane proficiscens, has literas dedi. & quidẽ, ut à me dimitterẽ multissimas, fecerũt Erotis literæ. rẽ tibi Tiro narrabit. Tu, quid faciẽdum sit, uidebis: præterea, possímne propiꝰ accedere (malo enim esse in Tusculano, aut uspiã in suburbano) an etiã lõgius discedẽdũ putas? crebro ad me uelim scribas. erit autẽ quotidie cui des.

Quòd præterea consulis, quid tibi censeam faciũdum: difficile est, cum absim. ueruntamen, si pares æquè inter se: quiescendum. sin latius manãbit, & quidem ad nos, deinde communiter. Auide tuũ consilium expecto. timeo ne absim, cum adesse me sit honestius. uenire non audẽo. De Antonij itineribus nescio quid aliter audio, atque ut ad te scribebam. Omnia igitur uelim explices, & ad me certa nuntias. De reliquo quid ego tibi dicam? ardeo studio historiæ: incredibiliter enim me commouet tua cohortatio. quæ quidem nec instituit, nec effici potest sine tua ope: coràm igitur hoc quidem conferemus. in præsentia mihi uelim scribas, quibus Coss. C. Fannius M. F. Trib. pl. fuerit: uideor mihi audisse, P. Africano, L. Mummio. id igitur quæro. Tu mihi de ijs rebus quæ nouantur, omnia certa, clara. III. Id. ex Arpinati.

NIHIL erat planè quod scriberem. nam cum Puteolis essem, quotidie aliquid noui de Octauiano, multa etiã falsa de Antonio. Ad ea autẽ quæ scripsisti (treis enim accepĕrã III. Id. à te epistolas) ualde tibi assentior, si multum possit Octauianus, multo firmius acta tyranni comprobatum iri, quàm in Telluris, atque id contra Brutum fore. sin autem uincitur, uides intolerabilem Antonium: ut, quem uelis, nescias. O Sestij tabellarium hominem nequam. postridie Puteolis Romæ se dixit fore. Quòd me mones ut pedetentim: assentior: etsi aliter cogitabã. nec me Philippus, aut Marcellus mouet: alia enim eorum ratio: & si non est, tamen uidetur. Sed in isto iuuene, quanquam animi satis, auctoritatis parum est. tamen uide, si forte in Tusculano uum recte esse possim, ne id melius sit: ero libentius: nihil

enim ignorabo: an hoc, cum Antonius uenerit. Sed, ut aliud ex alio, nihi non est dubium quin quod Græci καθῆκον, nos officium. id autem quid dubitas quin officium
Vrpetiam in Remp. præclare caderet? nónne dicimus, Consulum officium, senatus officium? præclare cõuenit, aut da melius. Male narras de Nepotis filio. ualde mehercule moueor, & moleste fero. nescieram omnino esse istum puerum. Canininm perdidi, hominem, quod ad me attinet, non ingratum. Athenodorum nihil nou ingratũ
est quod hortere: misit enim satis bellum ὑπόμνημα.

Grauedini quæso omni ratione subueni. Quintus tui patris nepos scribit ad patris mei nepotem, se ex No pronepos
nis ijs, quibus nos magna gessimus, ædem Opis explicaturum, idque ad populum. uidebis igitur, & scribes. Sexti iudicium expectu. Vale.

CICERO ATTICO S.

NOLI putare pigritia facere me, quòd non mea manu scribã: sed mehercule pigritia: nihil enim habeo aliud quod dicam. & tamen in tuis quoque epistolis Alexim
deo uideor agnoscere. sed ad rem uenio. Ego, si me non improbissime Dolabella tractasset, dubitassem fortasse utrum remissior essem, an summo iure contenderẽ: nunc uero etiã gaudeo mihi causam oblatam, in qua & ipse sentiat, & reliqui omnes, me ab illo alienatum: idque præ me feram, & quidem me mea facere, & Reip. causa, cur illum oderim, quòd cum eam me auctore defendere cœpisset, non modo deseruit emptus pecunia, sed etiam, quantum in ipso fuerit, euerterit. Quòd autem quæris, quomodo agi placeat, cum dies uenerit: primum uelim eiusmodi sit, ut non alienum sit, me Ro-

mæ esse: de quo, ut de cæteris, faciam ut tu œnsueris. de summa autẽ agu prorsus uehemẽter & seuere uolo. etsi sponsores appellare, uidetur habere quandam ἀυσωπίαν: tamen hoc quale sit, œnsideres uelim. possumus enim, ut sponsores appellentur, procuratorẽ intro-
eũ
te
ducere: neque enim illi litem œntestabuntur: quo facto, non sum nescius sponsores liberari: sed & illi turpe arbitror eo nomine, quod satisdato debeat, procuratores eius non dissoluere: & nostræ grauitatis, ius nostrum sine summa illius ignominia persequi. De hoc quid placeat, rescribas uelim: & non dubito quin hoc totum le
S
nius administraturus sis. Redeo ad Remp. multa mehercule à te sæpe ἐν πολιτικῷ genere prudenter: sed
postea
his literis nihil prudentius, QVANQVAM enim posset in præsentia belle iste puer retundere Antonium, tamen exitũ expectare debemus. at quæ œncio? nam est missa mihi. iurat, ita sibi parentis honores œnsequi liceat: & simul dextram intendit ad statuã. μὴ δὲ σωθείην ἄποτε τοιοῦτο. Sed, ut scribis, certissimum esse uideo discrimen Cascæ nostri Tribunatus: de quo quidem ipso dixi Oppio, cum me hortaretur, ut adolescentem, totámque causam, manúmque ueteranorũ œmplecterer, me nullo modo facere posse, ni mihi explorata
nullo
tum esset, eum non modo non inimicum tyrannocto-
nis, uerumetiam amicum fore. cum ille diceret, ita futurũ, Quid igitur festinamus, inquam? illi enim mea opera ante Cal. Ian. nihil opus est. nos autem eius uolun
scíemus
tatem ante Id. Dec. perspiciemus in Casca. mihi ualde assensus est. Quam ob rem hæc quidem hactenus.

Quod reliquum est, quotidie tabellarios habebis, &, ut ego arbitror, etiam quid scribas quotidie. Leptæ

literarum exemplũ tibi misi: ex quo mihi uidetur σφαγὰξ ille deiectus de gradu. sed tu, cum legis, existimabis. Obsignata iam epistola, literas à te, & à Sexto accepi. nihil iucundius literis Sexti, nihil amabilius: nam tuæ breues, priores erant, uberrimæ. Tu quidem & prudenter, & amicè suades ut in his locis potissimũ sim, quoad audiamus, hæc, quæ commota sunt, quorsum euadant. sed me, mi Attice, non sanè hoc quidem tempore mouet Resp. non quo ea sit mihi quicquam carius, aut esse debeat, sed desperatis etiam Hippocratès uetat adhibere medicinam. quare ista ualeant. me res familiaris mouet: rem dico? immo uero existimatio. cum enim tanta reliqua sint, ne Terentiæ quidem adhuc quod soluam, expeditum est: Terentiam dico? scis nos pridem iam constituisse Montani nomine HS XXII dissoluere. pudentissime hoc Cicero petierat, ut ei de suo: liberalissime, ut tibi quoque placuerat, promiseram, Erotique dixeram, ut sepositum haberet. non modo, sed miquissimo fœnore uersuram facere Aurelius coactus est. nam de Terentiæ nomine Tiro ad me scripsit, te dicere, numos à Dolabella fore. male eum credo intellexisse, si quisquã male intelligit, potius nihil intellexisse: tu enim ad me scripsisti Cocceij responsum, & ijsdem penè uerbis Eros. Veniendum est igitur uel in ipsam flammam: turpius est enim priuatim cadere, quàm publicè. itaque cæteris de rebus, quas ad me suauissime scripsisti, perturbato animo non potui, ut consueueram, rescribere. Consenti in hac cura, ubi sum, ut me expediam. quibus autem rebus, uenit quidem mihi in mentem: sed certo constituere nihil possum, priusquam te uidero. Quî minus autem ego istic

recte esse possim, quàm est Marcellus? sed non id agitur: neque id maxime curo. quid curem, uides. adsum igitur. Vale.

CICERO ATTICO S.

IVCVNDISSIMAS tuas legi literas. Ad Plancum scripsi. habes exemplum. cum Tirone quid sit locutus, cognoscam ex ipso. Cum sorore ages attentius, si te occupatione ista relaxaris. Vale.

M. Cicero L. Planco Præt. Des. S.

ATTICI nostri te ualde studiosum esse cognoui, mei uero ita cupidum, ut mehercule paucos æque obseruantes atque amantes me habere existimem: ad paternas enim magnas, & ueteres, & iustas necessitudines magnam attulit accessionem tua uoluntas erga me, meáque erga te par atque mutua. Buthrotia tibi causa ignota non est: egi enim sæpe, tibíque totam rem demonstraui: quæ est acta hoc modo, Vt primũ Buthrotium agrum proscriptum uidimus, commotus Atticus libellum composuit; eum mihi dedit, ut darem Cæsari: erã enim cœnaturus apud eum illo die. cum libellum Cæsari dedi, probauit causam, rescripsit Attico æqua eum postulare: admonuit tamen, ut pecuniam reliquam Buthrotij ad diem soluerent. Atticus, qui ciuitatem conseruatam cuperet, pecuniã numerauit de suo. quod cum esset factum, adiuuimus ad Cæsarẽ, uerba fecimus pro Buthrotijs: liberalissimum decretum abstulimus, quod est obsignatũ ab amplissimis uiris. quæ cum essent acta, mirari quidem solebam pati Cæsarem conuenire eos qui agrum Buthrotium concupissent: neque solum pati, sed

etiã ei negotio te præfiçere. Itaque & ego cum illo locutus sum, & sæpius quidem, ut etiam accusarer ab eo, quòd parũ constantiæ suæ confiderem. & M. Messalæ, & ipsi Attico dixit, ut sine cura essent: apertéque ostendebat se præsentium animos (erat enim popularis, ut noras) offendere nolle: cum mare transissent, curaturũ se ut in alium agrũ deducerẽtur. Hæc illo uiuo. post interitum uero Cæsaris, ut primum ex S.C. causas Consules cognoscere instituerunt, hæc quæ scripsi, ad eos delata sunt. Probauerũt causas sine ulla dubitatione, séq; ad te literas daturos esse dixerũt. Ego autem mi Plãce etsi non dubitabã quin & S.C. & lex, & Cõsulum decretum, ac literæ apud te plurimum auctoritatis haberẽt, téque ipsius Attici causa uelle intellexeram: tamen hoc pro coniunctione & beneuolẽtia nostra mihi sumpsi, ut id à te peterẽ, quod tua singularis humanitas, suauissimíq; mores à te essent impetraturi: id autẽ est, ut hoc quod te tua sponte facturum esse certo scio, honoris nostri causa libẽter, prolixe, cæleriter facias. Mihi nemo est amicior, nec iucũdior, nec charior Attico: cuius antea res solum familiaris agebatur, eáque magna: nunc accessit etiam existimatio, ut quod cõsecutus est magna & industria & gratia, & uiuo Cæsare & mortuo, id te adiuuante obtineat. Quod si à te erit impetratũ, sic uelim existimes, me de tua liberalitate ita interpretaturũ, ut tuo summo beneficio me affectum iudicẽ. Ego quæ te uelle, quéque ad te pertinere arbitrabor, studiosè diligentérque curabo. Da operam ut ualeas.

Ciæro Planco Præt. Des. S.

IAM antea petiui abs te per literas, ut cum causa Bu-

throtiorũ probata à Consulibus esset, quibus & lege & S.C. permissum erat ut de Cæsaris actis cognoscerent, statuerent, iudicarent, eam rem tu adiuuares, Atticúmque nostrum, cuius te studiosum cognoui, & me, qui non minus laboro, molestia liberares. omnibus enim rebus magna cura, multa opera & labore confectis, in te positũ est, ut nostræ solicitudinis finem quàprimum facere possimus. quanquam intelligimus ea te esse prudentia, ut uideas si ea decreta Consulum, quæ de Cæsaris actis interposita sint, non seruentur, magnã perturbationem rerum fore. Equidẽ cum multa (quod necesse erat in tanta occupatione) non probentur quæ Cæsar statuerit, tamen otij pacísque causa acerrime illa soleo defendere: quod tibi idem magnopere faciendũ censeo: quanquam hæc epistola non suasoris est, sed rogatoris. Igitur mi Plancę rogo te, & etiam oro, sic mediudsiius, ut maiore studio, magísque ex animo agere non possim, ut totum hoc negotium ita agas, ita tractes, ita conficias, ut quod sine ulla dubitatione apud Consules obtinuimus propter summam bonitatem, & æquitatem causæ, id tu nos obtinuisse non modo facile patiare, sed etiam gaudeas. Qua quidem uoluntate esse erga Atticum, sæpe præsens & illi ostendisti, & uero etiam mihi. quod si feceris, me, quem uoluntate, & paterna necessitudine coniunctum semper habuisti, maximo beneficio deinctum habebis. idque ut facias, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

Ciæro Capitoni ~~suo~~ S. D.

NVNQVAM putaui fore ut supplex ad te uenirem. sed hercule facile patior datum tempus, in quo amo-

rem experirer tuũ. Atticum quanti faciam, scis. amabo te, da mihi & hoc: obliuiscere mea causa, illũ aliquando suo familiari aduersario tuo uoluisse consultũ, cum illius existimatio ageretur. Hoc primũ ignoscere est humanitatis tuæ: suos enim quisque debet tueri. Deinde, si me amas, omitte Atticum Ciceroni tuo: quem quanti facias, præ te soles ferre. totum hoc, ut quod semper existimaui, nunc planè intelligam, me à te multũ amari. Buthrotios cũ Cæsar decreto suo, quod ego obsignaui cum multis amplissimis uiris, liberauisset, ostendissétque nobis, se cum agrarij mare trãsissent, literas missurum, quem in agrum deducerentur: accidit, ut subito ille interiret. Deinde, quemadmodum tu scis (interfuisti enim, cum Consules oporteret ex S.C. de actis Cæsaris cognoscere) res ab ijs in Calend. Iun. dilata. Accessit ad S.C. lex, quæ lata est ad IIII Non. Iun. quæ lex earum rerum quas Cæsar statuisset, decreuisset, egisset, Cõsulibus cognitionem dedit. Causa Buthrotiorum delata est ad Consules. Decretum Cæsaris recitatum est, & multi præterea libelli Cæsaris prolati. Consules de consilij sententia decreuerunt secundum Buthrotios, Plancum dederunt. Nunc mi Capito (scio enim quantum semper apud eos, quibuscum sis, posse soleas, eo plus apud hominem facillimum atque humanissimum Plancum) enitere, elabora, uel potius eblandire, efficæ ut Plancus, quẽ spero optimum esse, sit etiam melior opera tua. omnino res huiusmodi uidetur esse, ut sine cuiusquam gratia Plancus ipse pro ingenio, & prudẽtia sua non sit dubitaturus quin decretum Cõsulum, quorum & lege & S.C. cognitio & iudicium fuit, conseruet: præsertim cum, hoc genere cognitionum labefacta-

to,acta Cæsaris in dubiũ uentura uideantur: quæ non modo ij, quorũ interest, sed etiam ij qui illa non probant,otij causa confirmare uelint. Quod cum ita sit,tamen interest nostra,Plancum hoc animo libenti proli xóque facere. quod certe faciet,si tu neruulos tuos mihi sæpe cognitos,suauitatémque,qua nemo tibi par est, adhibueris. Quod ut facias,te uehementer rogo. Vale.

Ciæro Cupiennio S.

PATREM tuum plurimi feci, méque ille mirificè & coluit & amauit. nec mehercule unquã mihi dubium fuit quin à te diligerer. ego quidem id facere non desisti. Quam ob rem peto à te in maiorem modum,ut ciuitatem Buthrotiam subleues, decretúmque Consulum quod ij secundum Buthrotios fecerunt, cum & lege & S.C. statuendi potestatem haberent, des operã ut Plancus noster quamprimum confirmet, & probet. Hoc te uehementer mi Cupiẽni etiam atque etiam rogo. Vale.

Ciæro Planco Præt. Des. S.

IGNOSCE mihi, quòd cum antea accuratissime de Buthrotijs ad te scripserim, eadem de re sæpius scribam. Non mehercule mi Plance facio,quòd parum confidã aut liberalitati tuæ aut nostræ amicitiæ: sed cum tanta res agatur Attici nostri, nunc uero etiam existimatio,ut id quod probauit Cæsar,nobis testibus & obsignatoribus,qui & decretis & responsis Cæsaris interfueramus, uideatur obtinere potuisse: præsertim cũ tota potestas eius rei tua sit,ut ea quæ Consules decreuerunt secundum Cæsaris decreta & responsa,non dicam comprobes,sed studiosè libentérque comprobes. Id

mihi sic erit gratum, ut nulla res gratior esse possit. Etsi iam sperabã cum has literas accepisses, fore ut ea quæ superioribus literis à te petijssemus, impetrata essent: tamen non faciam finem rogandi, quoad nobis nuntiatum erit te id fecisse, quod magna cum spe expectamus. deinde enim confido fore, ut alio genere literarum utamur, tibique pro tuo summo beneficio gratias agamus. Quod si acciderit, uelim sic existimes, non tibi tam Atticum, cuius permagna res agitur, quàm me, qui non minus laboro quàm ille, obligatum fore. Vale. 81

Cicero Capitoni S.

NON dubito quin mirere, atque etiam stomachere, quòd tecum de eadem re agam sæpius. homunis familiarissimi, & mihi omnibus rebus coniunctissimi permagna res agitur, Attici. Cognoui ego tua studia in amicos, etiam in te amicorum. multum potes nos apud Plancum iuuare. noui humanitatem tuam, scio quàm sis amicis iucundus. nemo nos in hac causa plus iuuare potest, quàm tu. & res ista est firma, ut debet esse, quam Consules de consilij sententia decreuerunt, cum & lege, & S.C. cognoscerẽt. tamen omnia posita putamus in Planci tui liberalitate: quem quidem arbitramur cum officij tui & Reip. causa decretum Consulum comprobaturum, tum libenter nostra causa esse facturum. Adiuuabis igitur mi Capito: quod ut facias, uehementer etiam atque etiam rogo. Vale. 82 te.

T. POMPONII ATTICI VITA PER CORNELIVM NEPOTEM.

POMPONIVS Atticus ab origine ultima stirpis Romanæ generatus, perpetuo à maioribus acceptam equestrẽ obtinuit dignitatem. Patre usus est diligente, indulgente, & ut tũ erant tempora, diti, in primisque studioso literarum. Hic prout ipse amabat literas, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, filiũ erudiuit. Erat autem in puero, præter docilitatem ingenij, summa suauitas oris, & uocis: ut non solum æleriter acciperet quæ tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiaret. Qua ex re pueritia nobis inter æquales ferebatur, clariúsque exsplendescebat, quàm generosi condiscipuli animo æquo ferre possent. itaque incitabat omneis studio suo. quo in numero fuerunt L. Torquatus C. Marij filius, M. Cicero: quos consuetudine sua sic sibi deuinxit, ut nemo ijs perpetuo fuerit carior. Pater mature decessit. ipse adolescentulus propter affinitatem P. Sulpitij, qui Trib. pl. interfectus est, non expers fuit illius periculi: nanque * Anitia Pomponij consobrina nupserat M. Seruio fratri Sulpitij. Itaque interfecto Sulpitio, posteaquam uidit Cinnano tumultu ciuitatem esse perturbatam, neque sibi dari facultatem pro dignitate uiuendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis animis ciuiũ, cum alij Sullanis, alij Cinnanis fauerẽt partibus: idoneum tempus ratus studijs obsequendi suis, Athenas se con-

tulit: neque eo secius adolescentem Mariũ hostem iudicatum iuuit opibus suis: cuius fugam pecunia subleuauit. ac ne illa peregrinatio detrimẽtum aliquod afferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum traiecit suarũ. Hic ita uixit, ut uniuersis Atheniẽsibus merito esset cariſſimus: nam præter gratiã, quæ iam in adolescentulo magna erat, sæpe suis opibus inopiã eorũ publicam leuauit. cum enim usurã facere publicè neæſ- versuram
se esset, neque eius conditionẽ æquam haberent, semper
se interposuit: atque ita, ut neque usurã unquam ab ijs
acceperit, neque lõgius quàm dictũ esset, debere passus
sit. quod utrunque erat ijs salutare: nam neque indul-
gendo inuetera scere eorũ æs alienum patiebatur, neque
multiplicandis usuris crescere. Auxit hoc officium alia
quoque liberalitate. nam uniuersos frumento donauit,
ita ut singulis VII modij tritici darentur, qui modius
mẽsuræ medimnus Athenis appellatur. Hic autẽ sic
se gerebat, ut communis infimus, par principibus uide-
retur. quo factum est ut huic omneis honores quos pos-
sent, publicè haberent, ciuémq; facere studerent. quo be-
neficio ille uti noluit. quod nonnulli ita interpretantur,
amitti ciuitatem Romanam alia ascita. Quãdiu affuit,
nequa sibi statua poneretur, restitit: absens prohibere
non potuit. Itaque aliquot ipsi, & Piliæ locis sanctiſsi- 14 et fidei
mis posuerũt. hunc enim in omni procuratione Reip.
actorẽ auctorémque habebãt. Igitur primum illud mu-
nus fortunæ, quòd in ea potiſsimum urbe natus est, in
qua domicilium orbis terrarum esset imperij, ut ean-
dem & patriã haberet, & domum: hoc specimen pru-
dentiæ, quòd, cum in eam se ciuitatem contulisset, quæ
antiquitate, humanitate, doctrináq; præstaret omneis,

ei unus ante alios fuerit carissimus. Huc ex Asia Sulla decedens cum uenisset, quandiu ibi fuit, secũ habuit Põponium, captus adolescentis & humanitate & doctrina. sic enim Græce loquebatur, ut Athenis natus uideretur: tanta autẽ erat suauitas sermonis Latini, ut appareret in eo natiuum quendã leporem esse, non ascitũ. Idem poemata pronũtiabat & Græce & Latine sic, ut supra nihil posset. Quibus rebus factum est, ut Sulla nusquam à se dimitteret, auperétque secũ deducere. qui cum persuadere tentaret, Noli, oro te, inquit Põponius, aduersum eos me uelle ducere, cum quibus ne cõtra te arma ferrem, Italiam reliqui. At Sulla adolescentis officio collaudato, omnia munera ei, quæ Athenis acceperat, proficiscens iussit deferri. Hic cõplures annos moratus, cum & rei familiari tantũ operæ daret, quantum nõ indiligens deberet patersamiliâs, & omnia reliqua tẽpora aut literis, aut Atheniẽsium Reip. tribueret, nihilo minus amicis urbana officia præstitit: nam & ad comitia eorum uẽtitauit, & siqua res maior acta est, non defuit: sicut Ciceroni in omnibus eius periculis singularem fidem præbuit, cui ex patria fugienti HS CC & quinquaginta millia donauit. Tranquillatis autem rebus Romanis remigrauit Romam, ut opinor, L. Cotta, & L. Torquato Coss. quem, diem sic uniuersa ciuitas Athenienſium prosecuta est, ut lacrimis desiderij futuri dolorẽ indicaret. Habebat auunculum Q. Cæcilium equitem Romanum, familiarem L. Luculli, diuitem, difficillima natura: cuius sic asperitatem ueritus est, ut quem nemo ferre posset, huius sine offensione ad summam senectutem retinuerit beneuolentiam. Quo facto, tulit pietatis fructum: Cæcilius enim

moriens testamento adoptauit eum, heredémque fecit ex dodrante. ex qua hereditate accepit circiter centies HS. Erat nupta soror Attici Q. Tullio Ciceroni, eásque nuptias M. Cicero conciliarat, cum quo à condiscipulatu uiuebat coniunctissime, multo etiam familiarius, quàm cum Quinto: ut iudicari possit, plus in amicitia ualere similitudinem morum, quàm affinitatem. Vtebatur autem intime Q. Hortensio, qui his temporibus principatum eloquentiæ tenebat: ut intelligi nõ posset, uter eum plus diligeret, Cicero, an Hortensius: & id quod erat difficillimum, efficiebat, ut inter quos tantæ laudis esset æmulatio, nulla intercederet obtrectatio, essétque talium uirorum copula. In Rep. ita est uersatus, ut semper optimarum partium & esset, & existimaretur: neque tamen se ciuilibus fluctibus cõmitteret, quòd non magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se his dedissent, quàm qui maritimus iactarentur. Honores non petiit, cum ei paterẽt propter uel gratiam, uel dignitatem, quòd neque peti more maiorum, neque capi possent conseruatis legibus in tam effusis ambitus largitionibus, neque Reip. sine periculo corruptis ciuitatis moribus. Adhastam publicam nunquam accessit. nullius rei neque præs, neque manceps factus est. Neminem suo nomine, neque subscribens accusauit. In ius de sua re nunquam iit. iudicium nullũ habuit. Multorum Consulum Prætorúmque præfecturas delatas sic accepit, ut neminem in prouinciam sit secutus, honore fuerit contentus, rei familiaris, despexerit fructum: qui ne cum Q. quidem Cicerone uoluerit ire in Asiam, cum apud eum legati locum obtinere posset. non enim decere se arbitrabatur, cum Præ-

turam gerere noluisset, assectam esse Prætoris. qua in re non solum dignitati seruiebat, sed etiam tranquillitati, cum suspiciones quoque utaret criminum. quo fiebat, ut eius obseruantia omnibus esset carior, cum eam officio, non timori, neque spei tribui uideret. Incidit Cæsarianum ciuile bellum, cum haberet annos circiter sexaginta. usus est ætatis uacatione, neque quo quam se mouit ex Vrbe. Quæ amicis suis opus fuerat ad Pompeium proficiscentibus, omnia ex sua re familiari dedit. ipsum Pompeium coniunctum non offendit. nullum ab eo habebat ornamentum, ut cæteri qui per eum aut honores, aut diuitias operant: quorum partim imutissimi castra sunt secuti, partim summa cum eius offensione domi remanserunt. Attici autem quies tantopere Cæsari fuit grata, ut uictor, cum priuatis pecunias per epistolas imperaret, huic non solū molestus non fuerit, sed etiam sororis filium Q. Ciceronem ex Pompeij castris concesserit. sic uetere instituto uitæ effugit noua pericula. secutum est illud occiso Cæsare, cum Resp. penes Brutos uideretur esse, & Cassium, ac tota ciuitas se ad eum conuertisse uideretur. sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens æquali familiarius, quàm hoc sene, neque solum eum principem consilij haberet, sed etiam in conuictu. Excogitatum est à quibusdam, ut priuatum ærarium Cæsaris intersectoribus ab equitibus Romanis constitueretur. id facile effici posse arbitrati sunt, si & principes illius ordinis pecunias contulissent. Itaque appellatus est à C. Flauio Bruti familiari Atticus, ut eius rei princeps esse uellet. At ille, qui officia amicis præstanda sine factione existimaret, sempérque à talibus se consilijs re-

mouisset, respondit, siquid Brutus de suis facultatibus uti uoluisset, usurum quantum eæ paterentur: sed neque cum quoquam de ea re colloquturum, neque cœturum. Sic ille consensionis globus huius unius dissensione disiectus est. neque multo post superior esse cœpit Antonius, ita ut Brutus & Cassius pronunciarũ, quæ ijs necis causæ datæ erant à Consulibus, desperatis rebus, in exilium proficiscerentur. Atticus, qui pecuniam simul cum cæteris conferre noluerat florenti illi parti, abiecto Bruto, Italidque cedenti HS C.M. muneri misit: eidem in Epeiro absens C C C iussit dari: neque eo magis potenti adulatus est Antonio, neque desperatos reliquit. Secutum est bellum gestum apud Mutinam: in quo si tantum eum prudentem dicam, minus quàm debeam, prædicem, cum ille potius diuinus fuerit, si diuinatio appellãda est perpetua naturalis bonitas, quæ nullis casibus agitur, neque minuitur. Hostis Antonius iudicatus Italia cesserat. spes restituẽdi nulla erat. non solum inimici, qui tamen erant potentissimi & plurimi, sed etiã qui aduersarijs eius se dabant, & in eo lædendo aliquam consecuturos sperabãt commoditatem, Antonij familiares sequebantur, uxorem Fuluiam omnibus rebus spoliare cupiebant, liberos etiã extinguere parabant. Atticus cum Ciceronis intima familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto, non modo nihil ijs indulsit ad Antonium uiolãdum, sed è contrario familiares eius ex Vrbe profugiẽtes, quantum potuit, texit: quibus rebus indiguerunt, adiuuit: P. uero Volũnio ea tribuit, ut plura à parente proficisci non potuerint: ipsi autẽ Fuluiæ, cum litibus distineretur, magnísq; terroribus uexaretur, tãta diligentia officiũ suũ

præstitit, ut nullum illa præstiterit uadimonium sine Attico, sponsor omnium rerum fuerit. quin etiam, cum illa fundum secunda fortuna emisset in diem, neque post calamitatem uersuram facere potuisset, ille se interposuit, pecuniámque sine fœnore, sinéque ulla stipulatione credidit: maximum existimans quæstum, memorem gratúmque cognosci, simúlque aperire, se non fortunæ, sed hominibus solere esse amicum. Quæ cum faciebat, nemo eum temporis causa facere poterat existimare: nemini enim in opinionem ueniebat, Antonium rerum potiturum. Sed sensim is à nonnullis optimatibus, eius reprehendebatur, quòd parum odisse malos ciues uideretur. Ille autem sui iudicij potius, quid se facere par esset, intuebatur, quàm quid alij laudaturi forent. Conuersa fortuna est. ut Antonius rediit in Italiam, nemo non magno in periculo Atticum putarat propter intimam familiaritatē Ciceronis & Bruti. Itaque ad aduentum imperatorum de foro excesserat, timens proscriptionem: latebátque apud P. Volumnium, cui, ut ostendimus paulo ante, opem tulerat (tanta uarietas his temporibus fuit fortunæ, ut modo hi, modo illi in summo essent aut fastigio, aut periculo) habebátque secum Q. Gellium Canium æqualem simillimúmq; sui. Hoc quoque sit Attici bonitatis exemplum, quòd cum eo quem puerum in ludo cognorat, adeo coniunctè uixit, ut ad extremam ætatem amicitia eorum creuerit. Antonius autem etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non solum ei, sed etiam omnibus suis amicis esset inimicus, eósq; uellet proscribere multis hortantibus: tamen Attici memor fuit officij, & ei, cum requisisset ubinam esset, sua manu scri-

vt

pſit ne timeret, ſtatimque ad ſe ueniret, ſe cũ, & Gellium Canium de proſcriptorum numero exemiſſe: ac ne quod periculum incideret, quòd noctu fiebat, præſidium ei miſit. Sic Atticus in ſummo timore non ſolum ſibi, ſed etiam ei quem chariſſimum habebat, præſidio fuit: neque enim ſuæ ſolum à quoquam auxilium petijt ſalutis, ſed coniunctim: ut appareret nullam ſeiunctam ſibi ab eo uelle fortunam. quòd ſi gubernator præcipua laude fertur, qui nauem ex hieme, marique ſcopuloſo ſeruat: cur non ſingularis eius exiſtimetur prudentia, qui ex tot, tãtiſque grauibus procellis ciuilibus ad incolumitatem peruenit? Quibus ex malis ut ſe emerſerat, nihil aliud egit, quàm ut plurimis, quibus rebus poſſet, eſſet auxilio. cum proſcriptos præmijs imperatorum uulgus conquireret, nemo in Epeirum uenit, cui res ulla defuerit: nemini non ibi perpetuo manendi poteſtas facta eſt. quin etiam poſt præliũ Philippenſe, interitúmque C. Caſſij, & M. Bruti, L. Iuliũ Mocillam prætorium, & filium eius, Aulúmque Torquatum, cæteróſque pari fortuna perculſos inſtituerit tueri, atque ex Epeiro ijs omnia Samothraciam ſupportari iuſſerit. difficile enim eſt omnia proſequi, & non neceſſaria. Illud unum intelligi uolumus, illius liberalitatem neque temporariã, neque callidã fuiſſe. id ex ipſis rebus, ac temporibus iudicari poteſt, quòd non florentibus ſe uenditauit, ſed afflictis ſemper ſuccurrit, qui quidẽ Seruiliam Bruti matrem non minus poſt mortẽ eius, quàm florentẽ coluerit. Sic liberalitate utens nullas inimicitias geſſit, quòd neque lædebat quenquam: neque, ſiquam iniuriam acceperat, non malebat obliuiſci, quàm ulciſci. Idem immortali memoria peræpta

pſerit

perſequi

retinebat beneficia: quæ autem ipse tribuerat, tandiu meminerat, quoad ille gratus erat qui acceperat. Itaque hic fecit, ut uere dictũ uideatur, Sui cuique mores fingunt fortunam. Neque tamen prius ille fortunam, quàm se ipse finxit, qui cauit, nequa in re plecteretur. His igitur rebus effecit ut M. Vipsanius Agrippa inti ma familaritate coniunctus adolescenti Cæsari, cum propter suam gratiam, & Cæsaris potentiam nullius conditionis non haberet potestatem, potissimum eius deligeret affinitatem, peroptarétque equitis Romani filiam generosam nuptijs. atque harum nuptiarum conciliator fuit (nõ enim est cælãdum) M. Antonius Triumuir Reip. cuius gratia cum augere possessiones posset suas, tantum abfuit à cupiditate pecuniæ, ut nulla in re usus sit ea, nisi in deprecandis amicorum aut periculis, aut incommodis. Quod quidem sub ipsa proscriptione perillustre fuit: nam cum L. Saufeij equitis Romani æqualis sui, quicum plures annos studio ductus philosophiæ habitabat, habebátque in Italia pretiosas possessiones, Triũuiri bona uendidissent consuetudine ea qua tum res gerebantur: Attici labore, atque industria factum est, ut eodem nũtio Saufeius fieret ærtior, se patrimonium amisisse & recuperasse. idem L. Iul. Calidium, quem post Lucretij, Catulique mortem multo elegantissimum poetam nostram tulisse ætatem uere uideor posse contendere, neque minus uirũ bonum, optimisque artibus eruditum, post proscriptionem equitum propter magnas eius Africanas possessiones in proscriptorũ numerum à P. Volumnio præfecto fabrũ Antonij absentẽ relatum, expediuit. quod in præsenti utrũ ei laboriosius, an glorioſius fuerit, difficile fuit iudica-

re: quòd & in eorũ periculis non secus absentes, quàm præsentes amicos Attico esse curæ, cognitum est. Neque uero minus ille uir, & bonus ~~paterfamilias~~ habitus est, quàm ciuis: nam cùm esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus ædificator: neque tamen non in primis bene habitauit, omnibúsq; optimis rebus usus est: nam domum habuit in colle Quirinali Pamphilianam ab auunculo hereditate relictam, cuius amœnitas non ædificio, sed silua constabat: ipsum enim tectum antiquitus constitutum plus salis, quàm sumptus habebat: in quo nihil commutauit, nisi siquidem uetustate coactus est. Vsus est familia, si utilitate iudicãdum est, optima, si forma, uix mediocri: nanq; in ea erant pueri literatissimi, anagnostæ optimi, & plurimi librarij: ut ne pedisequus quidẽ quisquam esset, qui non utrũque horum pulchre facere posset: pari modo artifices cæteri quos cultus domesticus desiderat, apprime boni: neque tamen horũ quenquam, nisi domi natum, domíque factum habuit: quod est signum non solum continentiæ, sed etiã diligentiæ: nam & non intemperanter concupiscere, quod à pluribus uideas, continẽtis debet duci: & potius diligentia, quàm pretio parare, non mediocris est industriæ. Elegans, non magnificus: splẽdidus, nõ sumptuosus, omni diligentia munditiã non affluentem affectabat. Supellex modica, non multa, ut in neutrã partem cõspici posset. Nec præteribo, quanquã nonnullis leue uisum iri putem, cum in primis lautus esset eques Romanus, & non parũ liberaliter in domũ suam omnium ordinum homines inuitaret, ~~scimus~~ nõ amplius quàm terna millia æris peræque in singulos mẽses ex ephemeride eũ expẽsum sumptui ferre solitũ:

atque hoc non auditum, sed cognitum prædicamus: sæpe enim propter familiaritatẽ domesticis rebus interfuimus. nemo in conuiuio eius aliud ἀκροάμα audiuit quàm anagnosten: quod nos quidẽ iucundissimum arbitramur. neque unquam sine aliqua lectione apud eũ cœnatum est, ut non minus animo, quàm uentre conuiuæ delectarentur: nanque eos uocabat, quorum mores à suis non abhorrerent. Cum tanta pecuniæ facta esset accessio, nihil de quotidiano cultu mutauit, nihil de uitæ consuetudine: tantáque usus est moderatione, ut neque in HS uicies, quod à patre acceperat, parum se splendide gesserit: neque in HS centies affluentius uixerit, quàm instituerat: paríque fastigio steterit in utraque fortuna: nullos habuerit hortos, nullam suburbanã aut maritimam sumptuosam uillam, neque in Italia, præter Ardeatinum & Nomentanum, rusticum prædiũ. Omníque eius pecuniæ reditus constabat in Epiroticis, & urbanis possessionibus. ex quo cognosci potest, eum usum pecuniæ non magnitudine, sed ratione metiri solitum. Mendaciũ neque dicebat, neque pati poterat. itaque eius comitas non sine seueritate erat, neque grauitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis uererentur, an amarent. Quicquid rogabatur, religiose promittebat, quòd non liberalis, sed leuis arbitrabatur pollicẽri quod præstare non posset. Idem in nitendo quod semel admisisset, tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem uideretur agere. nusquam susceptí negotij eum pertesum est: suam enim existimationem in ea re agi putabat: qua nihil habebat carius. Quo fiebat, ut omnia Ciceronum, Catonis, Marcíq; Hortensij, A. Torquati, mul-

torum prætereà equitum Romanorum negotia procuraret. ex quo iudicari poterat, non inertia, sed iudicio fugisse Reip. procurationem. Humanitatis uero nullum afferre maius testimonium possum, quàm quòd adolescens idem seni Sullæ fuerit iucundissimus, senex adolescenti M. Bruto, cum æqualibus autem suis Q. Hortensio, & M. Cicerone sic uixerit, ut iudicare difficile sit, cui ætati fuerit aptissimus. quanquam eum præcipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit, aut familiarior. ei rei sunt indicio, præter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in uulgus sunt editi, sexdecim uolumina epistolarum ab Cõsulatu eius usque ad extremum tempus ad Atticũ missarum: quæ qui legat, non multum desideret historiam contextam eorum temporum: sic enim omnia de studijs principum, uitijs ducum, æmulationibus Reip. perscripta sunt, ut nihil in his non appareat, & facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse diuinationem. non enim Cicero ea solum, quæ uiuo se acciderũt, futura prædixit, sed etiam quæ nunc usu ueniunt, æcinit ut uates. De pietate autem Attici quid plura commemorem? cum hoc ipsum uere gloriantem audierim in funere matris suæ, quam extulit annorum nonaginta, cum esset septem & sexaginta, se nunquam cũ matre in gratiam redijsse, nunquam cum sorore fuisse in simultate, quam propè ætate æqualẽ habebat: quod est signum, aut nullam unquam inter eos querimoniã intercessisse, aut hunc ea fuisse in suos indulgentia, ut quos amare deberet, iratã eis nefas duceret. neque id fecit natura solum (quanquam omnes ei paremus) sed etiam doctrina: nam & principum philosophorũ ita

partium 58 16

perœpta habuerat præcepta, ut his ad uitam agendam, non ad ostentationem uteretur. Moris etiam maiorum summus imitator fuit, antiquitatisque amator: quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo uo lumine exposuerit, quo magistratus ornauit. nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populo Ro. quæ non in eo suo tempore sit notata & quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum uirorum propagines possimus cognoscere. Fecit hoc idem separatim in aliis libris, ut M. Bruti rogatu Iuniam familiam à stirpe ad hanc ætatem ordine enumerauerit, notans qui à quoque ortus, quos honores, quibúsq; temporibus cepisset. pari modo Marcelli Claudij de Marcellorum, Scipionis Cornelij, & Fabij Maximi Fabiorum, & AEmeliorum. quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum uirorum. Attigit quoque poeticen, credimus, ne eius expers esset suauitatis. nanque uersibus, qui honore, rerúmque gestarum amplitudine cæteros Ro. populi præstiterũt, exposuit, ita, ut sub singulorũ imaginibus facta, magistratúsque eorum non amplius quaternis, quinísque uersibus descripserit: quod uix credendum sit, tantas res, tam breuiter potuisse declarari. Est etiam unus liber Græce confectus de consulatu Ciceronis. Hactenus Attico uiuo edita à nobis sunt. Nunc quoniam fortuna nos superstites ei esse uoluit, reliqua persequemur: & quantum potuerimus, rerum exemplis lectores doebimus, sicut supra significauimus, suos cuique mores plerunque conciliare fortunam. nanque hic contentus ordine equestri, quo erat ortus, in affinitatem peruenit imperato-

ris diui Iulij filij, cum iam antè familiaritatem eius es set consecutus nulla alia re, quàm elegantia uitæ, qua cæteros cæperat principes ciuitatis dignitate pari, fortuna humiliores : tanta enim prosperitas Cæsarem est consecuta, ut nihil ei non tribueret fortuna, quod cuiquam antè detulerit, & conciliarit, quod eius Romanus quiuit consequi. Nata autem est Attico neptis ex Agrippa, cui uirginem filiam collocauit. hanc Cæsar uix anniculam T. Claudio Neroni Drusilla nata priuigno suo despondit. quæ coniunctio necessitudinē eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem. Quanuis ante hæc sponsalia non solū cū ab Vrbe abesset, nūquam ad suorū quenquam literas misit, quin Attico mitteret, quid ageret in primis, quid legeret, quibusque in locis, & quādiu esset moraturus. sed & cū esset in Vrbe, & propter suas infinitas occupationes minus sæpe, quàm uellet, Attico frueretur, nullus dies temere interæssit, quo non ad eum scriberet, quo aliquid de antiquitate ab eo requireret, modo aliquā quæstionem poeticam ei proponeret, interdum iocans eius uerbosiores elicæret epistolas. Ex quo accidit, cum ædes Iouis Feretrij in Capitolio ab Romulo constituta, uetustate, atque incuria detecta prolaberetur, ut Attici admonitu Cæsar eam reficiendam curaret. neque uero à M. Antonio minus absens literis colebatur, adeo ut accurate ille exul tum his terris, quid ageret, quid curæ sibi haberet, certiorem faceret Atticum. Hoc quale sit, facilius existimabit is, qui iudicare poterit, quantæ sit sapientiæ eorū retinere usum, beneuolentiámque, inter quos maximarum rerum non solum æmulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam fuit intercedere

ex ultimu

necesse inter Cæsarem atque Antonium, cum se uterque principem non solum urbis Romanæ, sed orbis terrarum esse cuperet. Tali modo cum septem & septuaginta annos complesset, atque ad extremam senectutem non minus dignitate, quàm gratia fortunáque creuisset (multas enim hereditates nulla alia re, quàm bonitate consecutus) tantáque prosperitate usus esset ualetudinis, ut annis XXX medicina non indiguisset: nactus est morbum, quem initio & ipse, & medici contempserunt: nam putarunt esse tenasmon, cui remedia celeria faciliáque proponebantur. In hoc cum tres mẽses sine ullis doloribus, præterquam quos ex curatione capiebat, consumpsisset, subito tãta uis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistulã putris eruperit. Atque ~~hoc prius quàm~~ ei accideret, postquam in dies dolores acrescere, febrésque ac cessisse sensit, Agrippam generum ad se accersiri iussit, & cum eo L. Cornelium Balbum, Sextúmque Peducæum. Hos ut uenisse uidit, in cubitum nixus, Quantã inquit, curam, diligentiámque in ualetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, cum uos testes habeã, nihil opus est pluribus uerbis commemorare. quibus quoniã, ut spero, satis feci, me nihil reliqui fecisse quod ad sanandum me pertineret: reliquum est ut egomet mihi consulam. Id uos ignorare nolui: nam mihi stat, alere morbum desinere: nanque his diebus quicquid cibi sumpsi, ita produxi uitam, ut auxerim dolores sine spe salutis. Quare à uobis peto, primum ut consiliũ probetis meum: deinde ne frustra dehortando conemini. Hac oratione habita tanta constantia uocis, atque uultus, ut non ex uita, sed ex domo in domum uidere-

Antea quidem morbi diuturnitatem molestè ferebat, priusquàm hoc

uero

M.

Tacit.

tur migrare: cum quidem Agrippa eum flens, atque osculans oraret atque obsecraret, ne ad id quod natura cogeret, ipse quoque sibi accelleraret: & quoniã tum quoque posset temporibus supersse, se sibi, suisque reseruaret: preces eius taciturna sua obstinatione depressit. Sic cum biduũ cibo se abstinuisset, subito febris decessit, leuiorque morbus esse cœpit. tamen propositum nihilo secius peregit. Itaque die quinto postquam id consilium inierat, prid. Cal. Apr. Cn. Domitio, C. Sosio Coss. decessit. Elatus est in lecticula, ut ipse præscripserat: sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima uulgi frequentia. Sepultus est iuxta uiam Appiam ad quintum lapidem in monimento Q. Cæcilij auunculi sui.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD BRVTVM LIBER.

CICERO BRVTO S.

LODIVS Trib. pl. designatus ualde me diligit, uel, ut ἐμφατικώτερον dicam, ualde me amat. Quod cum mihi ita persuasum sit, non dubito (bene enim me nosti) quin illum quoque iudicæs à me amari. nihil enim mihi minus hominis uidetur, quàm non respondere in amore ijs, à quibus prouocære. is mihi usus est suspicari, nec sine magno quidem dolore, aliquid à suis, uel per suos potius inimicos ad te esse delatum, quo tuus animus à se esset alienior. Non soleo mi Brute (quod tibi notum esse arbitror) temere affirmare de altero: est enim periculosum propter occultas hominum uoluntates, multiplicésque naturas. Clodij animum perspectum habeo, cognitum, iudicatum: multa eius indicia, sed ad scribendum non necessaria: uolo enim hoc testimonium tibi uideri potius, quàm epistolæ. auctus Antonij beneficio est, eius ipsius beneficij magna pars à te est. Itaque eum saluis nobis uellet saluum. In eum autem locum rem adductam intelligit (est enim, ut scis, minime stultus) ut utrique salui esse non possint. Itaque nos maxime de te uero amicissime & loquitur, & sentit. quare, si quis secus ad te de eo scripsit, aut si coràm locutus est, peto à te etiam atque etiam, mihi ut potius credas,

L. Clodius

et

inimicos

qui & facilius iudicare possum, quàm ille nescio quis, & te plus diligo. Clodium tibi amicissimum existima, ciuémque talem, qualis & prudentissimus, & fortuna optima esse debet.

CICERO BRVTO S.

SCRIPTA & obsignata iam epistola, literæ mihi redditæ sunt à te, plenæ rerum nouarum, maximéque mirabiles: Dolabellã quinque cohortes misisse in Cherrhonesum. Adeóne cõpijs abundat, ut is, qui ex Asia fugere dicebatur, Europam appetere cõnetur? quinque autem cohortibus quid sesnam facturũ arbitratus est, cum tu eo quinque legiones, optimum equitatum, maxima auxilia haberes? quas quidem cohortes spero iam tuas esse, quoniam latro ille tam fuit demens. Et tuum cõsilium uehementer laudo, quòd non prius tuũ exercitum Apollonia Dyrrhachióque mouisti, quàm de Antonij fuga audisti, Bruti eruptione, Populi Ro. uictoria. Itaque quòd scribis, postea statuisse te ducere exercitum in Cherrhonesum, nec pati scæleratissimo hosti ludibrio esse imperiũ Populi Ro. facis ex tua dignitate, & è Rep. Quòd scribis de seditione quæ facta est in legione quarta de Antonijs: quod dicam, in bonam partem accipias: magis mihi probatur militum seueritas, quàm tua. Te beneuolentiã exercitus, equitũque expertum esse, uehemẽter gaudeo. De Dolabella, ut scribis, si quid habes noui, facies me certiorem. in quo ualde delector, me ante prouidisse, ut tuum iudicium liberum esset cum Dolabella belli gerendi: & id ualde pertinuit, ut ego tum intelligebam, ad Remp. ut nunc iudico, ad dignitatem tuam. Quòd scribis me maximo

·maximè mirabile·b·

&·b·

ex·b·

&·b·

magno·b·

odio egisse,ut insectarer Antonios,idque laudas:credo ita uideri tibi:sed illam distinctionem tuam nullo pacto probo:scribis enim acrius prohibenda bella ciuilia esse,quàm in superatos iracundiam exercendam. Vehementer à te Brute dissentio:neque clementiæ tuæ concedo:sed salutaris seueritas uincit inanem speciem clementiæ. Quòd si clementes esse uoluerimus,nunquam deerunt bella ciuilia.Sed de hoc tu uideris.De me possum idē, quod Plautinus pater in Trinumo, Mihi quidē ætas acta fermè est, tua istuc refert maxime. Opprimemini(mihi crede)Brute,nisi prouideritis:neq; enim populū semper eūdem habebitis,neque senatū,neque senatus ducē. Hæc ex oraculo Apollinis Pythij edita tibi puta.nihil potest esse uerius. XIIII. Cal. Maij.

otio · b · spem · b · 1 · 555. dictum · b · Maias · b · pro gloriosissima esse.

CICERO BRVTO S.

e · b ·

NOSTRAE res meliori loco uidebantur: scripta enim ad te certo scio quæ gesta sunt. Quales tibi sæpe scripsi Cōsules,tales extiterunt.Cæsaris uero pueri mirifica indoles uirtutis. utinam tam facile eum florentem & honoribus, & gratia regere ac tenere possimus,quàm facile adhuc tenuimus. Est omnino illud difficilius,sed tamen non diffidimus: persuasum est enim adolescēti, & maxime per me, eius opera nos esse saluos. Et certe,nisi is Antoniū ab Vrbe auertisset,perūssent omnia. Triduo uero,aut quatriduo antè hanc rē pulcherrimā, timore quodā perculsa ciuitas tota ad te se cum cōiugibus, & liberis effundebat. eadem recreata ad XII. Cal. Maij, te huc uenire, quàm se ad te ire malebat. Quo quidē die magnorum meorū laborū,multarúmq; uigiliarum fructū cepi maximum, si modo est aliquis et · b ·

fructus ex solida, uerâque gloria. nam tantæ multitudinis, quantam capit urbs nostra, concursus est ad me factus. ea cum usque in Capitolium deductus, maximo clamore, atque plausu in rostris collocatus sum. Nihil est in me inane: neque enim debet. Sed tamen omniũ ordinum consensus, gratiarum actio, gratulatióque me commouet, propterea quòd popularem me esse in populi salutæ præclarũ est. Sed hæc te malo ab alijs audire. Me uelim de tuis rebus, consiliỹsque facias diligentissime certiorem: illúdque consideres, ne tua liberalitas dissolutior uideatur. Sic sentit senatus, sic populus R. nullos unquã hostes digniores omni supplicio fuisse, quàm eos ciues, qui hoc bello contra patriam arma ceperunt. Quos quidem ego omnibus sententijs ulciscor, & persequor omnibus bonis approbantibus. Tu quid de hac re sentias, tui iudicij est. ego sic sentio, trium fratrũ (antoniorũ) unam, & eandem esse causam. Consules duos, bonos quidẽ, sed duntaxat bonos, amisimus. Hircius quidẽ in ipsa uictoria occidit, cum paucis diebus magno prælio antè uicisset. Nã Pansa fugerat uulneribus acceptis, quæ ferre non potuit. Reliquias hostiũ Brutus persequitur, & Cæsar. Hostes autẽ omnes iudicati, qui M. Antonij sectam secuti sunt. Itaq; id S.C. plerique interpretantur etiã ad tuos siue captiuos, siue deditios pertinere. Equidẽ nihil differri durius cũ nominatim de C. Antonio decernerẽ, quòd ita statuerã, à te cognoscere causam eius senatũ oportere. X. Cal. Maij.

BRVTVS CICERONI S.

QVANTA sim lætitia affectus cognitis rebus Bruti nostri, & Consulũ, facilius est tibi existimare, quàm

mihi scribere. cum alia laudo & gaudeo accidisse, tum quòd Bruti eruptio non solum ipsi salutaris fuit, sed etiam maximo ad uictoriam adiumento. Quòd scribis, trium Antoniorum unam, atque eandem causam esse: quid ego sentiam, mei iudicij esse: statuo nihil, nisi hoc, senatus, aut populi R. iudicium esse de ijs ciuibus qui pugnantes non interierint. At hoc ipsum inquies, inique facis, qui hostilis animi in Rẽp. homines ciues appelles. Immo iustissime: quod enim nondũ senatus cœnsuit, nec populus R. iussit, id arroganter non præiudico, neque reuoco ad arbitriũ meum. Illud quidem non muto, quòd ei, quẽ me occidere res non coegit, neque crudeliter quicquã eripui, neque dissolutæ quicquam remisi, habuique in mea potestate, quoad bellũ fuit. Multo quidem honestius iudico, magísque quod concedere possit Resp. miserorum fortunã non insectari, quàm infinitã tribuere pótẽtibus, quæ cupiditatem, & arrogantiam incendere possint. Qua in re Cicero uir optime, ac fortissime, mihíq; merito & meo nomine, & Reip. carissime, nimis credere uideris spei tuæ: statímque, ut quisq; aliquid recte fecerit, omnia dare, ac permittere: quasi non liceat traduci ad mala cõsilia corruptum largitionibus animũ. Quæ tua est humanitas, æquo animo te moneri patieris, præsertim de cõmuni salutẽ: facies tamen quod tibi uisum fuerit: etiã ego, cum me docueris. Nunc Cicero, nunc agendum est, ne frustra oppressum esse Antoniũ gauisi simus, neu semper primi ciuisque mali excidẽdi causa sit, ut aliud renascatur illo peius. Nihil iam neque opinãtibus, aut patiẽtibus nobis aduersi euenire potest, in quo non cũ omniũ culpa, tũ præcipue tua futura sit, cuius tantã au-

^ mihi

atque

necopinantibus

ctoritatem senatus, ac populus R. non solum esse patitur, sed etiam cupit, quanta maxima in libera ciuitate unius esse potest: quam tu non solum bene sentiendo, sed etiam prudenter tueri debes. Prudentia porrò quæ tibi superest, nulla abs te desideratur, nisi modus in tribuendis honoribus. Alia omnia sic abunde adsunt, ut cum quolibet antiquorum comparari possint tuæ uirtutes. Vnum hoc grato animo, liberalique profectũ, cautiorem ac moderatiorẽ liberalitatem desiderat: nihil enim senatus cuiquam dare debet quod male cogitantibus exemplo, aut præsidio sit. Itaque timeo de Consulatu, ne Cæsar tuus altius se ascendisse putet decretis tuis, quàm inde, si Consul factus sit, descensurum. Quòd si Antonius ab alio relictum regni instrumentum occasionem regnandi habuit: quonam animo fore putas, siquis auctore non tyranno interfecto, sed ipso senatu putat se imperia quælibet concupiscere posse? Quare tum & facilitatem, & prouidentiam laudabo tuam, cum exploratum habere cœpero Cæsarem honoribus, quos acceperit, extraordinarijs fore contentum. Alienæ igitur, inquies, culpæ me reum faciesʔ subiciesb Prorsus alienæ, si prouideri potuit ne existeret. quod vtb utinam inspectare possis timorem de illo meum. His literis scriptis, te Consulem factum audiuimus. Tum uero incipiam proponere mihi Remp. iustam, & iam suis nitentem uiribus, si istuc uidero. Filius ualet, & in Macedoniã cum equitatu præmissus est. Idibus Maijs, ex castris.

CICERO BRVTO S.

AD V. Cal. Maij, cum de ijs qui hostes iudicati sunt bello

perſequẽdis ſententiæ dicerentur, dixit Seruilius etiam de Ventidio, & ut Caſſius perſequeretur Dolabellam. Cui cum eſſem aſſensus, decreui hoc amplius, ut tu, ſi arbitrarere utile fore, éque Rep. eſſe, perſequerere Dolabellã bẽllo: ſi minus id cõmodo Reip. facere poſſes, ſiue non exiſtimares è Rep. eſſe, ut in iſdẽ locis exercitũ contineres. Nihil honorificẽtius potuit facere ſenatus, quàm ut tuũ eſſet iudiciũ, quid tibi maxime cõducere Reip. uideretur. Equidem ſic ſentio, ſi manũ habet, ſi caſtra, ſi ubi conſiſtat uſpiam, Dolabella: ad fidem, & ad dignitatem tuã pertinere, eum perſequi. De Caſſij noſtri cõpijs nihil ſciebamus: neque enim ab ipſo ullæ literæ: neque nuntiabatur quicquam, quod pro ærto haberemus. Quãtopere autẽ interſit opprimi Dolabellã, profecto intelligis, tum ut ſceleris pœnas perſoluat, tum ne ſit quò ſe latronum duces ex Mutinenſi fuga conferãt. Atque hoc mihi iam antè placuiſſe, potes ex ſuperioribus meis literis recordari. quãquam tum & fugæ portus erat in tuis caſtris, & ſubſidiũ ſalutis in tuo exercitu. Quo magis nunc liberati (ut ſpero) periculis, in Dolã bella opprimendo occupati eſſe debemus. Sed hæc cogitabis diligentius, ſtatues ſapienter: facies nos, quid conſtitueris, & quid agas (ſi tibi uidebitur) ærtiores. Ciceronem noſtrum in ueſtrum collegium cooptari uolo. Exiſtimo omnino abſentium rationem ſacerdotum comitijs poſſe haberi: nam etiã factum eſt antea. C. enim Marius, cum in Cappadocia eſſet, lege Domitia factus eſt Augur: nec, quo minus id poſtea liceret, ulla lex ſanxit. Eſt etiã in lege Iulia, quæ lex eſt de ſacerdotijs proxima, his uerbis, QVI PETIT, CVIVSVE RATIO HABEBITVR. aperte indicat poſſe

ex. b

in te. b

libertati

rationem haberi etiã non præsentis. Hac de re scripsi ad eum, ut tuo iudicio uteretur, sicut in reb⁹ omnibus. Tibi autem statuendum est de Domitio, & de Catone nostro. sed quanuis licæat absentis rationem haberi, tamen omnia sunt præsentibus faciliora. Quòd si statueris in Asiã tibi eundũ, nulla erit ad comitia nostros accersendi facultas. Omnino Pansa uiuo cæleriora omnia putabamus: statim enim collegã sibi subrogasset: nisi deinde ante prætoria sacerdotũ comitia fuissent. Nũc per auspicia lõgam moram uideo: dum enim unus erit patricius magistratus, auspicia ad patres redire non possunt. Magna sanè perturbatio. Tu tota de re quid sentias, uelim me facias certiorem. III. Non. Maij.

BRVTVS CICERONI S.

NOLI expectare dum tibi gratias agam. Iampridem hoc ex nostra necessitudine, quæ ad summã beneuolẽtiam peruenit, sublatum esse debet. Filius tuus à me abest: in Macedonia cõgrediemur. iussus est enim Ambraciam ducere equites per Thessaliam: & scripsi ad eum, ut mihi Heracleam occurreret. Cum eum uidero (quoniam nobis permittis) communiter constituemus de reditu eius ad petitionem, aut ad cõmendationem honoris. Tibi Glycona medicum Pansæ, qui sororem Achilleos nostri in matrimonio habet, diligẽtissime cõmendo. Audimus eum ueniisse in suspicionem Torquato de morte Pansæ, custodirique ut parricidam. Nihil minus credẽdum est: quis enim maiorem calamitatem morte Pansæ accepit? præterea est modestus homo, & frugi, quẽ ne utilitas quidẽ uideatur impulsura fuisse ad facinus. Rogo te, & quidẽ ualde rogo, (nam Achil-

leus noſter non minus, quàm æquum eſt, laborat) eripias eum ex cuſtodia, conſeruéſque: hoc ego ad meum officium priuatarum rerum æque, atque ullam aliam rem, pertinere arbitror. Cum has ad te ſcriberem literas, ab Satrio legato C. Trebonij reddita eſt mihi epiſtola, à Tullio & Deiotaro Dolabellam cæſum, fugatúmque eſſe. Græcam epiſtolam tibi miſi Cycherei cuiuſdam ad Satrium miſſam. Flauius noſter de cõtrouerſia, quam habet cum Dyrrhachinis hereditariam, ſumpſit te iudicem. Rogo te Cicero, & Flauius rogat rem conficias. Quin ei, qui Flauium fecit heredem, pecuniam debuerit ciuitas, non eſt dubium, neque Dyrrhachini inficiantur, ſed ſibi donatum æs alienum à Cæſare dicunt. Noli pati, à neceſſarijs tuis neceſſario meo iniuriam fieri. XVII. Cal. Iun. ex caſtris, ad imam Candauiam. xiiii candocimam

BRVTVS CICERONI S.

BIBVLVS quàm carus mihi eſſe debeat, nemo melius iudicare poteſt, quàm tu, cuius tantæ pro Rep. contentiones, ſolicitudineſque fuerunt. Itaque uel ipſius uirtus, uel noſtra neceſſitudo debet conciliare te illi quo minus multa mihi ſcribenda eſſe arbitror. uoluntas enim te mouere debet noſtra, ſi modo iuſta eſt, aut pro officio neceſſario ſuſcipitur. In Panſæ locum petere conſtituit. Eam nominationem à te petimus. Neque coniunctiori dare beneficium, quàm nos tibi ſumus: neque digniorem nominare potes, quàm Bibulum. De Domitio & Apuleio quid attinet me ſcribere, cum ipſi per ſe tibi commendatiſſimi ſint? Apuleium uero tu tua auctoritate ſuſtinere debes. Sed Apuleius in ſua

L Bibulus 6
te

epistola celebrabitur. Bibulum noli dimittere ex sinu tuo, tantum iam uirum, ex quanto (crede mihi) potest euadere, qui uestris paucorum respondeat laudibus.

CICERO BRVTO S.

comendam ∧ maxime

MVLTOS tibi cõmendo, & cõmendem necesse est: optimus enim quisque uir, & ciuis, sequitur iudiciũ tuum: tibique omnes fortes uiri nauare operã & studiũ uolunt: nec quisquam est quin ita existimet, meam apud te & gratiã, & auctoritatem ualere plurimum. Sed C. Nasennium municipem Suessanum tibi ita cõmendo, ut neminem diligentius. Cretensi bello Metello imperatore octauum principem duxit. postea in re familiari occupatus fuit. Hoc tempore cum Reip. partibus, tum tua excellenti dignitate cõmotus, uellet per te aliquid auctoritatis assumere. Fortem uirum Brutę tibi cõmendo, frugi hominem, &, siquid ad rem pertinet, etiam locupletem. Pergratum mihi erit, si eum ita tractaris, ut merito tuo mihi gratias agere possit.

CICERO BRVTO S.

FVNGERER officio, quo tu functus es in meo luctu, teque per literas consolarer, nisi scirem ijs remedijs, quibus meum dolorem tu leuasses, te in tuo non egere: ac uelim facilius, quàm tunc mihi, nunc tibi tute

medicare b. aut medeare. est enim alienũ tãto uiro, ut es tu, quod alteri

|| quantus b. præceperit, id ipsum facere non posse. Me quidem cum rationes, quas collegeras, tum auctoritas tua à nimio mœrore deterruit. cũ enim mollius tibi ferre uiderer, quàm deceret uirũ, præsertim eũ qui alios cõsolari soleret, accusasti me per literas grauioribus uerbis, quàm

tua consuetudo ferebat. itaque iudicium tuum magni æstimans, idque ueritus, me ipse collegi: & ea quæ didiceram, legeram, acceperam, grauiora duxi tua auctoritate addita. ac mihi tum Brutæ officio solũ erat & naturæ, tibi nunc populo & scenæ (ut dicitur) seruiẽdum est: nam cum in te nõ solum exercitus tui, sed omnium ciuium, ac penè gẽtium coniecti oculi sint, minime decet, propter quẽ fortiores cæteri sumus, eum ipsum animo debilitatum uideri. Quam ob rem accepisti tu quidem dolorem (id enim amisisti, cui simile in terris nihil fuit) & est dolendum in tam graui uulnere, ne id ipsum carere omni sensu doloris sit miserius, quàm dolere: sed, ut modicè cæteris utile est, tibi necesse est. Scriberem plura, nisi ad te hæc ipsa nimis multa essent.

Nos te, tuúmque exercitũ expectamus: sine quo, ut reliqua ex sententia succedant, uix satis liberi uidemur fore. De tota Rep. plura scribã, & fortasse iam certiora ijs literis, quas Veteri nostro cogitabam dare.

CICERO BRVTO S.

NVLLAS adhuc à te literas habebamus, ne famã quidem, quæ declararet, te, cognita senatus auctoritate, in Italiam adducere exercitum: quod ut faceres, idque maturares, magnopere desiderabat Resp. ingrauescit enim in dies inteſtinum malum, nec externis hostibus magis, quàm domesticis laboramus: qui erant omnino ab initio belli, sed facilius frangebãtur. erectior senatus erat, certior. b non sententijs solum nostris, sed etiam cohortationibus excitatus: erat in senatu satis uehemens, & acer Pansa, cum in cæterõs huius generis, tum maxime in socerum, cui Cõsuli non animus ab initio, non fides ad extremũ

defuit. Bellũ ad Mutinam gerebatur, nihil ut in Cæsare reprehenderes, nonnulla in Hircio. huius belli fortuna, ut in secundis, fluxa: ut in aduersis, bona. erat uictrix Resp. cæsis Antonij copijs, ipso expulso à Bruto. deinde ita multa peccata, ut quodammodo uictoria excideret è manibus. perterritos, inermes, saucios non sunt nostri duces persecuti: datúmque Lepido tempus est, in quo leuitatem eius sæpe perspectam, maioribus in malis experiremur. sunt exercitus boni, Sed rudes Bruti, & Planci. sunt fidelissima, & maxima auxilia Gallorum: sed Cæsarẽ meis consilijs adhuc gubernatum, præclara ipsum indole, admirabilique constantia, improbissimis literis quidam, fallacibúsque interpretibus, ac nuntijs impulerũt in spem certissimã Consulatus. quod simul atque sensi, neque ego illum absentem literis monere destiti, nec accusare præsentes eius necessarios, qui eius cupiditati suffragari uidebantur: nec in senatu sceleratissimorum consiliorũ fontes aperire dubitaui. nec uero ulla in re memini aut senatum meliorẽ, aut magistratus. nunquã enim in honore extraordinario potentis hominis, uel potentissimi potius (quandoquidem potentia iam in ui posita est, & armis) accidit ut nemo Tribunus pl. nemo alio magistratu, nemo priuatus auctor existeret. Sed in hac constantia, atque uirtute, erat tamen solicita ciuitas. illudimur enim Brutæ cum militum delicijs, tum imperatoris insolentia. tantum quisque in Rep. posse postulat, quantum habet uirium. non ratio, non modus, non lex, non mos, non officiũ ualet, non iudicium, non existimatio ciuium, non posteritatis uerecundia. Hæc ego multo antè prospiciens fugiebã ex Italia, tum, cum me uestrorum edictorum fama reuocauit.

incitaſti uero tu me Brutæ Veliæ. quanquam enim dolebam in eam me Vrbem ire, quam tu fugeres, qui eam liberauiſſes, quod mihi quoque quondam acciderat periculo ſimili, caſu triſtiore: perrexi tamen, Romámque perueni, nullóque præſidio quatefeci Antonium, contráque eius arma nefanda, præſidia, quæ oblata ſunt, Cæſaris conſilio, & auctoritate firmaui. Qui ſi ſteterit idem, mihiq; paruerit, ſatis uidemur habituri præſidij: ſi nauté impiorũ conſilia plus ualuerint, quàm noſtra, aut imbecillitas ætatis non potuerit grauitatem rerum ſuſtinere, ſpes omnis eſt in te. Quamobrem aduola obſecro, atque eam Remp. quam uirtute, atque animi magnitudine magis, quàm euentis rerum liberaſti, exitu liberabis. omnis omnium concurſus ad te futurus eſt. Horta re idẽ per literas Caſſium. ſpes libertatis nuſquam, niſi in ueſtrorum caſtrorum præſidijs eſt. Firmos omnino & duces habemus ab occidente, & exercitus. Hoc adoleſcentis præſidium equidẽ adhuc firmum eſſe confido, ſed ita multi labefactãt, ut ne moueatur, interdum extimeſcam. Habes totum Reip. ſtatum, qui quidẽ tum erat, cum has literas dabam. uelim deinceps meliora ſint. ſin aliter fuerit, (quod Dij omen auertant) Reip. uicem dolebo, quæ immortalis eſſe debeat. mihi quidem quantulum reliqui eſt?

incitaſti 6 — videbitur 6 — liberaſti 6 — principis 6 — ſunt 6

BRVTVS CICERONI S.

VETERIS Antiſtij talis animus eſt in Remp. ut non dubitẽ quin, in Cæſare, & Antonio ſe præſturus fuerit acerrimum propugnatorem communis libertatis, ſi occaſioni potuiſſet occurrere: nam qui in Achaia cõgreſſus, P. Dolabella milites, atque equites habente, quod-

uis adire periculũ ex insidijs paratissimi ad omnia latronis maluerit, quàm uideri aut coactus esse pecuniã dare, aut libenter dedisse homini nequissimo, atque improbissimo, is nobis ultro pollicitus est, & dedit XX HS ex sua pecunia, &, quod multo carius est, seipsum obtulit, & coniunxit. huic persuadere cœpimus, ut imperator in castris remaneret, rémque publicam defenderet. statuit eundum sibi, quoniam exercitum dimisisset: statim uero rediturum ad nos confirmauit legatione sua sœpta, nisi Prætorum comitia habituri essent Consules: nam illi ita sentienti de Rep. magnopere auctor fui, ne differret tempus petitionis suæ. cuius factum omnibus gratum esse debet, qui modo iudicarint hunc exercitum esse Reip. tibi tanto gratius, quanto maiore animo, gloriáque libertatem nostram defendis, & dignitatem: si contigerit nostris consilijs exitus quem optamus, perfunctúrus es. Ego etiam mu Cicero proprie, familiaritérque te rogo, ut Veterem ames, uelísque esse quamamplissimum: qui etsi nulla re deterreri à proposito potest, tamen excitari tuis laudibus, indulgentiáque poterit, quo magis amplexetur, ac tueatur iudicium suum. & mihi gratissimum erit.

CICERO BRVTO.

ETSI daturus eram Messalæ Coruino continuo literas, tamen Veterem nostrum ad te sine literis meis uenire nolui. Maximo in discrimine Resp. Brute uersatur, uictoréque rursus decertare cogimur. id accidit M. Lepidi scelere, & amentia. quo tempore cum multa propter eam curam, quam pro Rep. susceperam, grauiter ferrem, tum nihil tuli grauius, quàm me non posse ma-

teris tuæ precibus cedere, non sororis. nam tibi (quod mihi plurimi est) facile me satisfacturum arbitrabar. nullo enim modo poterat causa Lepidi distingui ab Antonio, omniúmque iudicio etiam durior erat, quòd, cum honoribus amplissimis à senatu esset Lepidus ornatus, tum etiam paucas antè diebus præclaras literas ad senatum misisset, repente non solum recepit reliquias hostium, sed bellum acerrimum terra, marique gerit: cuius exitus qui futurus sit, mœrtum est. Itaque cum rogamur ut misericordiam liberis eius impertiamus, nihil affertur, quo minus summa supplicia, si mimia b. (quod Iuppiter omen auertat) pater puerorum mœrit, subeunda nobis sint. Nec uero me fugit, quàm sit acerbum, parētum scelera filiorum pœnis luu. Sed hoc præclare legibus comparatum est, ut caritas liberorum amiciores parentes Reip. redderet. Itaque Lepidus crudelis in liberos, non is qui Lepidum hostem iudicat. atq; ille, si armis positis de ui damnatus esset, quo in iudicio certe defensionem non haberet, eandē calamitatem subirent liberi bonus publicatis. quanquam quod tua mater & soror deprecatur pro pueris, idipsum, & multa alia crudeliora nobis omnibus Lepidus, Antonius, & reliqui hostes denuntiant. Itaque maximam spem hoc tempore habemus in te, atque exercitu tuo. cum ad Reip. summam, tū ad gloriam, & dignitatem tuam uehementer pertinet te in Italiam, ut antè scripsi, uenire quamprimum: eget enim uehementer tum uiribus tuis, cum b tum etiam cōsilio Resp. Veterē pro eius erga te beneuolentia, singularique officio libenter ex tuis literis complexus sum, eúmque cum tui, tum Reip. studiosissimum, amantissimúmque cognoui. Ciceronem meum propediē,

ut spero, uidebo: tecum enim illum, & te in Italiam celeriter esse uenturum confido.

BRVTVS CICERONI S.

DE M. Lepido uereri me cogit reliquorum timor: qui si eripuerit se nobis (quod uelim temere atque iniurioſe de illo ſuſpicati ſint homines) oro atque obſecro te Cicero, neceſſitudinem noſtram, tuámque in me benẽuolentiam obtẽſtans, ſororis meæ liberos, obliuiſcaris eſſe Lepidi filios, méque his in patris locum ſucceſſiſſe exiſtimes. hoc ſi à te impetro, nihil profecto dubitabis pro his ſuſcipere. Aliter alij cum ſuis uiuunt: nihil ego poſſum in ſororis meæ liberos facere, quo poſſit expleri uoluntas mea, aut officium. quid uero aut mihi tribuere boni poſſunt, ſi modo digni ſumus, quibus aliquid tribuatur: aut ego matri, ac ſorori, puerique illis præſtaturus ſum, ſi nihil ualuerit apud te, reliquúmque ſenatum contra patrẽ Lepidum Brutus auunculus? Scribere multa ad te neque poſſum præ ſolicitudine, ac ſtomacho, neque debeo. nam ſi in tanta re, támque neceſſaria uerbis mihi opus eſt ad te excitandum, & confirmandum, nulla ſpes eſt facturum te quod uolo, & quod oportet. Quare noli expectare lõgas preces: intuere me ipſum, qui hoc à te uel à Cicerone coniunctiſſimo homine priuatim, uel à conſulari tali uiro remota neceſſitudine priuata impetrare debeo. Quid ſis facturus, uelim mihi quam primũ reſcribas. Cal. Quint. ex caſtris.

CICERO BRVTO S.

BREVES tuæ literæ: breues dico? immo nullæ. tribúiſne uericulis his temporibus Brutus ad me? nihil

scripsissem potius. & requiris meas. Quis unquam ad te tuorum sine meis uenit? quæ autem epistola non pō dus habuit? quæ si ad te perlatæ non sunt, ne domesticas quidem tuas perlatas arbitror. Cicæroni scribis te longiorem daturum epistolam. recte id quidem: sed hæc quoque debuit esse plenior. Ego autem, cum ad me de Cicæronis abs te discessu scripsisses, statim extrusi tabellarios, literásque ad Cicæronem: ut etiam si in Italiam uenisset, ad te rediret. nihil enim mihi iucundius, nihil illi honestius. quanquam aliquotiēs ei scripseram, sacerdotum comitia mea summa contentione in alterum annum esse reiecta: quod ego cum Cicæronis causa elaborauí, tum Domitij, Catonis, Lentuli, Bibulorum: quod ad te etiam scripseram. sed uidelicet, cum illam pusillam epistolam tuam ad me dabas, nondum erat tibi id notum. Quare omni studio à te mi Brute contendo, ut Cicæronem meum ne dimittas, tecúmque adducas: quod ipsum, si Remp. cui susceptus es, respicis, tibi iam iámque faciendum est: renatum enim bellum est, idque non paruo scelere Lepidi. exercitus autem Cæsaris, qui erat optimus, non modo nihil prodest, sed etiam cogit exercitum tuum flagitari: qui si Italiam attigerit, erit ciuis nemo (quem quidem ciuem appellari fas sit) qui se non in tua castra conferat. etsi Brutum præclare cum Planco coniunctum habemus. Sed non ignoras quàm sint incerti animi hominum, & infecti partibus, & exitus præliorum. quin etiam si, ut spero, uicerimus, tamen magnam gubernationem tui consilij, tuæque auctoritatis res desiderabit. Subueni igitur per Deos, idque quamprimum. tibi persuade, non te Idibus Martijs, quibus seruitutem à tuis ciuibus repulisti, plus

profuisse patriæ, quàm si mature ueneris, profuturum. II. Id. Quint.

CICERO BRVTO S.

MESSALAM habes. quibus igitur literis tam accuratè scriptis assequi possum, subtilius ut explicem, quæ gerantur, quæque sint in Rep. quàm tibi is exponet, qui & optimè omnia nouit, & elegantissimè expedire, & deferre ad te potest? caue enim existimes Brute (quanquã non est necesse ea me ad te, quæ tibi nota sunt, scribere: sed tamen tantam omnium laudum excellétiam non queo silentio præterire) caue puræs, probitate, constantia, cura, studio Reip. quicquam illi esse simile: ut eloquentia, qua mirabiliter excellit, uix in eo locum ad laudandum habere uideatur. quãquam in hac ipsa sapientia plus apparet: ita grauí iudicio, multáque arte se exercuit in ueriſſimo genere dicendi. tanta autem industria est, tantúmque euigilat in studio, ut non maxima ingenio, quod in eo summum est, gratia habenda uideatur. sed prouehor amore: non enim id propositum est huic epistolæ Messalam ut laudem, præsertim ad Brutum, cui & uirtus illius non minus quàm mihi nota est, & hæc ipsa studia, quæ laudo, notiora. quem cum à me dimittens grauiter ferrem, hoc leuabar uno, quòd ad te tanquam ad alterum me proficiscens, & officio fungebatur, & laudem maximam sequebatur. sed hæc hactenus. Venio nunc, longo sanè intervallo, ad quandam epistolam, qua mihi multa tribuens, unum reprehendebas, quòd in honoribus deærnendis essem nimius, & tanquam prodigus. tu hoc: alius fortasse, quòd in animaduersione pœnáq; durior:

nisi fortasse utrũque tu. quod si ita est, utriusque rei, meũ iudicium tibi cupio esse notissimum: neque solum ut Solonis dictum usurpem, qui & sapiens unus fuit ex sẽptem, & legum scriptor solus ex septem. is Remp. duabus rẽbus cõtineri dixit, præmio, & pœna. est scilicet utriusque rei modus, sicut reliquarum, & quædam in utroque genere mediocritas. Sed non tanta de re proposítum est hoc loco disputare. Quid ego autẽ secutus hoc bello sim in sententijs dicendis, alienum nõ puto aperire. Post interitũ Cæsaris, & uestras memorabiles Idus Martias, Brute, quid ego prætermissum à uobis, quantámque impendere Reip. tempestatem dixerim, non es oblitus. magna pestis erat depulsa per uos, magna populi R. macula deleta, uobis uero parta diuina gloria: sed instrumentum regni delatum ad Lepidum, & Antonium: quorum alter mœnstantior, alter impurior, uterque pacem metuens, inimicus otio. His ardentibus perturbandæ Reip. cupiditate quod opponi posset præsidium, non habebamus. erexerat enim se ciuitas in retinenda libertate cõsentiens. nos tum nimis acres: uos fortasse sapientius excessistis urbe ea, quã liberaratis: Italiæ sua uobis studia profitenti remisistis. Itaque cum teneri Vrbem à parricidis uiderem, nec te in ea, nec Cassium tuto esse posse, eámque armis oppressam ab Antonio: mihi quoque ipsi esse excœdendum putaui. tetrum enim spectaculum, oppressa ab impijs ciuitas, opitulandi potestate præcisa. sed animus idem, qui semper infixus in patriæ caritate, discessum ab eius periculis ferre non potuit. Itaq; in medio Achaico cursu, cum Etesiarum diebus auster me in Italiam, quasi dissuasor mei consilij retulisset, te uidi Veliæ, doluique

uehementer. cædebas enim Brute, cædebas, quoniã Stoici uestri negant fugere sapientis. Romam ut ueni, statim me obtuli Antonij sceleri, atque dementiæ. quem cum in me incitauissem, consilia mire cœpi, Brutina planè, (uestri enim hæc sunt propria sanguinis) Reip. liberandæ. Longa sunt quæ restant, prætereunda: sunt enim de me. tantum dico, Cæsarem hunc adolescentem, per quem adhuc sumus, si uerum fateri uolumus, fluxisse ex fonte consiliorum meorum. Huic habiti à me honores, nulli quidem Brutæ, nisi debiti, nulli nisi necessarij. ut enim primum libertatem reuocare cœpimus, cum se nondum ne Decimi quidem Bruti diuina uirtus ita commouisset, ut iam id scire possemus, atque omne præsidium esset in puero, qui à cæruicibus nostris auertisset Antonium, quis honos ei non fuit decernendus? quanquam ego illi tum uerborum laudem tribui, eámque modicam. decreui etiam imperium: quod quanquam uidebatur illi ætati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium. quid enim est sine imperio exercitus? Statuam Philippus decreuit, celeritatem petitionis primo Seruius, pòst maiorem etiam Seruilius. nihil tum nimium uidebatur. sed nescio quomodo facilius in timore benigni, quàm in uictoria grati reperimur. ego enim D. Bruto liberato, cum lætissimus ille ciuitati dies illuxisset, idémque casu Bruti natalis esset, decreui, ut in fastis ad eum diem Bruti nomen ascriberetur: in eóque sum maiorũ exemplum secutus, qui hunc honorem mulieri Larentiæ tribuerunt, cuius sacra Pontifices ad aram in Velabro facere soleti. quòd ego cum dabam Bruto, notam esse in fastis gratissimæ uictoriæ sempiternam memo-

riam uolebam. atque illo die cognoui paulo plures in senatu malèuolos esse, quàm gratos. eos per ipsos dies effudi(si ita uis)honores in mortuos Hircium,& Pansam, Aquilam etiam: quod quis reprehendit, nisi qui, deposito metu,præteriti periculi fuerit oblitus? accedebat ad beneficij memoriam gratam ratio illa, quæ etiam posteris posset esse salutaris; extare enim uolebam in crudelissimos hostes monimenta odij publici sempiterna. Suspicor illud minus tibi probari, quod ab tuis familiaribus optimis illis quidem uiris, sed in Rep. rudibus non probatur, quòd, ut ouanti introire Cæsari liceret, decreuerim. Ego autem(sed erro fortasse: nec tamen is sum, ut mea me maxime delectent)nihil mihi uideor hoc bello sensisse prudentius. cur autem ita sit, aperiendum nõ est: ne magis uidear prouidus fuisse, quàm gratus. Hoc ipsum nimium: quare alia uideamus. D. Bruto decreui honores, decreui L. Planco. præclara illa quidem ingenia, quæ gloria inuitantur: sed senatus etiam sapiens, qui, qua quenque re putat, modo honesta, ad Remp. iuuandam posse adduci, hac utitur. At in Lepido reprehendimur: cui cum statuã in rostris statuissemus, ijdem illam euertimus. nos illum honore studuimus à furore reuocare: uicit amentia leuissimi hominis nostram prudentiam. nec tamen tantum in statuenda Lepidi statua factum est mali, quantum in euertenda boni. satis multa de honoribus.

Nunc de pœna pauca sunt dicenda: intellexi enim ex tuis sæpe literis, te in ijs, quos bello deuicisti, clementiam tuam uelle laudari. existimo equidem, nil à te nisi sapienter: sed sceleris pœnam prætermittere(id enim est, quod uocatur ignoscere)etiam si in cæteris re-

bus tolerabile est, in hoc bello pernicioſum puto. nullū enim bellum ciuile fuit in noſtra Rep. omnium, quæ memoria mea fuerunt, in quo bello non, utracunque pars uicisset, tamen aliqua forma esset futura Reip. hoc bbello uictores quam Remp. ſimus habituri, non facile affirmarim: uictis certe nulla unquam erit. Dixi igitur ſententias in Antonium, dixi in Lepidum ſeueras: neque tam ulciſcendi cauſa, quàm ut & in præſens ſceleratos ciues timore ab impugnanda patria deterrerē, & in poſterum documentum ſtatuerem, nequis talem amentiam uellet imitari. quanquam hæc quidem ſententia non magis mea fuit, quàm omnium. in qua uidetur illud esse crudele, quòd ad liberos, qui nihil meruerunt, pœna peruenit. ſed id & antiquum eſt, & omnium ciuitatum: ſiquidem etiam Themiſtoclis liberi egerunt. Et ſi iudicio damnatos eadem pœna ſequitur ciues, quid potuimus leniores esse in hoſtes? quid autem queri poteſt quiſquam de me, qui, ſi uicisset, acerbiorem ſe in me futurum fuiſſe confiteatur, necesse eſt? Habes rationem mearum ſententiarum, de hoc genere duntaxat honoris, & pœnæ: nam de cæteris rebus quid ſenſerim, quidq; cenſuerim, audiſſe te arbitror. ſed hæc quidem non ita neceſſaria. Illud ualde neceſſarium Brute, te in Italiam cum exercitu uenire quam- quid b primum: ſumma eſt expectatio tui: qui ſi Italiam attigeris, ad te concurſus fiet omnium. ſiue enim uicerimus (qui quidem pulcherrime uiceramus, niſi Lepidus perdere omnia, & perire ipſe cum ſuis concupiuiſſet) tua nobis auctoritate opus eſt ad collocandum aliquem ciuitatis ſtatum, ſiue etiam nunc certamen reliquum eſt, maxima ſpes eſt cum in auctoritate tua, tum in ex-

ſummis b

ercitus tui uiribus. sed propera per Deos: scis enim & 6
quantum sit in temporibus, quantum in celeritate.
Sororis tuæ filijs quàm diligenter consulam, spero te ex
matris & ex sororis literis cogniturum. qua in causa
maiorem habeo rationem tuæ uoluntatis, quæ mihi ca- habebo. 6.
rissima est, quàm, ut quibusdã uideor, constantiæ meæ.
Sed ego nulla in re malo, quàm te amando constans &
esse & uideri. &

BRVTVS CICERONI S.

PARTICVLAM literarum tuarum, quas misisti
Octauio, legi, missam ab Attico mihi. studium tuum, cu
ráque de salute mea nulla me noua uoluptate affecit:
non solum enim usitatum, sed etiam quotidianum est, & est. 6.
aliquid audire de te, quod pro nostra dignitate fideli-
ter, atque honorifice dixeris, aut feceris. At dolore, quã-
tum animo maximũm capere possum, eadem illa pars
epistolæ scriptæ ad Octauium de nobis affecit: sic e-
nim illi gratias agis de Rep. tam suppliciter, ac demis
se (quid scribam? pudet conditionis, ac fortunæ: sed ta-
men scribendum est: commendas nostram salutem illi,
quæ morte qua non pernicioſior?) ut prorsus præ te
feras non sublatam dominationem, sed dominum com-
mutatum esse. uerba tua recognosce, & aude negare
seruentis aduersus Regem istas esse preces. Vnum ais
esse, quod ab eo postuletur, & expectetur, ut eos ciueis,
de quibus uiri boni, populúsque R. bene existimet, salu-
os uelit. quid si nolit? non erimus? atque nõ esse, quàm
esse per illum, præstat. Ego mediusfidius non existimo
tã omneis Deos auersos esse à salute populi R. ut Octa-
uius orandus sit pro salute cuiusquãm ciuis, non di-

cam pro liberatoribus orbis terrarum: iuuat enim magnifice loqui, & certe decet aduersus ignorantes quid pro quoque timendum, aut à quoque petendũ sit. Hoc tu Cicero posse fateris Octauium, & illi amicus es: aut, si me carum habes, uis Romæ uideri, cum, ut ibi esse possem, commendãdus puero illi fuerim? cui quid agis gratias, si, ut nos saluos esse uelit, & patiatur, rogandum putas? an hoc pro beneficio est habendum, quòd se, quàm Antonium, esse maluerit, à quo ista petenda essent? uindici quidem alienæ dominationis, non uicario, ecquis supplicat ut optime meritis de Rep. licæat esse saluis? Ista uero imbecillitas, & desperatio, cuius, culpa non magis in te residet, quàm in omnibus aliis, & Cæsarem in cupiditatem regni impulit, & Antonio post interitum illius persuasit, ut interfecti locum occupare conaretur, & nunc puerum istum extulit, ut tu iudicares precibus esse impetrandam salutem talibus uiris, misericordiáque unius uix etiam nunc uiri tutos fore nos, haud ulla alia re. Quòd si Romanos nos esse meminissemus, non audacius dominari cuperent postremi homines, quàm id nos prohiberemus: neque magis irritatus esset Antonius regno Cæsaris, quàm ob eiusdem mortem deterritus. Tu quidem consularis, & tantorum scelerum uindex (quibus oppressis, uereor ne in breue tempus dilata sit abs te pernicies) qui potes intueri quæ gesseris, simul & ista uel probare, uel ita demisse, ac facile pati, ut probantis speciẽ habeas? Quod autem tibi cum Antonio priuatum odiũ? nempe quia postulabat hæc, salutem abs se peti precariam, nos incolumitatem habere, à quibus ipse libertatem accepisset: esse arbitrium suum de Rep. Quæ

renda esse arma putasti, quibus dominari prohibere-& tur: scilicet ut illo prohibito rogaremus alterum, qui se in eius locum reponi pateretur, an ut esset sui iuris, ac mancipij Resp? nisi forte non de seruitute, sed de conditione seruiendi recusatum est à nobis. Atqui non solum bono domino potuimus Antonio tolerare nostram fortunam, sed etiam beneficijs, atque honoribus ut participes frui quantis uellemus. quid enim neget ijs quorum patientiam uideret maximum suæ dominationis præsidium esse? sed nihil tanti fuit, quo uenderemus fidem nostram, & libertatem. Hic ipse puer, quem Cæsaris nomen incitare uidetur in Cæsaris interfectores, quanti existimet (si sit commercio locus) posse nobis auctoribus tantum, quantum profecto poterit, quoniam uiuere, & pecunias habere, & dici consulares uolumus? Cæterum necquicquam perierit ille: cuius interitu quid gauisi sumus, si mortuo nihilo minus seruituri eramus? nulla cura adhibetur. Sed mihi prius omnia Dij, Deæque eripuerint, quàm illud iudicium, quo non modo heredi eius, quem occidi, non concesserim, quod in illo non tuli, sed ne patri quidem meo, si reuiuiscat, ut patiente me plus legibus, ac senatu possit. An hoc tibi persuasum est, fore cæteros ab eo liberos, quo inuito nobis in ista ciuitate locus non sit? qui porrò id, quod petis, fieri potest ut impetres? rogas enim, uelit nos saluos esse. uidemur ergo tibi salutem accepturi, cum uitam acceperimus? quam, si prius dimittimus dignitatem, & libertatem, qui possumus accipere? an tu Romæ habitare, id putas incolumem esse? res, non locus, oportet præstet istuc mihi. neque incolumis fui Cæsare uiuo, nisi postquam illud consciu fa-

cinus: neque usquam exul esse possum, dum seruire, & pati contumelias, peius odero malis omnibus alijs. Nõ-
ne hoc est in easdem tenebras recidisse, cum ab eo, qui tyranni nomen asciuit sibi (cum in Græcis ciuitatibus liberi tyrannorum, oppressis illis, eodem supplicio afficiantur) petitur ut uindices, atque oppressores dominationis salui sint? Hãc ego ciuitatem uidere uelim, aut putem ullam, quæ ne traditam quidem, atque inculcatam libertatem recipere possit: pluísque timeat in puero nomen sublati Regis, quàm confidat sibi, cum illum ipsum, qui maximas opes habuerit, paucorum uirtute sublatum uideat? Me uero posthac ne commendaueris Cæsari tuo, ne te quidẽ ipsum, si me audies. ualde care
æstimas tot annos, quot ista ætas recipit, si propter eã causam puero isti supplicaturus es. Deinde, quod pulcherrime feci sti, ac facis in Antonium, uide ne conuertatur à laude maximi animi ad opinionem formidinis: nam si Octauius tibi placet, à quo de nostra salute petendum sit, non dominum fugisse, sed amiciorem dominum quæsisse uideberis. quem quòd laudas ob ea quæ adhuc fecit, planè probo: sunt enim laudanda, si modo contra alienam potentiam, non pro sua suscepit eas actiones. cum uero iudicas tantum illi non modo licere, sed etiam à te ipso tribuendum esse, ut rogandus sit, ne nolit esse nos saluos: nimium magnam meredẽ statuis. id enim ipsum illi largiris, quod per illum habere uidebatur Resp. neque hoc tibi in mentem uenit, si Octauius ullis dignus sit honoribus, quia cum Antonio bellum gerat, ijs qui illud malum exciderint, cuius istæ reliquiæ sunt, nihil, quo expleri possit eorum meritum, tributurum unquam populum R. si omnia

simul congesserit. At uide,quanto diligentius homines metuant,quàm meminerint, quia Antonius uiuat,atque in armis sit. De Cæsare uero quod fieri potuit,ac debuit,transactum est, neque iam reuocari in integrũ potest. Octauius is est, qui quid de nobis iudicaturus sit,expectet populus R? nos ij sumus,de quorum salute unus homo rogandus uideatur? Ego uero (ut istuc reuertar) is sum,qui non modo non supplicem, sed etiam cœrcam postulanteis,ut sibi supplicetur:aut longe à seruitutibus abero, mihique esse iudicabo Romam, ubicunque liberum esse licebit:ac uestri miserebor,quibus nec ætas,neque honores,neque uirtus aliena dulcedinem uiuendi minuere potuerit. Mihi quidem ita beatus esse uidebor, si modo constanter ac perpetuo placebit hoc consiliũ, ut relatam putem gratiam pietati meæ. quid enim est melius,quàm memoria rectè factorum, & libertate contentum negligere humana? Sed certe non succumbam succumbentibus, nec uincar ab ijs qui se uinci uolunt, experiárque & tentabo omnia,neque desistam abstrahere à seruitio ciuitatem nostram. Si secuta fuerit,quæ debet, fortuna, gaudebimus omnes:sin minus,ego tamẽ gaudebo.quibus enim potius hæc uita factis, aut cogitationibus traducatur, quàm ijs,quæ pertinuerint ad liberandos ciues meos? Te Cicero rogo atq; hortor,ne defatigere, neu diffidas, semper in præsentibus malis prohibendis futura quoque, nisi ante sit occursum, explores,ne se insinuent. fortem, & liberum animum,quo & Consul,& nunc consularis Remp. uindicasti,sine constantia & æquabilitate nullum esse putaris: fateor enim duriorem esse conditionem spectatæ uirtutis,quàm incognitæ. Be-

NN.i.

ne facta pro debitis exigimus: quæ si aliter eueniunt, ut decepti ab his, infesto animo reprehendimus. Itaque resistere Antonio Ciceronem, etsi magna laude dignum est: tamen quia ille Cõsul hunc consularem merito præstare uidetur, nemo admiratur. Idem Cicero, si flexerit aduersus alios iudicium suum, quod tanta firmitate ac magnitudine direxit in exturbando Antonio, non modo reliqui temporis gloriam eripuerit sibi, sed etiam præterita euanescere coget (nihil enim per se amplum est, nisi in quo iudicij ratio extat) quia neminem magis decet, quàm te, Remp. amare, libertatisque defensorẽ esse, uel ingenio, uel rebus gestis, uel studio, atque efflagitatione omnium. Quare non Octauius est rogandus ut uelit nos saluos esse: magis tute excusita, ut eam ciuitatem, in qua maxima gessisti, liberam atque honestam fore putes, si modo sint populo duces ad resistendum improborum consilijs.

Brutus Attico S.

SCRIBIS *mihi mirari Ciceronem, quòd nihil significem unquam de suis actis. quoniam efflagitas, coactu tuo scribam quæ sentio. Omnia fecisse Ciceronem optimo animo scio: quid enim mihi exploratius esse potest, quàm illius animus in Rempᵐ? sed quædam mihi uidetur, quid dicam imperitæ, uir omnium prudentissimus, an ambitiose fecisse, qui ualentissimum Antonium susciperet pro Rep. non dubitauit inimicum? Nescio quid scribam tibi, nisi unum, pueri & cupiditatem & licentiam potius esse irritatam, quàm repressam à Cicerone: tantúmque eum tribuere huic indulgentiæ, ut se maledictis non abstineat, ijs quidem quæ in ipsum*

dupliciter recidunt, quòd & plures occidit uno, seque prius oportet fateatur sicarium, quàm obijciat Cascæ quod obijcit, & imitatur in Casca Bestiam. An, quia non omnibus horis iactamus Idus Martias, similiter atque ille Nonas Decembreas suas in ore habet, eo meliore conditione Cicero pulcherrimum factum uituperabit, quàm Bestia, & Clodius reprehendere illius Consulatum soliti sunt? Sustinuisse mihi gloriatur bellum Antonij togatus Cicero noster. quid hoc mihi prodest, si merces Antonij oppressi poscitur in Antonij locum successio? & si iuuendex illius mali auctor extitit alterius, fundamentum, & radices habituri altiores, si patiamur? ut iam ista quæ facit, non dominationem, non, sed dominum Antonium timentis sint. Ego autem gratiam non habeo, siquis, dum ne irato seruiat, rem ipsam non deprecatur. Immo triumphus, & stipendium decernitur, & omnibus decretis ornatur. Pudeat eos respicere fortunam, cuius nomen suscepérit. Consularis hoc, an Ciceronis est? Quoniam tacere non licuit, leges quæ tibi necesse est molesta esse. etenim ipse sentio, quanto cum dolore hæc ad te perscripserim: nec ignoro quid sentias in Repub. & quam desperatam quoque sanari putes posse. Nec mehercule te Atticæ reprehendo: ætas enim, mores, liberi, segnem efficiunt: quod quidem etiam ex Flauio nostro perspexi. Sed redeo ad Ciceronem Quid inter Saluidienum & eum interest? quid autem amplius ille decerneret? Timet, inquies, etiam nunc reliquias belli ciuilis. Quisquam ergo ita timet profligatum, ut neque potentiam eius qui exercitum uictorem habeat, neque temeritatem pueri putet extimescendam esse? An hoc ipsum ea re facit, quòd

illi propter amplitudinem omnia iam, ultróque deferẽda putat? O magnam stultitiã timoris, id ipsum quod uereare, ita cauere, ut cum uitare fortasse potueris, ultro accersas & attrahas. nimium timemus mortem, & exilium, & paupertatem. Hæc mihi uidentur Ciceroni ultima esse in malis: & dum habeat à quibus impetret quæ uelit, & à quibus cõlatur ac laudetur, seruitutem, honorificam modo, non aspernatur, si quicquam in extrema ac miserrima contumelia potest honorificum esse. Licet ergo patrem appellet Octauius Ciceronem, referat omnia, laudet, gratias agat: tamen illud apparebit, uerba rebus esse contraria. quid enim tam alienum ab humanis sensibus est, quàm eum patris habere locõ, qui ne liberi quidem hominis numero sit? Atqui eò tendit, id agit, ad eum exitum properat uir optimus, ut sit illi Octauius propitius. Ego uero iam ijs artibus nihil tribuo, quibus scio Ciceronem instructissimum esse: quid enim illi prosunt, quæ pro libertate patriæ de dignitate, quæ de morte, exilio, paupertate scripsit copiosissime? Quanto autem magis illa callere uidetur Philippus, qui priuigno ninus tribuerit, quàm Cicero qui alieno tribuat? Designat igitur gloriando etiam insectari dolores nostros: quid enim nostra, uictum esse Antonium, si uictus est ut alij uacaret quod ille obtinuit? tametsi tuæ literæ dubia etiã nunc significant. Viuat hercule Cicero qui potest, supplex & obnoxius, si neque ætatis, neque honorum, neque rerum gestarum pudet. Ego certe, qui cum ipsa res bellum geram, hoc est cum regnõ & imperijs extraordinarijs, & dominatione & potentia, quæ supra leges se esse uelit, nulla erit tam bona conditio seruiendi,

qua non deterrear, quamuis sit uir bonus, ut scribis, Antonius: quod ego nunquam existimaui. Sed dominum ne parentem quidem maiores nostri uoluerunt esse. Te nisi tantum amare, quantum Ciceroni persuasum est diligi ab Octauio, hæc ad te non scripsissem. Dolet mihi, quòd tu non stomacharis amantissimus tum tuorum omnium, tum etiam Ciceronis. Sed persuade tibi de uoluntate propria mea nihil esse remissum, de iudicio largiter: neque enim impetrari potest, quin quale quicque uideatur ei, talem quisque de illo opinionem habeat. Vellẽ mihi scripsisses, quæ conditiones essent Atticæ nostræ. potuissem tibi aliquid de meo sensu perscribere. Valẽtudinẽ Porciæ meæ tibi curæ esse non miror. denique quod petis, faciam libenter: nam etiam sorores me rogant: & hominem noro, & quid sibi uoluerit.

M. T. C. MARCO BRVTO S.

CVM sæpe te literis hortatus essem ut quamprimum Reip. subuenires, in Italiámque exercitum adduceres, neque id arbitrarer dubitare tuos necessarios: rogatus sum à prudentissima & diligentissima fœmina matre tua, cuius omnes curæ ad te referuntur, & in te consumuntur, ut uenirem ad se ad VIII Cal. Sext. quod ego, ut debui, sine mora feci. Cum autem uenissem, Casca aderat, & Labeo, & Scaptius. At illa retulit, quæsiuitque quidnam mihi uideretur, abscederemusne te, atque tibi id conducere putaremus, an tardare & commorari te melius esset. Respondi id quod sentiebam, & dignitati & existimationi tuæ maxime conducere, te primo quoque tempore ferre præsidium labenti

& inclinatæ Reip. quid enim abesse censes mali in eo bello, in quo victores exercitus fugientem hostem persequi noluerunt? & in quo incolumis imperator, honoribus amplissimis, fortunisque maximis, coniuge, liberis, uobis affinibus ornatus, bellum Reip. indixerit? Quid dicam, in tanto senatus, populique consensu, cum tantum resideat intra muros mali? Maximo autem, cum hæc scribebam, afficiebar dolore, quod cum me pro adolescentulo, ac penè puero Resp. accepisset eadem, uix uidebar quod promiseram præstare posse. Est autem grauior & difficilior animi & sententiæ, maximis præsertim in rebus, pro altero, quàm pecuniæ, obligatio: hæc enim solui potest, & est rei familiaris iactura tolerabilis: Reip. quod spopõderis, quemadmodum solues, nisi is depẽdi facile patitur, pro quo spoponderis? Quanquam & hũc (ut spero) tenebo multis repugnantibus: uidetur enim in eo esse indoles, sed flexibilis ætas: multique ad deprauandũm parati, qui splẽdore falsi honoris obiecto, aciem boni ingenij perstringi posse confidunt. Itaque ad reliquos hic quoque labor mihi accessit, ut omneis adhibeam machinas ad tenendum adolescentem, ne famam subeam temeritatis. Quanquam quæ temeritas est? magis enim illum, pro quo spopondi, quàm me obligaui. Nec uero pœnitere potest Remp. me pro eo spopondisse, qui fuit in rebus gerendis tum suo ingenio, tum mea promissione constantior. Maximus autem (nisi me forte fallit) in Rep. nodus est inopia rei pecuniariæ: obdurescunt enim magis quotidie boni uiri ad uocem tributi, quod ex centesima collatum impudenti censu locupletum in duarum legionum præmijs omne consumitur. Impen-

dent autem infiniti sumptus tum in hos exercitus qui cum·b·
bus nunc defendimur, tum uero in tuum·nam Cassi-
us noster uidetur posse satis ornatus uenire. Sed &
hæc, & multa alia coràm cupio, idque quamprimum.

De sororis tuæ filijs, non expectam Brute, dum scri
beres. Omnino iam tempora (bellum enim duœtur) ipsa·b·
integram tibi causam reseruant. Sed ego à principio,
cum diuinare de belli diuturnitate non possem, ita cau
sam egi puerorum in senatu, ut te arbitror è matris
literis potuisse cognoscere. Nec uero ulla res erit un-
quam, in qua ego non uel uitæ periculo ea dicam, eá-
que faciam quæ te uelle, quæque ad te pertinere arbi-
tror. Vale. V I. Cal. Sext.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD Q. FRATREM LIBER I.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

ETSI *non dubitabam quin hanc epistolam multi nuntij, fama denique esset ipsa sua celeritate superatura, tuque ante ab alijs auditurus esses, annum tertium accessisse desiderio nostro, & labori tuo: tamen existimaui à me quoque tibi huius molestiæ nuntium perferri oportere. nam superioribus literis, non unis, sed pluribus, cum iam ab alijs desperata res esset, tamẽ ego tibi ſpẽm maturæ dẽcessionis afferebam, non solum ut quamdiutissime te iucunda opinione oblectarem, sed etiã quia tanta adhibebatur & à nobis, & à Prætoribus contentio, ut rẽ posse confici non diffiderem. Nũc, quoniam ita accidit ut neque Prætores suis opibus, neq; nos nostro studio quicquam proficere possemus, est omnino difficile non grauiter id ferre: sed tamen nostros animos maximis in rebus gerendis & sustinendis exercitatos, frangi & debilitari molestia non oportet. & quoniã ferre eas mo lestissime homines debent, quæ ipsorũ culpa contracta sunt: est quiddam in hac re mihi molestius ferẽdum, quàm tibi: factum est enim mea culpa, cõtra quàm tu mecum & proficiscens, & per literas egeras, ut priore anno non succederetur. quod ego, dũ sociorũ saluti consulo, dum impudentiæ nonnullorũ negotiatorum resi-*

sto, dum nostram gloriã tua uirtute augeri expeto, feci non sapienter: præsertim cum id commiserim, ut ille alter annus etiã tertium posset adducere. Quod quoniã peccatum meum esse confiteor, est sapientiæ atque humanitatis tuæ curare & perficere, ut hoc minus sapiẽter à me prouisum, diligentia tua corrigatur. ac si te ipse uehementius ad omneis parteis bene audiendi excitaris, non ut cum alijs, sed ut tecum iam ipse certes, si omnem tuam mentem, curã, cogitationem, & excellẽtem omnibus in rebus laudis cupiditatẽ incitaris: mihi crede, unus annus additus labori tuo, multorum annorum lætitiam nobis, gloriam uero etiam posteris nostris afferet. Quapropter hoc te primum rogo, ne contrahas ac aut dẽmittas animum, néue te obrui tanquam fluctu sic magnitudine negotij sinas, contráque erigas ac resistas, siue etiam ultro occurras negotijs: neque enim eiusmodi partem Reipub. geris, in qua fortuna dominetur, sed in qua plurimum ratio possit, & diligentia. Quòd si tibi bellum aliquod magnum & periculosum administranti prorogatum imperium uiderem, tremerem animo, quòd eodem tempore esse intelligerẽ etiam fortunæ potestatem in nos prorogatam. Nunc uero ea pars tibi Reipub. commissa est, in qua aut nullam aut perexiguam partem fortuna tenet, & quæ mihi tota in tua uirtute ac moderatione animi posita esse uideatur. Nullas (ut opinor) insidias hostiũ, nullam prælij dimicationem, nullam defectionẽ sociorum, nullam inopiam stipendij aut rei frumentariæ, nullam seditionem exercitus pertimescimus, quæ persæpe sapiẽtissimis uiris acciderunt, ut quemadmodum gubernatores optimi uim tempestatis, sic illi fortunæ impetum superare non

possent. Tibi data est summa pax, summa trãquillitas, ita tamen ut ea dormientem gubernatorem uel obruere, uigilantem etiam delectare possit. constat enim ea prouincia primum ex eo genere sociorum, quod est ex hominum omni genere humanissimum: deinde ex eo genere ciuium, qui aut quòd publicani sunt, nos summa necessitudine attingunt, aut quòd ita negotiantur ut locupletes sint, nostri Consulatus beneficio se mœlumes fortunas habere arbitrantur. At enim inter hos ipsos existunt graues controuersiæ, multæ nascuntur iniuriæ, magnæ contentiones consequũtur. Quasi uero ego id putem, non te aliquantum negotij sustinere. intelligo permagnum esse negotium, & maximi consilij. Sed memento consilij me hoc negotium esse magis aliquanto, quàm fortunæ putare. quid est enim negotij, continere eos quibus præsis, si te ipse contineas? Id autem sit magnum & difficile cæteris, sicut est difficillimum: tibi & fuit hoc semper facillimũ, & uerè esse debuit, cuius natura talis est ut etiã sine doctrina uideatur moderata esse potuisse: ea autẽ adhibita doctrina est quæ uel uitiosissimam naturam excolere possit. Tu cum pecuniæ cum uoluptati, cum omnium rerũ cupiditati resistes, ut facis: erit, credo, periculũ ne improbum negotiatorem, paulo cupidiorem publicanum comprimere non possis. nam Græci quidem sic te ita uiuentem intuebũtur, ut quendã ex annalium memoria, aut etiam è cælo diuinum hominem esse in prouinciã delapsum putent. Atque hæc nunc non ut facias, sed ut te fecisse gaudeas scribo. præclarũ est enim summo cum imperio fuisse in Asia trienniũ, sic ut nullũ te signum, nulla pictura, nullũ uas, nulla uestis, nullum mancipium,

ũ præsidũ nomẽ manauit

accolere b

de

picturam b

nulla forma cuiusquam, nulla conditio pecuniæ (quibus rebus abundat ista prouincia) ab summa integritate continentiáque deduxerit. Quid autẽ reperiri tam eximium, aut tam expetendum potest, quàm istam uirtutem, moderationem animi, temperantiam non latere in tenebris, neque esse abditam, sed in luce Asiæ, in oculis clarissimæ prouinciæ, atque in auribus omnium gentium ac nationum esse positam: non itineribus tuis perterreri: homines non sumptu exhauriri, non aduentu commoueri, esse quocunque ueneris, & publicè, & priuatim maximam lætitiam: cum urbs custodem, non tyrannum, domus hospitem, non expilatorem recepisse uideatur? His autem in rebus iam te usus ipse profecto erudiuit nequaquam satis esse, ipsum hasce habere uirtutes, sed esse circunspiciendum diligenter, ut in hac custodia prouinciæ non te unum, sed omneis ministros imperij tui socijs, & ciuibus, & Reip. præstare uideare. quãquam legatos habes eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suæ: de quibus honore & dignitate, & ætate præstat Tubero: quem ego arbitror, præsertim cum scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere, quos uelit, & possit imitari. Hálienus autem noster cũ animo & beneuolentia, tum uero etiam imitatione uiuendi. Nam quid ego de Gratidio dicam? quem certõ scio ita laborare de existimatione sua, ut propter amorem in nos fraternum etiam de nostra laboret. Quæstorem habes non tuo iũdicio delectum, sed eum quem sors dedit. Hunc oportet & sua sponte esse moderatum, & tuis institutis & præceptis obtemperare. Quorum siquis forte esset sordidior, ferres eatenus, quoad per se negligeret eas leges,

esset quibus est adstrictus, nō ut ea potestate quā tu ad dignitatem permisisses ad quæstū abuteretur: neq; enim mihi sanè placet, præsertim cum hi mores tantum iam ad nimiā lenitatem & ambitionem inclinauerint: scrutari te omneis sordeis, excutere unumquenque eorū, sed quanta sit in quoque fides, tantum cuique committere. Atque inter hos, eos quos tibi comites & adiutores negotiorum publicorū dedit ipsa Resp. duntaxat finibus ijs præstabis, quos antè præscripsi. Quos uero aut ex domesticis coniunctoribus, aut ex necessarijs apparitoribus coniunctoribus tecum esse uoluisti, qui quasi ex cohorte Prætoris appellari solent, horum non modo facta, sed etiam dicta omnia præstanda nobis sunt. Sed habes eos tecum, quos possis recte facientes facile diligere, minus consulentes existimationi tuæ facillime coercere. à quibus, rudis cum esses, uidetur potuisse tua liberalitas decipi: nam ut quisque est uir optimus, ita difficillime esse alios improbos suspicatur. Nunc uero tertius hic annus habet integritatem eandem quam superiores, cautiorem etiam, ac diligentiorem. Sint aures tuæ, quæ id quod audiunt, existimētur audire, non in quas ficte aut simulate quæstus causa insusurretur. Sit annulus tuus non ut uas aliquod, sed tanquam ipse tu: non minister alienæ uoluntatis, sed testis tuæ. Accensus sit eo etiam numero, quo eum maiores nostri esse uoluerunt, qui hoc non in beneficij loco, sed in laboris ac muneris nō temere nisi libertis suis deferebāt, quibus illi quidem non multo secus ac seruis imperabant. Sit lictor non suæ, sed tuæ lenitatis apparitor, maioráque præferāt fasces illi ac secures dignitatis insignia, quàm potestatis. Toti denique sit prouinciæ cognitum, tibi o-

mnium quibus præsis, salutem, liberos, famam, fortunas esse carissimas. Denique hæc opinio sit, non modo ijs qui aliquid acceperint, sed ijs etiam qui dederint, te inimicum, si id cognoueris futurum. Neque uero quisquam dabit, cum erit hoc perspectum, nihil per eos qui simulant se apud te multum posse, abs te solere impetrari. Nec tamen est hæc oratio mea huiusmodi, ut te in tuos aut durum esse nimium, aut suspicionem uelim. nam siquis est eorum qui tibi biennij spatio nunquam in suspicionem auaritiæ uenerit, ut ego Cæsiũ, & Chærippũ, & Labeonem audio, & quia cognoui existimo: nihil est quod non & ijs, & siquis est alius eiusmodi, & cõmitti & credi rectissime putem. Sed siquis est in quo iam offenderis, de quo aliquid senseris: huic nihil credideris, nullã partem existimationis tuæ cõmiseris. In prouincia uero ipsa siquem es nactus qui in tuam familiaritatem penitus intrarit, qui nobis ante fuerit ignotus: huic quantum credendum sit, uide: non quin possint multi esse prouinciales uiri boni: sed hoc sperare licet, iudicare periculosum est. multis enim simulationum inuolucris tegitur, & quasi uelis quibusdam obtenditur uniuscuiusque natura: frons, oculi, uultus persæpe mentiuntur, oratio uero sæpissime. Quam obrem qui potes experire ex eo genere hominũ qui pecuniæ cupiditate adducti careant ijs rebus omnibus, à quibus nos diuulsi esse non possumus: te autem alienum hominem ament ex animo, ac non sui cõmodi causa simulẽt? Mihi quidem permagnum uidetur, præsertim si ijdem homines priuatũ non ferè quenquam, Prætores semper omneis amant. Quo ex genere siquem forte tui cognouisti amantiorem (fieri enim potuit)

quàm temporis: hunc ad tuum numerum libenter a-
scribito. sin autem id non perspicies, nullum erit genus
in familiaritate cauendum magis, propterea quòd &
omneis uias pecuniæ norunt, & omnia pecuniæ cau-
sa faciunt, & quicum uicturi non sunt, eius existima-
tioni consulere non curant. Atque etiam è Græcis i-
pſis diligenter cauendæ sunt quædam familiaritates,
præter hominum perpaucorum, siqui sunt uetere Græ
cia digni. Sic uero fallaces sunt permulti, & leues, &
diuturna seruitute ad nimiam assentationem eruditi.
quos ego uniuersos adhiberi liberaliter, optimũ quen-
que hospitio amicitiáque coniungi dico oportere. nimiæ
familiaritates eorum neque tam fideles sunt (non enim
audent aduersari nostris uoluntatibus) & inuidene
non nostris solum, uerumetiam suis. Iam qui in eius-
modi rebus, in quibus uereor etiam ne durior sim, cau
tus esse uelim ac diligens: quo me animo in seruos esse
censes? quos quidem cum omnibus in locis, tum præci-
pue in prouincijs regere debemus. Quo de genere mul
ta præcipi possunt: sed hoc & breuissimum est, & fa-
cillime teneri potest: ut ita se gerant in istis Asiaticis i-
tineribus, ut si iter Appia uia faceres: néue interesse
quicquam putent, utrum Tralles, an Formias uene-
rint. ac siquis est ex seruis egregie fidelis, sit in dome-
sticis rebus & priuatis: quæ res ad officium imperij
tui, atque ad aliquam partem Reip. pertinebunt, de ijs
rebus nequid attingat. multa enim, quæ rectè com-
mitti seruis fidelibus possunt, tamen sermonis & uitu
peratiõis uitandæ causa committenda non sunt. Sed
nescio quo pacto ad præcipiendi rationem delapsa est
oratio mea, cum id mihi propositum initio non fuisset.

quid enim ei præcipiam, quẽ ego in hoc præsertim genere intelligam prudẽtia non esse inferiorẽ, quàm me, usu uero etiam superiorem? sed tamen si ad ea quæ facere, auctoritas accederet mea, tibi ipsi illa putaui fore iucũdiora. Quare sint hæc fundamenta dignitatis tuæ, tua primum integritas & continentia, deinde omnium qui tecum sunt, pudor, delectus in familiaritatibus & prouincialium hominum & Græcorum percautus & diligens, familiæ grauis & constans disciplina. Quæ cum honesta sint in his priuatis nostris quotidianísque rationibus: in tanto imperio tam deprauatis moribus, tam corruptrice prouincia, diuina uideãtur necesse est. Hæc institutio atque disciplina potest sustinere in rebus statuendis, decernendisque eam seueritatem, qua tu in ijs rebus usus es, ex quibus nõnullas simultates cum magna mea lætitia susceptas habemus: nisi forte me Pacõnij nescio cuius, hominis ne Græci quidem, at Mysi aut Phrygis potius, querelis moueri putas, aut Thuscenij hominis furiosi ac sordidi uocibus, cuius tu ex impurissimis faucibus inhonestissimam cupiditatem eripuisti summa cum æquitate. Hæc, & cætera plena seueritatis, quæ statuisti in ista prouincia, non facile sine summa integritate sustinebimus. quare sit summa in iure dicẽdo seueritas, dummodo ea ne uarietur gratia, sed conseruetur æquabilis. Sed tamen parui refert, abs te ipso ius dici æqualiter, & diligenter, nisi idem ab ijs fiet, quibus tu eius muneris aliquam partem concesseris. Ac mihi quidem uidetur non sane magna uarietas esse negotiorum in administranda Asia, sed ea tota iurisdictione maxime sustineri. in qua scientiæ præsertim prouincialis

ratio ipsa expedita est. Constantia est adhibenda & grauitas, quæ resistat non solum gratiæ, uerum etiam suspicioni. Adiungenda etiam est facilitas in audiendo, lenitas in discernendo, in satisfaciendo, ac disputando diligentia. His rebus nuper Cn. Octauius iucundissimus fuit: apud quem primus lictor qui fuit, tacuit accensus: quoties quisque uoluit, dixit, & quàm uoluit diu. Quibus ille rebus fortasse nimis lenis uideretur, nisi hæc lenitas illam seueritatem tueretur. Cogebãtur Syllani homines, quæ per uim & metum abstulerant, reddere. qui in magistratibus iniurioſe decreuerant, eodẽ ipsis priuatis erat iure parendum. Hæc illius seueritas acerba uideretur, nisi multis condimentis humanitatis mitigaretur. Quòd si hæc lenitas grata Romæ est, ubi tanta arrogantia est, tam immoderata libertas, tam infinita hominum licentia: denique tot magistratus, tot auxilia, tanta uis, tanta senatus auctoritas: quàm iucunda tandem Prætoris comitas in Asia potest esse? in qua tanta multitudo ciuium, tanta sociorum, tot urbes, tot ciuitates unius hominis nutum intuentur: ubi nullum auxilium est, nulla conquestio, nullus senatus, nulla concio. Quare cum permagni hominis est, & ipsa natura moderati, tum uero etiam doctrina atque optimarum artium studijs eruditi, sic se adhibere in tanta potestate, ut nulla alia potestas ab ijs quibus præsit, desideretur. Cyrus ille à Xenophonte non ad historiæ fidem scriptus, sed ad effigiem iusti imperij: cuius summa grauitas ab illo philosopho cum singulari comitate coniungitur: quos quidem libros non sine causa noster ille Africanus de manibus ponere non solebat. nullum est enim prætermissum in ijs of-

ficium diligentis, & moderati imperij. Eadque si sic coluit ille, qui priuatus futurus nunquam fuit, quonam modo retinenda sunt ijs, quibus imperium ita datum est ut redderent, & ab ijs legibus datum est, ad quas reuertendum est? Ac mihi quidem uidētur huc omnia esse referenda ab ijs qui præsunt alijs, ut ij, qui eorum in imperio erunt, sint quambeatissimi: quod tibi & esse antiquissimū, & ab initio fuisse, ut primū Asiam attigisti, constante fama, atque omnium sermone celebratum est. Est autem non modo eius qui socijs, & ciuibus, sed etiam eius, qui seruis, qui mutis pecudibus præsit, eorum, quibus præsit, commodis, utilitatique seruire. Cuius quidem generis cōstare inter omnes uideo, abs te summam adhiberi diligentiam, nullum æs alienum nouum contrahi ciuitatibus, uetere autem magno, & graui multas abs te esse liberatas urbes: complures dirutas, ac penè desertas, in quibus unam Ioniæ nobilissimam, alteram Cariæ, Samum, & Halicarnassum, per te esse recreatas: nullas esse in oppidis seditiones, nullas discordias: prouideri abs te, ut ciuitates optimatium consilijs administrentur: sublata Mysiæ latrocinia, cædes multis locis repressas, pacem tota prouincia cōstitutam: neque solum illa itinerū, atque agrorum, sed multo etiam plura, & maiora oppidorum & furta, & latrocinia esse depulsa: remotam à fama & à fortunis, ab otio locupletum illam acerbissimam ministram Prætorum auaritiæ calumniam: sumptus, & tributa ciuitatum ab omnibus, qui earū ciuitatum fines incolant, tolerari æquabiliter: facillimos esse aditus ad te: patere aures tuas querelis omnium: nullius inopiā, ac solitudinem non modo illo populari accessu,

ac tribunali, sed ne domo quidem tua & cubiculo esse exclusam: tuo toto denique in imperio nihil acerbum esse, nihil crudele, atque omnia plena clementiæ, mansuetudinis, humanitatis. Quantum uero illud est beneficium tuum, quòd iniquo & graui uecligali ædilitiorum, magnis nostris simultatibus, Asiam liberasti? cum b Enimuero si unus homo nobilis queritur palàm te, quòd edixeris ne ad ludos pecuniæ decernerentur, HS CC sibi eripuisse: quanta tandem pecunia penderetur, si omnium nomine quicunque Romæ ludos facerent, quod erat iam institutum, erogaretur? Quanquam has querelas hominum nostrorum illo cõsilio oppressimus, quod in Asia nescio quonam modo, Romæ quidem non mediocri cum admiratione laudatur: quòd cũ ad templum monimentúmque nostrum ciuitates pecunias decermissent b decreuissent, cúmque id & pro magnis meis meritis, & pro tuis maximis beneficijs summa sua uoluntate fecissent: nominatimque lex exciperet ut ad templum et - monimentúmque capere licæret, cúmque id quod dabatur, non esset interiturum, sed in ornamentis templi futurum, ut non mihi potius, quàm populo R. ac Dijs immortalibus datum uideretur: tamen id in quo erat dignitas, erat lex, erat eorum qui faciebant, uoluntas, cum accipiendum non putaui tum alijs de causis, tum etiam in b ut animo æquiore ferrent ij, quibus nec deberetur, nec licæret. Quapropter incumbe toto animo, & studio omni in eam rationem qua adhuc usus es, ut eos quos tuæ fidei potestatique senatus, populúsque R. commisit & credidit, diligas, & omni ratione tueare, ut esse quambeatissimos uelis. Quòd si te sors Afris, aut Hispanis, aut Gallis præfecisset, immanibus ac barbaris

nationibus: tamen esset humanitatis tuæ consulere eorum commodis, & utilitati salutique seruire. Cum uero ei generi hominum præsimus, non modo in quo ipsa sit, sed etiam à quo ad alios peruenisse putetur humanitas: certe ijs eã potissimum tribuere debemus, à quibus accepimus. non enim me hoc iam dicere pudebit, præsertim in ea uita, atque ijs rebus gestis, in quibus non potest residere inertiæ aut lewitatis ulla suspicio, nos ea quæ consecuti sumus, ijs studijs & artibus esse adeptos, quæ sint nobis Græciæ monimentis disciplinisque traditæ. Quare præter communem fidem quæ omnibus debetur, præterea nos isti hominum generi præcipue debere uidemur, ut quorum præceptis simus eruditi, apud eos ipsos, quod ab ijs didicerimus, uelimus exprómere. Atque ille quidẽ princeps ingenij & doctrinæ Plato tum denique foresbeatas Resp. putauit, si aut docti & sapientes homines eas regere cœpissent, aut, qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent. Hanc coniunctionem uidelicet potestatis & sapientiæ saluti censuit ciuitatibus esse posse: quod fortasse aliquando uniuersæ Reip. nostræ, nunc quidem profecto isti prouinciæ contigit, ut is in ea summam potestatem haberet, cui in doctrina, cui in uirtute atque humanitate percipienda plurimum à pueritia studij fuisset & temporis. Quare cura, ut hic annus qui ad laborem tuum accessit, idem ad salutem Asiæ prorogatus esse uideatur: quoniam in te retinendo fuit Asia felicior, quàm nos in deducendo, perfice ut lætitia prouinciæ desiderium nostrum leniatur: etenim si in promerendo, ut tibi tanti honores haberentur, quanti haud scio

an nemini, fuisti omniũ diligẽtissimus, multo maiorem in his honoribus tuendis adhibere diligentiam debes. Et quidem de isto genere honorum quid sentirem, scripsi ad te ante. Sẽper eos putaui, si uulgares essent, uiles: si temporis causa constituerentur, leues: si uero (id quod ita factum est) meritis tuis tribuerentur, existimabam multam tibi in ijs tuendis operam esse ponendam. Quare, quoniam in istis urbibus cum summo imperio, & potestate uersaris, in quibus tuas uirtutes consecratas, & in Deorum numero collocatas uides: in omnibus rebus, quas statues, quas decernes, quas ages, quid tantis hominum opinionibus, tantis de te iudicijs, tantis honoribus debeas, cogitabis. Id autem erit eiusmodi, ut consulas omnibus, ut medeare incommodis hominum, prouideas saluti, ut te parentem Asiæ & dici, & haberi uelis. Atque huic tuæ uoluntati, ac diligentiæ difficultatem magnam afferunt publicani: quibus si aduersamur, ordinem de nobis optime meritum, & per nos cum Rep. coniunctum, & à nobis, & à Rep. disiungemus: sin autem omnibus in rebus obsequimur, funditus eos perire patiemur, quorum non modo saluti, sed etiam commodis consulere debemus. Hæc est una (si uere cogitare uolumus) in toto imperio tuo difficultas: nam esse abstinentem, continere omneis cupiditates, suos coercere, & iuris æquabilem tenere rationem, facilem te in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis, admittendisque præbere, præclarum magis est, quàm difficile. non est enim positum in labore aliquo, sed in quadam inductione animi, atque uoluntate. Illa causa publicanorum quantam acerbitatem afferat socijs, intelleximus ex ciuibus qui nuper in por-

torijs Italiæ tollendis non tam de portorio, quàm de nonnullis miurijs portitorum querebãtur. Quare non ignoro quid ſocijs accidat in ultimis terris, cum audi- multis .b.
uerim in Italia querelas ciuium. Hic te ita uerſari, ut & publicanis ſatis facias, præſertim publicis male redemptis, & ſocios perire non ſinas, diuinæ cuiuſdam uirtutis eſſe uidetur, id eſt tuæ. Ac primum Græcis id, et
quod æerbiſſimum eſt, quòd ſint uectigales, non ita æerbum uideri debet, propterea quòd ſine imperio populi R. ſuis inſtitutis per ſe ipſi ita fuerunt. Nomen autẽ publicani aſpernari non poſſunt, qui pẽdere ipſi uectigal ſine publicano non potuerũt, quod ijs æqualiter Sylla deſcripſerat. Non eſſe autem leniores in exigendis uectigalibus Græcos, quàm noſtros publicanos, hinc intelligi poteſt, quòd Caunij nuper omnes, ex Aqm
inſulis, quæ erant ab Sylla Rhodis attributæ, confugerunt ad ſenatum, nobis ut potius uectigal, quàm Rhodis penderent. Quare nomen publicani neque ij debẽt horrere qui ſemper uectigales fuerũt: neq; ij aſpernari qui per ſe pendere uectigal non potuerunt: neque pendere .b
ij recuſare qui poſtulauerunt. Simul & illud Aſia cogitet, nullam à ſe neque belli externi, neque diſcordiarum domeſticarum calamitatem abfuturam fuiſſe, ab
ſi hoc imperio non teneretur. Id autem imperium cum retineri ſine uectigalibus nullo modo poſſit, æquo animo partæ aliquã ſuorum fructuũ pacem ſibi ſempiternam redimat, atque otium. Quòd ſi genus ipſum, & nomen publicani non iniquo animo ſuſtinebunt, poterunt ijs conſilio, & prudentia tua reliqua uideri mitiora. Poſſunt in pactionibus faciendis non legem ſpectare cenſoriam, ſed potius commoditatem cõficien-

di negotij, & ad liberationem molestiæ. Potes etiam tu id facere, quod & feciſti egregie, & facis, ut commemores quanta ſit in publicanis dignitas, quantum nos illi ordini debeamus, ut remoto imperio, ac ui poteſtatis & faſciũ, publicanos cum Græcis gratia atque auctoritate coniungas. Sed & ab ijs de quibus optime tu meritus es, & qui tibi omnia debẽt, hoc petas, ut facilitate ſua nos eam neceſſitudinem quæ eſt nobis cum publicanis, obtinere & conſeruare patiantur. Sed quid ego te hæc hortor, quæ tu nõ modo facere potes tua ſpõte ſine cuiuſquam præceptis, ſed etiam magna iam ex parte perfeciſti? non enim deſiſtunt nobis agere quotidie gratias honeſtiſſimæ & maximæ ſocietatẽs: quod quidem mihi iccirco iucundius eſt, quòd idem faciunt Græci. Difficile eſt autem ea quæ cõmodis, utilitate, & propè natura diuerſa ſunt, uolũtate coniungere. At ea quidem quæ ſupra ſcripta ſunt, non ut te inſtituerem ſcripſi (neque enim prudẽtia tua cuiuſquam præcepta deſiderat) ſed me in ſcribẽdo cõmemoratio tuæ uirtutis delectauit: quanquã in his literis longior fui, quàm aut uellem, aut me putaui fore. Vnum eſt quod tibi ego præcipere non deſinam, neque te patiar, quantũ in me erit, cum exceptione laudari. omnes enim qui iſtinc ueniunt, ita de tua uirtute, integritate, humanitate cõmemorant, ut in tuis ſummis laudibus excipiãt unam iracundiam. Quod uitium cum in hac priuata quotidianáque uita leuis eſſe animi atque infirmi uideatur: tũ uero nihil eſt tam deforme, quàm ad ſummum imperium etiam acerbitatem naturæ adiungere. Quare illud non ſuſpiciam, ut quæ de iracundia dici ſolent à doctiſſimis hominibus, ea tibi nunc exponam, cum &

nimis longus esse nolim, & ex multorũ scriptis ea facile possis cognoscere. Illud quod est epistolæ propriũ, ut is ad quem scribitur, de ijs rebus quas ignorat, certior fiat, prætermittendum esse non puto. Sic ad nos omnes ferè deferunt, nihil cum absit iracundia, te fieri posse iucundius: sed cum te alicuius improbitas peruersitasque commouerit, sic te animo incitari, ut ab omnibus tua desideretur humanitas. Quare quoniam in eam rationem uitæ nos non tam cupiditas quædam gloriæ, quàm res ipsa ac fortuna deduxit, ut sempiternus sermo hominum de nobis futurus sit: caueamus, quantum efficere & consequi possumus, nequod in nobis insigne uitium fuisse dicatur. Neque ego hoc nunc contendo, quod fortasse cum in omni natura, tum iam in nostra ætate difficile est, mutare animum, &, siquid est penitus insitum moribus, id subito euellere: sed te illud admoneo, ut si hoc plene uitare nõ potes, quòd ante occupatur animus ab iracundia, quàm prouidere ratio potuit, ne occuparetur, te ante compares, quotidiéque meditere resistendum esse iracundiæ: cúmque ea maxime animum moueat, tum tibi esse diligentissime linguam cõtinendam: quæ quidem mihi uirtus nõ interdum minor uidetur, quàm omnino non irasci: nam illud non solum est grauitatis, sed nonnunquam etiam lenitudinis: moderari uero & animo & orationi, cum sis iratus, aut etiam tacere, & tenere in sua potestate motum animi & dolorem, etsi non est perfectæ sapientiæ, tamen est non mediocris ingenij. Atque in hoc genere multo te esse iam commodiorem mitiorémque nuntiant. Nullæ tuæ uehementiores animi concitationes, nulla maledicta ad nos, nullæ contume-

liæ perferuntur: quæ cum abhorrent à literis, ab humanitate, tum uero contraria sunt imperio, & dignitati. nam si implacabiles sunt iracundiæ, summa est acerbitas: sin autem exorabiles, summa leuitas: quæ tamen (ut in malis) acerbitati anteponenda est. Sed quoniam primus annus habuit de hac reprehensione plurimum sermonis, credo propterea, quòd tibi hominum iniuriæ, quòd anaritiæ, quòd insolentia præter opinionem accidebat, & intolerabilis uidebatur: secundus autem multo lenior, quòd & consuetudo, & ratio, & (ut ego arbitror) meæ quoque literæ te patientiorem, leniorémque fecerunt: tertius annus ita esse debet emẽdatus, ut ne minimam quidem rem quisquam possit ullam reprehendere. Ac iam hoc loco non hortatione, neque præceptis, sed precibus tecũ fraternis ago, totum ut animum, curam, cogitationémque tuam ponas in omnium laude undique colligenda. Quòd si in mediocri statu sermonis, ac prædicationis nostræ res essent, nihil abs te eximium, nihil præter aliorũ consuetudinem postularetur. Nunc uero propter earũ rerum, in quibus uersati sumus, splẽdorem, & magnitudinem, nisi summam laudẽ ex ista prouincia assequimur, uix uidemur summam uituperationem posse uitare. Ea nostra ratio est, ut omnes boni tum faueant, tum etiam à nobis omnẽ diligentiam, uirtutémque & postulent, & expectent: omnes autem improbi, quòd cum iis bellum susceptum sempiternum, uel minima re ad reprehendendum contenti esse uideantur. Quare quoniam eiusmodi theatrum est totius Asiæ celebritate refertissimum, magnitudine amplissimum, iudicio eruditissimum, natura autem ita resonans, ut

usque Romam significationes, uocesque referantur: contende quæso, atque elabora, non modo ut his rebus dignus fuisse, sed etiam ut illa omnia tuis artibus superasse uideare. Et quoniã mihi casus urbanam in magistratibus administrationem Reip. tibi prouincialem dedit, etsi mea pars nemini cedit, fac ut tua cæteros uincat. simul & illud cogita, nos non de reliqua, & sperata gloria iã laborare, sed de parta dimicare: quæ quidem non tam expetenda, fuit, quàm tuẽda nobis est. Ac si mihi quicquam esset abs te separatum, nihil amplius desiderarem hoc statu, qui mihi iam partus est. Nunc uero ressic sese habet, ut nisi omnia tua facta, atque dicta nostris rebus istinc respondeant, ego me meis stantis laboribus, tantisque periculis, quorum tu omnium particeps fuisti, nihil consecutum putem. quod si, ut amplissimum nomen consequeremur, unus præter cæteros adiuuisti: certe idem, ut id retineamus, præter cæteros elaborabis. Non est tibi his solis utendum existimationibus, ac iudicijs, qui nunc sunt, hominum, sed ijs etiam, qui futuri sunt. quanquam illorum erit uerius iudicium, obtrectatione, & maleuolentia liberatum. Denique illud etiam debes cogitare, non te tibi soli gloriam quærere, quod si esset, tamen non negligeres, præsertim cum amplissimis monimentis consecrare uoluisses memoriam nominis tui. sed ea tibi est communicanda mecum, prodenda liberis nostris. in qua cauendum est, ne, si negligentior fueris, non solum tibi parum consuluisse, sed tuis etiam inuidisse uideare. Atque hæc non eo dicuntur, ut te oratio mea dormientẽ excitasse, sed potius ut currentem incitasse uideatur. facies enim perpetuo quæ feceris, ut omnes æquitatem

tuam, temperantiam, seueritatem, integritatémque laudent. Sed me quædam tenet propter singularem amorem infinita in te auiditas gloriæ. quanquam illud existimo, cum iam tibi Asia sicut unicuique sua domus nota esse debeat, cum ad tuam summam prudentiam tantus usus accesserit, nihil esse quod ad laudem attineat, quod tu non optime perspicias, & tibi non sine cuiusquam hortatione in mentem ueniat quotidie. Sed ego qui, cum tua lego, te audire, & qui, cum ad te scribo, tecum loqui uideor: ideo & tua longissima quaque epistola maxime delector, & ipse in scribendo sæpissime longior. Illud te ad extremum & oro & hortor, ut tanquam poetæ boni & actores industrij solent, sic tu in extrema parte & conclusione muneris ac negotij tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperij tui tanquam tertius actus perfectissimus atque ornatissimus fuisse uideatur. id facillime facies, si me cui semper unimagis, quàm uniuersis placere uoluisti, tecum semper esse putabis, & omnibus ijs rebus quas dices ac facies, interesse. Reliquum est ut te orem, ut ualetudini tuæ, si me & omneis tuos ualere uis, diligentissime seruias.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

STATIVS ad me uenit ad VIII. Cal. Nou. eius aduentus, quòd ita scripsisti direptum iri te à tuis, dum is abesset, molestus mihi fuit. quòd autem expectationem tui, concursúmque eum qui erat futurus si unà tecum decederet, neque antea uisus esset, sustulit, id mihi non incommode uisum est accidisse: exhaustus enim est sermo hominũ, & multæ emissæ iam eiusmodi uoces,

ἀλλὰ διάτινα φῶτα μέγαν, quæ te absente confecta esse lætor. Quod autem iccirco à te missus est mihi ut se purgaret, id necesse minime fuit: primum enim nunquam ille mihi fuit suspectus: neque ego, quæ ad te de illo scripsi, scripsi meo iudicio: sed cum ratio salúsque omnium nostrum qui ad Remp. accedimus, non ueritate solum, sed etiam fama niteretur, sermones ad te aliorum semper, non mea iudicia perscripsi. qui quidem quàm frequentes essent, & quàm graues, aduentu suo Statius ipse cognouit: etenim interuenit nonnullorum querelis quæ apud me de illo ipso habebantur, & sentire potuit sermones iniquorum in suum potissimum nomen erumpere. quod autem me maxime mouere solebat, cum audiebam illum plus apud te posse, quàm grauitas illius ætatis, & imperij prudentia postularet (quàm multos enim mecum egisse putas ut se Statio cõmendarem? quàm multa autem ipsum ἀφελῶς mecum in sermone ita protulisse?) id mihi non placuit, monui, suasi, deterrui. Quibus in rebus etiam si fidelitas summa est, quod prorsus credo, quoniam tu ita iudicas: tamẽ species ipsa tam gratiosi liberti, aut serui dignitatem habere nullam potest. Atque hoc sic habeto (nihil enim nec temere dicere, nec astute reticere debeo) materiam omnem sermonum eorum qui de te detrahere uelint, Statium dedisse: & antea tantum intelligi potuisse, iratos tuæ seueritati esse nonnullos: hoc manumisso, iratis quod loquerẽtur, non defuisse. Nũc respõdebo ad eas epistolas quas mihi reddidit L. Cæsius: cui, quoniã ita te uelle intelligo, nullo loco deero. quarũ altera est de Blaudenio Zeuxide, quẽ scribis certissimũ matricidam tibi à me intime commendari. Qua de re

ita

ἀφελῶς potuisse

tamen

&

Blaudeno Zeuxide

& de hoc genere toto, ne forte me in Græcos tam ambitiosum factum esse mirere, pauca cognosce. Ego, cum Græcorum querelas nimium ualere sentirem propter hominum ingenia ad fallendum parata, quoscunque de te queri audiui, quacunque potui ratione placaui. Primum Dionysi politas, qui erant inimicissimi mei, leniui, quorum principem Hermippum non solum sermone meo, sed etiam familiaritate deuinxi. Ego Apamẽsem Ephæstum, ego leuissimum homunẽ Megaristum Antandriũ, ego Niciã Smyrnæum, ego nugas maximas omni mea comitate sum complexus. Nymphontem etiã Colophonium. quæ feci omnia, non quo me aut ij homines, aut tota natio delectaret: pertæsum est enim leuitatis, assentationis, animorum non officijs, sed temporibus seruientium. Sed ut ad Zeuxim reuertar, cum is de Caselij sermone secum habito, quæ tu scribis, ea ipsa loqueretur, obstiti eius sermoni, & hominẽ in familiaritatẽ recepi. tua autẽ quæ fuerit cupiditas tanta, nescio, quòd scribis, cupisse te, quoniã Smyrnæ duos Myssos insuisses in culeum, simule in superiore parte prouinciæ edere exemplũ seueritatis tuæ, & iccirco Zeuxim eliere omni ratione uoluisse: quem adductũ in iudicium, fortasse dimitti non oportuerit: conquiri uero, & elici blanditijs (ut tu scribis) ad iudicium necesse non fuit, eum præsertim hominem, quem ego & ex suis ciuibus, & ex multis alijs quotidie magis cognosco nobiliorem esse propè, quàm ciuitatem suam. At enim Græcis solis indulgeo. Quid L. Cæcilium? nonne omni ratione placaui? quem hominem? qua ira? quo spiritu? quem denique (præter Tusculanum, cuius causa sanari non potest) non mitigaui? Ecce supra caput homo

leuis ac sordidus, sed tamen equestri censu. T. Catienus. etiam is lenietur. Cuius tu in patrē quòd fuisti asperior, non reprehendo: certo enim scio, te fecisse cum causa. Sed quid opus fuit eiusmodi literis, quas ad ipsum misisti? illum crucem sibi ipsi constituere, ex qua tu eum ante detraxisses: te curaturum, fumo ut combureretur, tota plaudente prouincia. Quid uero ad C. Fabium nescio quem? (nam eam quoque epistolā T. Catienus circumgestat) renuntiari tibi, Licinium plagiarium cum suo pullo Miluino tributa exigere? Deinde rogas Fabiū, ut & patrem, & filium uiuos comburat, si possit: sin minus, ad te mittat, uti iudicio comburantur. Hæ literæ abs te per iocum missæ ad C. Fabium, si modo sunt tuæ, cum leguntur, inuidiosam atrocitatem uerborum habent. ac si omnium mearum literarum præcepta repetes, intelliges nihil esse à me, nisi orationis acerbitatem, & iracundiam, & si forte, raro literarum missarū indiligentiam reprehensam. quibus quidem in rebus si apud te plus auctoritas mea, quàm tua siue natura paulo acrior, siue quædam dulcedo iracundiæ, siue dicendi sal, facetiæque ualuissent: nihil sanè esset quod nos pœniteret. Et mediocri me dolore putas affici, cum audiā, qua sit existimatione Virgilius, qua tuus uicinus Cn. Octauius? Nam si te interioribus uicinis tuis, Ciliciensi, & Syriaco anteponis, ualde magnum facis. Atque is dolor est, quòd cum ij, quos nominaui, te innocentia non uincant, uincunt tamen artificio beneuolentiæ colligendæ, qui neque Cyrum Xenophontis, neque Agesilaum nouerint: quorum regum summo in imperio nemo unquam uerbum ullum asperius audiit. Sed hæc à principio tibi præcipiens, quan

tum profecerim, non ignoro. Nunc tamen decedens (id quod mihi iam facere uideris) relinque quæso quamiucundissimam memoriam tui. Successorem habes perblandum. Cætera ualde illius aduentu tua requirentur. In literis mittendis (ut sæpe ad te scripsi) nimiũ te inexorabilẽ præbuisti. tolle omneis, si potes, iniquas. tolle inusitatas, tolle contrarias. Statius mihi narrauit scriptas ad te solere afferri, ab se legi, & si iniquæ sint fieri certiorem. antequàm uero ipse ad te ueniisset, nullum delectum literarum fuisse: ex eo esse uolumina selectarum epistolarum, quæ reprehendi solerent. Hoc de genere nihil te nunc quidem moneo: sero est enim: ac scire potes, multa me uarie diligentérque monuisse. Illud tamen quod Theopompo mandaui, cum essem admonitus ab ipso, uide per homines amantes tui, quod est facile, ut hæc genera tollantur epistolarum, primum iniquarum, deinde contrariarum, tum absurde & inusitate scriptarum, postremo in aliquem contumelioſarum. Atque ego hæc tam esse, quàm audio, non puto, & si sunt occupationibus tuis minus animaduersa: nunc perspice, & purga. Legi epistolam quam ipse scripsisse Sylla Nomenclator dictus est, non probandã. legi nonnullas iracundas. Sed tempore ipso de epistolis: nam cum hanc paginam tenerem, L. Flauius Præt. Des. ad me uenit, homo mihi ualde familiaris. is mihi te ad procuratores suos literas misisse, quæ mihi uisæ sunt iniquissimæ, nequid de bonis quæ L. Octauij Nasonis fuissent, cui L. Flauius heres est, diminuerent ante quàm C. Fundanio pecuniam soluissent: itémque misisse ad Apollonidenses, ne de bonis quæ Octauij fuissent, diminui putarentur prius

quàm Fundanio debitum ſolutum eſſet. Hæc mihi ue riſimilia non uidentur: ſunt enim à prudentia tua remotiſſima. Ne diminuat heres? Quid ſi inficiatur? quid ſi omnino non debetur? Quid? Prætor ſolet iudicare deberi? quid? ego Fundanio non cupio? non amicus ſum? non miſericordia moueor? Nemo magis: ſed uia iuris eiuſmodi eſt quibuſdam in rebus, ut nihil ſit loci gratiæ. Atque ita mihi diebat Flauius ſcriptum in ea epiſtola quam tuam eſſe diebat, te aut quaſi amicis tuis gratias acturum, aut quaſi inimicis incommoda laturum. Quid multa? ferebat grauiter: id uehementer mecum querebatur: orabátque ut ad te quam diligentiſſime ſcriberem: quod facio, & te prorſus uehementer etiam atque etiam rogo, ut & procuratoribus Flauij remittas de diminuendo, & Apollonidenſibus nequid præſcribas quod contra Flauium ſit amplius, & Flauij cauſa, & ſiliæ Pompeij facias omnia. Nolo mediuſfidius ex tua iniuria in illum tibi liberalem me uideri. Sed & te oro, ut tu ipſe auctoritatem & monimentum aliquod decreti, aut literarum tuarum relinquas, quod ſit ad Flauij rem & ad cauſam accommodatum: fert enim grauiter homo & mei obſeruantiſſimus, & ſui iuris dignitatiſque retinens, ſe apud te neque amicitia, neque iure ualuiſſe. & ut opinor, Flauij aliquando rem & Pompeius, & Cæſar tibi commendarunt, & ipſe ad te ſcripſerat Flauius, & ego certe. Quare ſi ulla res eſt, quam tibi me faciendam petente putes, hæc ea ſit: ſi me amas, cura, elabora, perfice ut Flauius & tibi & mihi quammaximas gratias agat. hoc te ita rogo, ut maiore ſtudio rogare non poſſim. Quod ad

me de Hermia scribis, mihi mehercule ualde molestum fuit. Literas ad te parum fraterne conscripseram, quas oratione Diodoti Luculli liberti commotus de pactione statim, quod audieram, iracundius scripserã, & reuocare cupiebam: huic tu epistolæ non fraterne scriptæ, fraterne debes ignoscere. De Censorino, Antonio, Cassio, Scæuola, te ab ijs diligi, ut scribis, uehementer gaudeo. cætera fuerũt in eadẽ epistola grauiora, quàm uellẽ. ὀρθὸν τὴν νεῶν, & ἄπαξ θανεῖν. maiora ista erunt.

Meæ obiurgationes fuerunt amoris plenissimæ, quæ sint nonnullæ, sed tamen mediocres, & paruæ potius. Ego te nunquam ulla in re dignum minima reprehensione putassem, cum te sanctissime gereres, nisi inimicos multos haberemus. Quæ ad te aliqua admonitione aut obiurgatione scripsi, scripsi propter diligentiã cautionis meæ: in qua & maneo, & manebo, & idem ut facias, non desistam rogare. Attalus Iphimenus mecum egit ut se ne impedires quo minus, quod ad Q. Publicæni statuã decretum est, erogaretur: quod ego te rogo, & admoneo, ne talis uiri, támque nostri necessarij honorem minui per te, aut impediri uelis. Præterea AEsopi tragœdi nostri familiaris, Licinius seruus tibi notus aufugit: is Athenis apud Patronem Epicureum pro libero fuit: inde in Asiam uenit: postea Plato quidam Sardianus Epicureus, qui Athenis solet esse multum, & qui tum Athenis fuerat, cum Licinius eò uenisset, cum eum fugitiuum postea esse ex AEsopi literis cognosset, hominem comprehendit, & in custodiam Ephesi tradidit: sed in publicam, uel in pistrinum, non satis ex literis eius intelligere potuimus. Tu quoquo modo, quoniam Ephesi est, hominem inuestiges uelim,

summáque diligentia uel tecum deducas. Noli spectare, quanti homo sit: parui enim pretij est, qui iam nihili sit: sed tanto dolore AEsopus est affectus propter serui scelus, & audaciam, ut nihil ei gratius facere possis, quàm si illum per te recuperarit. Nunc ea cognosce, quæ maxime exoptas. Remp. funditus amisimus, adeo ut Cato adolescens, nullius consilij, sed tamen ciuis Romanus, & Cato, uix uiuus effugeret, quòd, cum Gabinium de ambitu uellet postulare, neque Prætores diebus aliquot adiri possent, uel potestatem sui facerent, in concionem ascendit, & Pompeium priuatus Dictatorem appellauit. propius nihil est factum, quàm ut occideretur. Ex hoc, qui sit status totius Reip. uidere potes. nostræ tamen causæ non uidentur homines defuturi: mirandum in modum profitentur, offerunt se, pollicentur: & quidem cum spe tum maxima, tum maiore etiã animo. spero superiores fore nos: confido animo, ut in hac Rep. ne casum quidem ullum pertimescam. Sed tamen res sic se habet: si diem nobis Clodius dixerit, tota Italia concurret, ut multiplicata gloria discedamus. sin autem ui agere conabitur, spero fore studijs non solum amicorum, sed etiam alienorũ, ut ui resistamus. omnes & se, & suos liberos, amicos, clientes, libertos, seruos, pecunias denique suas pollicentur. nostra antiqua manus bonorum ardet studio nostri, atque amore. siqui antea aut alieniores fuerãt, aut languidiores, nunc horum odio se cum bonis coniungunt. Pompeius omnia pollicetur, & Cæsar: quibus ego ita credo, ut nihil de mea comparatione diminuã. Tribuni pl. Dess. sunt nobis amici. Consules se optime ostendunt. Prætores habemus amicissimos, & acerrimos ciues, Domitium, Nigi-

PP.i.

dium, Memmium, Lentulum, bonos etiam alios, sed hos singulareis. Quare magnum fac animum habeas, & spem bonam. de singulis tamen rebus quæ quotidie gerantur, faciam te crebro certiorem. Vale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

MI FRATER, mi frater, mi frater, túne id ueritus es ne ego iracundia aliqua adductus pueros ad te sine literis miserim? aut etiam ne te uidere noluerim? ego tibi irascerer? tibi ego possem iraſci? scilicet tu me afflixisti, tui me inimica, tua me inuidia, ac non ego te misere perdidi. meus illa laudatus Cõsulatus, mihi te, liberos, patriã, fortunas, tibi uelim nequid eripuerit præter unum me. sed certe à te mihi omnia semper honesta & iucunda ceciderunt: à me tibi luctus meæ calamitatis, metus tuæ, desiderium, mœror, solitudo. Ego te uidere noluerim? immo uero me à te uideri nolui: non enim uidisses fratrem tuum, non eum quem reliqueras, non eum quem noras, nõ eum quem flens flentem, prosequentem proficiscens dimiseras, ne uestigium quidem eius nec simulacrum, sed quandam effigiem spirantis mortui. Atque utinam me mortuum prius uidisses, aut audisses. Vtinam te non solum uitæ, sed etiam dignitatis meæ superstitẽ reliquissem. Sed testor omnes Deos me hac una uoce à morte esse reuocatum, quòd omnes in mea uita partem aliquã tuæ uitæ repositam esse diœbant. Quare peccaui, sceleratéque feci: nam si cecidissem, mors ipsa meam pietatem, amorémque in te facile defenderet. nunc commisi ut uno me careres, uno me alijs indigeres, mea uox in domesticis periculis potissimum occideret, quæ sæpe alienissimis præsi-

dio fuisset. nam quòd ad te pueri sine literis uenerunt, quoniam uides non fuisse iracundiæ causa, certe pigritia fuit, & quædam infinita uis lacrymarum & dolorum. Hæc ipsa me quo fletu putas scripsisse? eodem, quo te legere certo scio. an ego possum aut non cogitare ali quando de te, aut unquam sine lacrymis cogitare? cum enim te desidero, fratrem, solum desidero? ego uero suauitate propè fratrem, propè æqualem, obsequio filium, consilio parentem. Quid mihi sine te unquam, aut tibi sine me iucundum fuit? quid quod eodem tempore desidero filiam? qua pietate, qua modestia, quo ingenio, effigiem oris, sermonis, animi mei? quid filium uenustissimum, mihique dulcissimum? quē ego ferus, ac ferreus è complexu dimisi meo. sapientiorem puerum, quàm uellē: sentiebat enim miser iam quid ageretur. Quid uero tuum filium? quid? imaginem meam, quem meus Cicero & amabat ut fratrem, & iam, ut maiorem fratrem, uerebatur. quid, quod mulierem miserrimam, fidelissimam coniugem me prosequi nō sum passus, ut esset quæ reliquias communis calamitatis communes liberos tueretur? Sed tamen quoquo modo potui, scripsi, & dedi literas ad te Philogono liberto tuo, quas credo tibi postea redditas esse: in quibus idem te hortor, & rogo, quod pueri tibi uerbis meis nuntiarunt, ut Romam protinus pergas & properes: primum enim te præsidio esse uolui, siqui essent inimici quorū crudelitas nondum esset nostra calamitate satiata: deinde congressus nostri lamentationem pertimui, digressum uero non tulissem: atque etiam id ipsum quod tu scribis, metuebā, ne à me distrahi nō posses. His de causis hoc maximum malum, quòd te non uidi, quo nihil

amantissimis,& coniunctissimis fratribus acerbius,ac miserius uidetur accidere potuisse,minus acerbum,minus miserum fuit,quàm fuisset tum congressio,tum uero digressio nostra. Nunc,si potes, id quod ego,qui fortis tibi semper uidebar,non possum,erige te,& confirma,siqua subeũda dimicatio erit. Spero,siquid mea spes habet auctoritatis,tibi & integritatem tuam,& amorem in te ciuitatis,& aliquid etiam misericordiam nostri,præsidij laturam. sin eris ab isto periculo uacuus, ages scilicet, siquid agi posse de nobis putabis: de quo scribunt ad me quidem multi multa,& se sperare demonstrant: sed ego,quid sperem, non despicio,cum inimici plurimum ualeãt, amici partim deseruerint me, partim etiam prodiderint, qui in meo reditu fortassis reprehensionem sui sceleris pertimescant. Sed,ista qualia sint,tu uelim perspicias, mihíque declares. ego tamen,quandiu tibi opus erit, siquid periculi subeundũ uidebis,uiuam. diutius in hac uita esse non possum: neque enim tantum uirium habet ulla aut prudẽtia, aut doctrina, ut tantum dolorem possit sustinere. Scio fuisse & honestius moriendi tempus, & utilius: sed non hoc solum. multa alia prætermisi: quæ si queri uelim prætermitta,nihil agam,nisi ut augeam dolorem tuũ,mea stultitiam meã. Illud quidẽ nec faciẽdum est,nec fieri potest,me diutius,quàm aut tuũ tempus,aut firma spes postulabit,in tam misera,támq; turpi uita cõmorari: ut qui modo fratre fuerim,liberis,cõiuge,cõpijs,genere ipso pecuniæ beatissimus,dignitate, auctoritate, existimatione,gratia non inferior,quàm qui unquam fuerunt amplissimi,is nunc in tam afflicta,perditáque fortuna neque me,neq; meos lugere diutius possim. Qua-

re quid ad me scripsisti de permutatione? quasi uero nunc me non tuæ facultates sustineant. qua in re ipse uideo miser, & sentio quid sceleris admiserim, cum de uisceribus tuis, & filij tui satisfacturus sis quibus debes, ego acceptam ex ærario pecuniam tuo nomine frustra dissiparim. sed tamen & M. Antonio quantum tu scripseras, Cepioni tantundem solutum est. mihi ad id quod cogito, hoc quod habeo satis est. siue enim restituimur, siue desperamur, nihil amplius opus est. tu, si forte quid erit molestiæ, te ad Crassum, & ad Calidium conferas censeo. quantum Hortensio credēdum sit, nescio: me summa simulatione amoris, summáque assiduitate quotidiana sceleratissime, insidiosissimèque tractauit, adiuncto quoque Arrio: quorum ego consilijs, promissis, præceptis destitutus in hanc calamitatem incidi. Sed hæc occultabis, nequid obsint. illud caueto, & eo puto per Pomponium fouendum tibi esse ipsum Hortensium, ne ille uersus, qui in te erat collatus, cum AEdilitatem petebas, de lege Aurelia falso testimonio, confirmetur: nihil enim tam timeo, quàm ne, cum intelligant homines quantum misericordiæ nobis tuæ preces, & tua salus allatura sit, oppugnent te uehementius. Messalam tui studiosum esse arbitror: Pompeium etiam simulatorem puto. sed hæc utinam non experiare: quod precarer Deos, nisi meas preces audire desijssent. ueruntamen precor, ut his infinitis nostris malis contenti sint: in quibus non modo tamen nullius mest peccati infamia, sed omnis dolor est, quòd optime factis pœna est maxima constituta. Filiam meam, & tuā Ciceronémque nostrum quid ego mi frater tibi commendem? Quin illud mœreo, quòd tibi non minorem

dolorem illorum orbitas affert, quam mihi. Sed te incolumi orbi non erunt. Reliqua ita mihi salus aliqua detur, potestásque in patria moriendi, ut me lacrymæ non sinunt scribere. Etiam Terentiam uelim tueare, mihique de omnibus rebus rescribas. Sis fortis, quoad rei natura patietur. Idib. Iun. Thessalonicæ. IIII

MARCVS QVINTO FRATRI S.

A MABO te mi frater, ne si uno meo facto & tu, & omnes mei corruistis, improbitati & scæleri meo potius, quàm imprudentiæ miseri cordiæque assignes. Nullum est meũ peccatum, nisi quòd ijs credidi à quibus nefas putaram esse me decipi, aut etiam quibus ne id expedire quidem arbitrabar. Intimus, proximus, familiarissimus quisque aut sibi pertimuit, aut mihi inuidit. Ita mihi nihil misero præter fidem amicorum cautum meum consilium fuit. Quòd si te satis innocentia tua, & miseri cordia hominum uindicat hoc tempore à molestia, perspicis profecto, ecquænam nobis salutis spes relinquatur. nam me Pomponius, & Sestius, & Piso noster adhuc Thessalonicæ retinuerunt, cum longius discedere propter nescio quos motus uetarent. uerũ ego magis exitum illorum literis, quàm spe certa expectabam: nam quid sperem, potentissimo inimico, dominatione obtrectatorũ, infidelibus amicis, pluribus inuidis? Denocius autem Trib. pl. est ille quidem in me officiosissimus, Sestius, & (spero) Curtius, Milo, Fadius, Gratidius, sed ualde aduersante Clodio: qui etiam priuatus eadem manu poterit concliones concitare: deinde etiã interæssor parabitur. Hæc mihi proficiscenti non proponebantur. sed sæpe triduo summa cum gloria di-

æbar esse rediturus. Quid tu igitur, inquies? Quid? multa conuenerũt quæ mentem exturbarent meã, subita defectio Pompeij, alienatio Consulum, etiam Prætorum timor, publicanorum arma. lacrymæ meorum me ad mortem ire prohibuerunt: quod æque & ad honestatem, & ad effugiendos intolerabiles dolores fuit aptissimum. Sed de hoc scripsi ad te in ea epistola, quã Phaetonti dedi. nunc tu, quoniam in tantum luctum, laborem detrusus es, quantum nemo unquam, si releuare potes communem casum misericordia hominum, scilicet incredibile quiddam assequeris. sin planè occidimus, me miserum, ego omnibus meis exitio fuero, quibus ante decori non eram. Sed tu, ut ante ad te scripsi, perspice rem & pertenta, & ad me, ut tempora nostra, non ut amor tuus fert, uere perscribe. Ego utam, quoad putabo tua interesse, aut ad spem seruandam esse retinebo. tu nobis amicissimum Sestium cognosces, credo tua causa uel Lentulum, qui erit Consul. quanquam sunt facta uerbis difficiliora. tu, & quid opus sit, & quid sit, uidebis omnino. Si tuam solitudinem, communémque calamitatem nemo despexerit, aut per te consici aliquid, aut nullo modo poterit: sin te quoque inimici uexare cœperint, ne cæsaris: non enim gladijs tecum, sed litibus agetur. Verum hæc absint uelim. te oro ut ad me de omnibus rebus scribas, & in me animi potius aut consilij putes minus esse quàm antea, amoris uero & officij non minus. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD Q. FRATREM LIBER II.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

EPISTOLAM quam legisti, mane dederam. Sed fecit humaniter Licinius, quòd ad me, misso senatu, vesperi venit, ut, siquid esset actum, ad te, si mihi uideretur, perscriberem. Senatus fuit frequentior, quàm putabamus esse posse mense Decembri sub dies festos. consulares nos fuimus, & duo Consules designati P. Seruilius, M. Lucullus: Lupus, Volcatius, Glabrio Prætt. sanè frequentes fuimus, omnino ad ducentos. commorat expectationem Lupus. Egit causam agri Campani sanè accurate: auditus est magno silentio. materiam rei non ignoras. nihil ex nostris actionibus prætermisit. fuerunt nonnulli aculei in C. Cæsarem, contumeliæ in Gellium, expostulationes cum absente Pompeio. causa sero perorata, sententias se rogaturum negauit, nequod onus simultatis nobis imponeret. ex superiorum temporum conuitijs, & ex præsenti silentio, quid senatus sentiret, se intelligere dixit. Milo cœpit dimittere. tum Marcellinus, Noli, inquit, ex taciturnitate nostra Lupe, quid aut probemus hoc tempore, aut improbemus, iudicare. Ego quod ad me attinet, idémque arbitror cæteros, ideirco taceo, quòd non iam existimo, cum Pompeius absit, causam agri Campani agi conuenire. Tum ille se senatum negauit tenere.

Racilius surrexit,& de iudicijs referre cœpit: Marcellinum quidem primum rogauit. is cum grauiter de Clodianis mœndijs, trucidationibus, lapidationibus quæstus esset, sententiam dixit, ut ipse iudices per prætorem urbanum sortiretur: iudicum sortitione facta, comitia haberentur: qui iudicia impediuisset, eum contra Remp. esse facturum. approbata ualde sententia, C. Cato contra dixit,& Cassius, maxima acclamatione senatus, ei comitia iudicijs anteferret. Philippus assensit Lentulo. postea Racilius de priuatis me primum sententiam rogauit. multa feci uerba de toto furore, latrocinióque P. Clodij. eum tanquam reum accusaui multis,& secundis admurmurationibus cuncti senatus. orationẽ meam collaudauit satis multis uerbis, non mehercule indisertæ Seuerus Antistius, ísque iudiciorum causam susceperit, antiquissimámque se habiturum dixit. ibatur in eam sententiam. tum Clodius rogatus, diẽ dicendo eximere cœpit. furebat, à Racilio se contumaciter, urbanéque uexatum. deinde eius operæ repente à Græcostasi,& Gradibus clamorem satis magnum sustulerunt, opinor in Q. Sestilium,& amicos Milonis mœtitiæ. eo metu iniecto, repente magna querimonia omnium discessimus. Habes acta unius diei. reliqua, ut arbitror, in mensem Ianuarium reijcientur. De Tribunis pl. longe optimum Racilium habemus. uidetur etiam Antistius amicus nobis fore. Nam Plautius noster totus est. Fac, si me amas, ut considerate, diligentérque nauiges de mense Decembri. Vale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

NON occupatione, qua erã sanè impeditus, sed parumla

lippitudine adductus sum ut dictarem hãc epistolam, & non, ut soleo, ad te ipse scriberem. Et primum me tibi excuso in eo ipso in quo te accuso: me enim adhuc nemo rogauit, num quid in Sardiniã uellem: te puto sæpe habere, etsi non semper, qui, num quid Romam uelis, quærant. Quod ad me de Lentuli & Sexti nomine scripsisti: locutus sum cum Cincio. Quomodo res se habet, non est facillima. Sed habet profecto quoddam Sardinia appositum ad recordationem præteritæ memoriæ: nam, ut ille Gracchus Augur, posteaquam in istam prouinciã uenit, recordatus est quid sibi in campo Martio comitia Consulum habenti contra auspicia accidisset, sic tu mihi uideris in Sardinia de forma Minutiana, & de nominibus Pomponianis in otio recogitasse. Sed ego adhuc emi nihil. Culeonis auctio facta est. Tusculano emptor nemo fuit. Si conditio ualde bona fuerit, fortasse non omittam. De ædificatione tua Cyrum urgere non cesso: spero eum in officio fore: sed omnia sunt tardiora propter furiosæ Aedilitatis expectationem: nam comitia sine mora futura uidẽtur: edicta sunt ad XI. Cal. Febr. te tamen solicitum esse nolo. omne genus à nobis cautionis adhibebitur. De Rege Alexandrino factum est S.C. cum multitudine reduci, periculosum Reip. uideri. reliqua cũ esset in senatu contentio, Lentulúsne, an Pompeius reduceret, obtinere causam Lentulus uidebatur. in ea re nos & officio erga Lentulum mirificè, & uoluntati Pompeij præclare satisfecimus. Sed per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta est. cõsecuti sunt dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat. Quid futurum sit latrocinio Tribunorum, non diuino, sed tamen suspicor per

uim rogationem Caninium perlaturum. in ea re Pompeius quid uelit, non dispicio: familiares eius quid cupiant, omnes uident. Creditores uero Regis apertæ pecunias suppeditant contra Lentulum. sine dubio res à Lentulo remota uidetur esse, cum magno meo dolore: quanquam multa fecit, quare, si fas esset, iure ei succensere possemus. Tu, si ita expedit, uelim quamprimum bona & certa tempestate conscendas, ad méque uenias: innumerabiles enim res sunt, in quibus te quotidie in omni genere desiderem. Tui nostríque ualent. Vale. XIIII. Cal. Febr.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

SCRIPSI ad te antea superiora. nunc cognosce postea quæ sint acta. A. Cal. Febr. legationes in Id. Febr. reijciebantur. eo die res confecta non est. ad IIII. Non. Milo affuit: ei Pompeius aduocatus uenit. dixit Marcellus à me rogatus. honeste discessimus. producta dies est in VIII. Id. interim reiectis legationibus in Idus, referebatur de prouincijs Quæstorum, & de ornandis Prætoribus. Sed res multis querelis de Rep. interponendis nulla transacta est. Cato legem promulgauit de imperio Lentulo abrogando. uestitum filius mutauit. ad VIII. Id. Milo affuit: dixit Pompeius, siue uoluit: nam, ut surrexit, operæ Clodianæ clamorem sustulerunt: idque ei perpetua oratione contigit, non modo ut acclamatione, sed ut conuitio & maledictis impediretur. qui ut perorauit (nam in eo sanè fortis fuit, non est deterritus: dixit omnia, atque interdum etiam silentio, cum auctoritate peregerat) sed ut perorauit, surrexit Clodius: ei tantus clamor à nostris (placuerat

enim referre gratiam) ut neque mente, neque lingua, neque ore cõsisteret. ea res acta est, cum hora VI. uix Pompeius peroraſſet, uſque ad horam VIII. cum omnia maledicta, uerſus etiam obſcœniſſimu in Clodiũ, & Clodiam dicerentur. ille furens, & exanguis interrogabat ſuos in clamore ipſo, quis eſſet qui plebem fame necaret. reſpondebant operæ, Pompeius. quis Alexandriam ire cuperet: reſpondebant, Pompeius. quem ire uellent: reſpondebant, Craſſum. is aderat tum, Miloni animo non amico. hora ferè IX, quaſi ſigno dato, Clodiani noſtros cõſputare cœperunt. exarſit dolor. urgere illi, ut loco nos moverent. factus eſt à noſtris impetus, fuga operarum. eiectus de roſtris Clodius, ac nos quoque tum fugimus, nequid in turba. ſenatus uocatus in curiam, Pompeius domum. Neque ego tamen in ſenatum, ne aut de tantis rebus tacerem, aut in Pompeio defendendo (nam is carpebatur à Bibulo, Curione, Fauonio, Seruilio filio) animos bonorum offenderem. res in poſterum dilata eſt. Clodius in Quirinalia produxit diem. ad VII. Id. ſenatus ad Apollinis fuit, ut Pompeius adeſſet. acta res eſt grauiter à Pompeio. eo die nihil perfectum eſt. ad VI. Id. ad Apollinis S.C. factum eſt, ea quæ facta eſſent ad VIII. Id. contra Remp. eſſe facta. eo die Cato eſt uehementer in Pompeium inuectus, & eum oratione perpetua tanquam reum accuſauit: de me multa, me inuito, cum mea ſumma laude dixit, cum illius in me perfidiã increparet. auditus eſt magno ſilentio maleuolorum. Reſpondit ei uehementer Pompeius, Craſſúmque deſcripſit, dixítque aperte, ſe munitiorem ad cuſtodiendam uitam ſuam fore, quam Africanus fuiſſet, quem C. Carbo interemiſſet. Itaque

Fuit
demigz
R/
R/
R/
R/de

magnæ mihi res iam moueri uidebantur. nam Pompeius hæc intelligit, nobiscúmq; communicat, insidias uitæ suæ fieri, Catonem à Crasso sustentari, Clodio pecuniam suppeditari: utrunque & ab eo, & à Curione, Bibulo, cæteríque suis obtrectatoribus confirmari: uehementer esse prouidendum, ne opprimatur: concionario illo populo à se propè alienato, nobilitate inimica, non æquo senatu, iuuentute improba. itaque se comparat, homines ex agris accersit. operas autem suas Clodius confirmat. manus ad Quirinalia paratur. in eo multo sumus superiores ipsius copijs. sed magna manus ex Piceno, & Gallia expectatur, ut etiam Catonis rogationibus de Milone, & Lentulo resistamus. Ad IIII. Id. Sestius ab indice Cn. Nerio Pupinia de ambitu est postulatus, & eodem die à quodam M. Tullio de ui. is erat æger. domum (ut debuimus) ad eum statim uenimus, eique nos totos tradidimus, idque fecimus præter hominum opinionem, qui nos ei iure fucensere putabant, ut humanissimi, gratissimique & ipsi, & omnibus uideremur: itaque faciemus. sed idem Nerius index edidit ad allegatos Cn. Lentulum Vaciam, & C. Cornelium, eodem die S.C. factum est, ut sodalitates, decuriatique discederent, léxque de ijs ferretur, ut qui non discessissent, ea pœna, quæ est de ui, tenerentur. Ad III. Id. dixi pro Bestia de ambitu apud Prætorem Cn. Domitium in foro medio, maximo conuentu: incidíque in eum locum in dicendo, cum Sestius multis in templo Castoris uulneribus acceptis, subsidio Bestiæ seruatus esset. hic προοιμιον quidem ὀυκ ἀμφως de ijs quæ in Sestium apparabantur crimina, & eum ornaui ueris laudibus, magno assensu omnium. res homini fuit

uehementer grata. quæ tibi eo scribo, quòd me de retinenda Sestij gratia literis monuisti. Pridie Id. hæc scripsi ante lucem. eo die apud Pomponium in eius nuptijs erã cœnaturus. Cætera sunt in rebus nostris, quibus iusmodi tu mihi ferè diffidenti prædicabas, plena dignitatis & gratiæ: quæ quidem tua mi frater prudentia, & patientia, uirtute, pietate, suauitate etiam tibi mihique sunt restituta. Domus tibi ad Lucum Pisonis Licinianã conducta est. Sed, ut spero, paucis mensibus post Calendas Quint. in tuam commigrabis. tuam in Carinis mundi habitatores Lamiæ conduxerunt. A' te post illam Olbiensem epistolam nullas literas accepi. quid agas, & ut te oblectes, scire cupio, maximéque teipsum uidere quamprimum. Cura mi frater ut ualeas: & quanquam est hiems: tamen Sardiniam istam esse cogites. XV. Cal. Mart.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

SESTIVS noster absolutus est III. Id. Mart. & quod uehementer interfuit Reip. nullã uideri in eiusmodi causa dissensionẽ esse, omnibus sententijs absolutus est. Illud quod tibi sæpe curæ esse intellexerã, ne cui minus quo relinqueremus utuperãdi locum qui nos ingratos esse diceret, nisi illius peruersitatẽ quibusdã in rebus quã humanissime ferremus. scito hoc nos in eo iudicio consecutos esse, ut omnium gratissimi iudicaremur: nam in defendẽdo moroso homine cumulatissime satisfecimus, & (id quod ille maxime cupiebat) Vatinium à quo palàm oppugnabatur, arbitratu nostro concidimus, Dijs hominibusque plaudẽtibus. quin etiã Paulus noster, cui testis productus esset in Sestium, confirmauit se nomen

Vatinij delaturum, si Macer Licinius cunctaretur: &
Macer à Sestij subsellijs surrexit, ac se illi non defuturũ
affirmauit. Quid quæris? homo petulans & audax Va
tinius ualde perturbatus, debilitatúsque discessit.

Quintus tuus puer optimus eruditur egregie. hoc
uũc magis animaduerto, quòd Tyrãnio doœt apud me.
Domus utriusque nostrum ædificatur strenue. redem
ptori tuo dimidiũ pecuniæ curau. spero nos ante hie-
mem contubernales fore. De nostra Tullia tui meher-
cule amantissima spero cum Crassipede nos conse cisse.
dies erant duo, qui post latinas habentur religiosi. cæ-
* terum confectum erat. latiar erat exiturus. Ad
VIII. Id. Apr. sponsalia Crassipedi præbui. huic conui-
uio puer optimus Quintus tuus meúsq;, quòd perleui-
ter commotus fuerat, defuit. Ad VI. Id. Apr. ueni ad
Quintum, eúmque uidi planè integrum: multúmque
is mecum sermonem habuit, & perhumanum de dis-
cordijs mulierum nostrarum. Quid quæris? nihil fe-
stiuius. Pomponia autem etiam de te queſta est. sed
hæc coràm agemus. A puero ut discessi, in aream
tuam ueni. res agebatur multis structoribus. Longi-
lium redemptorem cohortatus sum. fidem mihi faciebat
se uelle nobis placere. domus erit egregia: magis enim
cerni iam poterat, quàm quantum ex forma iudicabamus. itémque nostra celeriter ædificabatur. eo die cœna
ui apud Crassipedem. cœnatus, in hortos ad Pompeium
lectica latus sum. Lucium conuenire non potueram,
quòd abfuerat: uidere autem uolebam, quòd eram po-
stridie Roma exiturus, & quòd ille in Sardiniã iter ha
bebat. hominem conueni, & ab eo petiui ut quampri-
mum te nobis redderet. statim, dixit, erat autem iturus

(ut aiebat) ad III. Id. Apr. ut aut Labrone, aut Pisis cõscenderet. Tu mi frater, simul ac ille uenerit, primam nauigationem (dummodo idonea tempestas sit) ne omiseris. Ad II. Id. Apr. ante lucem hanc epistolam dictaueram, scripseramque in itinere, ut eo die apud T. Titium in Anagnino manerem. postridie autem in Laterio cogitabam: inde, cum in Arpinati quinq; dies fuissem, ire in Pompeianum, rediens aspicere Cumanum, ut quoniam in Nonas Maias Miloni dies producta est, prid. Non. Romæ essem, téque mi carissime, & suauissime frater ad eam diem (ut sperabam) uiderem, ædificationem Arcani ad tuum aduentum sustentari placebat. Fac, mi frater, ut ualeas, quamprimúmque uenias. Vale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

O LITERAS mihi tuas iucundissimas, expectatas, ac primo quidem cum desiderio, nunc uero etiam cum timore. atque has scito literas me solas accepisse post illas, quas tuus nauta attulit Olbia datas. sed cætera (ut scribis, præsenti sermoni reseruentur. hoc tamen non queo differre. Idib. Maijs senatus frequens diuinus fuit in supplicatione Gabinio deneganda. adiurat Porcilius hoc nemini accidisse. foris ualde plauditur. mihi cũ sua sponte iucundum, tum iucundius, quòd me absente (est enim ἀλιτηριώδης iudicium) sine oppugnatione, sine gratia nostra. eram Antij. Quod Idibus, & postridie fuerat dictum, de agro Cãpano actum iri, non est actum. in hac causa mihi aqua hæret. Sed plura, quàm constitueram: coràm enim. uale mi optime, & optatissime frater, & aduola, idem te nostri rogant

pueri.illud ſcilicet cœnabis cum ueneris.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

PLACITVRVM tibi eſſe librũ meum ſuſpicabar: tam ualde placuiſſe quàm ſcribis,ualde gaudeo. Quòd me admones de non curãtia, ſuadéſq; ut meminerim Iouis orationem quæ eſt in extremo illo libro:ego uero memini & illa omnia mihi magis ſcripſi, quàm cæteris. ſed tamen poſtridie quàm tu es profectus,multa nocte cum Vibulio ueni ad Pompeium. cúmque ego egiſſem de iſtis operibus atq; inſcriptionibus, perbenigne mihi reſpondit,magnam ſpem attulit,cum Craſſo ſe dixit loqui uelle,mihíque,ut idem facerẽ,ſuaſit. Craſſum Cos. ex Senatu domum reduxit. ſuſcepit rem, dixitque eſſe quod Clodius hoc tempore cuperet per ſe & per Pompeium conſequi:putare ſe,ſi ego eum non impedirem,poſſe me adipiſci ſine contentione,quod uellem. totum ei negotium permiſi, méque in eius poteſtate dixiſſe. Interfuit huic ſermoni P. Craſſus,adoleſcẽs noſtri (ut ſis)ſtudioſiſſimus. Illud autem quod cupit Clodius, eſt legatio aliqua,ſi minus per Senatum, per populum libera aut Byzantium,aut Brogitarum,aut utrunque. plena res numorum. Quod ego non nimium laboro, etiam ſi minus aſſequor quod uolo. Põpeius tamen cum Craſſo locutus eſt. uidentur negotium ſuſcepiſſe. ſi perficiunt,optime: ſin minus,ad noſtrum Iouem reuertamur. ἀμφιλαφίαν autem illam quam tu ſoles dicere,bono modo deſidero,ſic prorſus ut aduenientem excipiam libenter,latentem etiam nunc non excitem. Tribus locis ædificio,reliqua recõcinno: uiuo paulo liberalius quàm ſolebã. Opus erat,ſi te haberem pauliſper,

fabris locã dare. sed & hæc (ut spero) breui inter nos communicabimus. Res autem Romanæ sic se habẽt. Consul est egregius Lentulus, non impediente collega, sic inquam bonus, ut meliorem non uiderim. dies comitiales exemit omneis: nam etiam Latinæ instaurantur: nec tamen deerant supplicationes. Sic legibus perniciosissimis obsistitur, maxime Catonis: cui tamen egregie imposuit Milo noster. nam ille uindex gladiatorum & bestiariorum emerat de Cosconio & Põponio bestiarios, nec sine his armatis unquam in publico fuerat: hos alere non poterat: itaque uix tenebat. Sẽsit Milo: dedit cuidam non familiari negotium, qui sine suspicione emeret eam familiam à Catone. quæ simul atque abducta est, Racilius qui unus est hoc tempore Trib. pl. rem patefecit, eósque homines sibi emptos esse dixit (sic enim placuerat) & tabulam proscripsit, se familiã Catonianam uenditurum. ~~in~~ eam tabulam magni risus consequebantur. Nunc igitur Catonem Lentulus à legibus remouit, & eos qui de Cæsare mõstra promulgarunt, quibus intercederet nemo. Nam quod de Pompeio Caninius agit, sanequam refrixit: neq; enim res probatur, & Pompeius noster in amicitia P. Lentuli uituperatur, & hercule non est idem. nam apud illam perditissimam atque infimam fecem populi propter Milonem suboffendit: & boni multa ab eo desiderant, multa reprehendunt. Marcellinus autẽ hoc uno mihi quidem non satisfacit, quòd eum nimis aspere tractat: quanquam id Senatu non inuito facit. quo ego me libentius à curia, & ab omni parte Reip. subtraho. In iudicijs ij sumus qui fuimus: domus celebratur, ita ut cã maxime. Vnum accidit imprudẽtia Milonis incommo-

de, de Sex. Celio, quem neque hoc tempore, neque ab imbecillis accusatoribus mihi placuit accusari. Ei tres sententiæ terrimæ in consilio defuerũt. i. aque hominem populus reuocat: & retrahatur necesse est. non enim ferunt homines, & quia cum apud suos diceret, penè damnatus est, uidẽt damnatum. Ea ipsa in re Pompeij offensio nobis obstitit: Senatorũ enim urna copiose absoluit, equitum adæquauit, Tribuni ærarij condemnarunt. Sed hoc incommodũ consolantur quotidianæ damnationes inimicorum, in quibus me perlubente Seruij uius allisus est, cæteri conciduntur. Cato concionatus est comitia habere non siturum, si sibi cum populo dies agendi essent exempti. Appius à Cæsare nondũ redierat. Tuas mirificæ literas expecto. atq; adhuc clausum mare scio fuisse: sed quosdam uenisse tamẽ Olbia dicebant, qui te unicè laudarant, pluriméque in prouincia fieri dicerent. ijdem aiebant nuntiare te prima nauigatione transmissurum. Id cupio: & quanquam teipsum scilicet maxime, tamen etiam literas tuas ante expecto. Mi frater uale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

DEDERAM ad te literas antea, quibus erat scriptum, Tullium nostrum Crassipedi prid. Non. Apr. esse desponsatã: cæteráque de Rep. & priuata perscripseram. postea sunt hæc acta. Nonis Apr. S. C. Pompeio pecunia decreta in rem frumentariam ad HS M. CCCC. sed eodem die uehementer actum de agro Cãpano, clamore senatus propè concionali. acriorem causam inopia pecuniæ faciebat, & annonæ caritas. Non prætermittam ne illud quidem, M. Furiũ Flaccum equitem

Romanum, hominem nequam Capitolini & Mercuriales de collegio eiecerunt, præsentem ad pedes uniuscuiusque iacentem. Ad III. Id. Maij S. C. factum est de ambitu in Afranij sententiam, quam ego dixeram, cum tu adesses: sed magno cū gemitu Senatus Consules non sunt persecuti eorum sententias: qui Afranio cum essent assensi, addiderūt, ut Prætores ita crearentur, ut dies L X. priuati essent. eo die Catonē planè repudiarūt. Quid multa? tenent omnia: idque ita omnes intelligere uolunt. Vale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

TV METVIS ne me interpelles? primum si in isto essem, tu scis quid sit interpellare. An te Atteius? mehercule mihi docere uidebaris istius generis humanitatem: qua quidem, nihil utor abs te. Tu uero ut me & appelles, & interpelles, & obloquare, & colloquare, uelim. quid enim mihi suauius? non mehercule quisquam μισοπάτατος libētius sua recentia poemata legit, quàm ego te audio quacunque de re, publica, priuata, rustica, urbana. Sed mea factum est inuisa uerecundia, ut te proficiscens non tollerem. Opposuisti semel ἀντίκυτον causam Ciceronis nostri naletudinem: conticui. iterum Ciceronis: quieui. Nunc mihi iucunditatis plena epistola hoc aspersit molestiæ, quòd uideris, ne mihi molestus esses, ueritus esse, atque etiam nunc uereri. Litigarem tecum, si fas esset. sed mehercule istuc si unquam suspicatus ero, nihil dicam aliud, nisi uerebor nequando ego tibi, cum sum unà, molestus sim. Video te ingemuisse. sic fit. ἀπ' ἀνέκλησις. nunquam enim dicam ἔκπαλαι? Marium autem nostrum in lectica meu

mehercule conieciſſem, non illam Regis Ptolemæi Anitianam. memini enim cum hominem portarem ad Baias Neapoli octophoro Anitiano, machærophoris centum ſequentibus, miros riſus nos edere, cum ille ignarus ſui comitatus, repente aperuit lecticam, & penè ille timore, ego riſu corrui. Tunc, ut dico, certe ſuſtuliſſem, ut aliquando ſubtilitatem ueteris urbanitatis & humaniſſimi ſermonis attingerem: ſed hominem infirmum in uillam apertam, ac ne rudem quidem etiam nunc imitare nolui. Hoc uero mihi peculiare fuerit, hic etiam iſto frui. nam illorum prædiorum ſcito mihi uicinum Marium lumen eſſe. apud Anitium, uidebimus ut paratum ſit. nos enim ita philologi ſumus, ut uel cum fabris habitare poſſimus. Habemus hanc philoſophiam, nõ ab Hymetto, ſed ab area Syra. Marius & ualetudine eſt & natura imbecillior. De interpellatione, tantum ſumam à uobis temporis ad ſcribendum, quantum dabitis: utinam nihil detis, ut potius ueſtra iniuria, quàm ignauia mea ceſſem. De Repub. nimium te laborare doleo, & meliorem ciuem eſſe, quàm Philoctetem, qui acceptæ iniuriæ, illa ſpectacula quærebat, quæ tibi acerba eſſe uideo. Amabo te, aduola: conſolabor te, & omnem abſtergebo dolorem. & adduc, ſi me amas, Marium. ſed approperatè. hortus domi eſt. Vale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

EPISTOLAM hanc conuitio efflagitarunt codicilli tui. nam res quidem ipſa, & is dies, quo tu es profectus, nihil mihi ad ſcribendum argumenti ſanè dabat. ſed quemadmodum corãm cum ſumus, ſermo

nobis deesse non solet, sic epistolæ nostræ debent interdum hallucinari. Tenediorum igitur libertas securi Tenedia præcisa est, cum eos præter me, & Bibulum, & Calidium, & Fauonium nemo defenderet.

a. De te magis ab Sipylo mentio est honorifica facta, cum te unum dicerent postulationi L. Sestij Pansæ restitisse. Reliquis diebus, siquid erit quod te scire opus sit, aut etiam si nihil erit, tamen scribam quotidie aliquid. Pridie Id. neque tibi, neque Pomponio deero.

81 Lucretij poemata, ut scribis, non ita sunt multis luminibus ingenij, multæ tamen artis. sed cum ueneris, uirum te putabo: si Sallustij Empedoclea legeris, hominem non putabo. Vale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

GAVDEO tibi iucundas esse meas literas. nec tamen habuissem scribēdi nunc quidem ullum argumentum, nisi tuas accepissem: nam pridie Id. cum Appius Senatum infrequentem cogisset, tantum fuit frigus, ut populi conuitio coactus sit nos dimittere. De Comageno Rege quòd rem discusseram, mirificè mihi & per se, & per Pomponium blanditur Appius. uidet enim hoc genere dicendi si utar in cæteris, Februarium sterilem futurum, eúmque lusi iocosè satis: neque solum illud extorsi oppidulum, quod erat positum in Euphrate & Zeugmate, sed præterea togam sum eius prætextam, quam erat adeptus Cæsare Consule, magno hominum risu cauillatus. quòd nolit inquam renouare honores eosdē, quo minus togam prætextam quotannis interpellet, decernendum nihil censeo. Vos autem homines nobiles, qui Busrenum prætextatum non ferebatis, Co-

magenum feretis? genus uides, & locum iocandi. Multa dixi in ignobilem Regem, quibus totus est explosus. Quo genere commotus (ut dixi) Appius, totum me amplexatur. nihil est enim facilius quàm reliqua discutere. sed non faciam ut illum offendam, ne imploret fidem Iouis hospitalis, Graios omneis conuocet, per quos mecum in gratiam redijt. Theopompo satisfaciemus. De Cæsare fugerat me ad te scribere. uideo enim quas tu literas expectaris. Sed ille scripsit ad Balbum fasciculum illum epistolarum in quo fuerat & mea, & Balbi, totum sibi aqua madidum redditum esse: ut ne illud quidē sciat, meam fuisse aliquam epistolam. sed ex Balbi epistola pauca uerba intellexerat, ad quæ rescripsit his uerbis, DE Cicerone uideo te quiddā scripsisse quod ego non intellexi: quantum autem coniectura consequebar, id erat huiusmodi, ut magis optandum quàm sperandum putarem. Itaque postea misi eodem illo exemplo literas. Iocum autem illius de sua egestate ne sis aspernatus. ad quem ego rescripsi, nihil esse quod posthac arcæ nostræ fiducia conturbaret: lusique in eo genere & familiariter & cum dignitate. Amor autem eius erga nos perfertur omnium nuntijs singularis. Et literæ quidē ad id quod expectas, ferè cum tuo reditu iungentur: reliqua singulorum dierum scribemus ad te, si modo tabellarios tu præbebis. quanquam eiusmodi frigus impendebat, ut summum periculum esset ne Appio suæ ædes urerentur. Vale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

RISI niuem atram: téque hilari animo esse, & prom-

pto ad iocandum ualde me iuuat. De Pompeio assentior tibi, uel tu potius mihi: nam ut scis, iampridem istum canto Cæsarem. mihi crede, in sinu est, neque ego distingvr. Cognosce nunc Idus. decimus erat Celio dies. Domitius ad numerum iudices non habuit. Vereor ne homo teter & ferus Pola Seruius ad accusationem ueniat. nã noster Celius ualde oppugnatur à gente Clodia. certi nihil est adhuc: sed ueremur. Eodem igitur die Tyrijs est Senatus datus frequens. frequentes contra Syriaci publicani. uehementer uexatus Gabinius: exagitati tamen à Domitio publicani, quòd eum essent cum equis prosecuti. Noster Lamia paulo ferocius cum Domitius dixisset, Vestra culpa hæc acciderũt, equites Romani. dissolute enim iudicatis: nos iudicamus, uos laudatis, inquit. actum est eo die nihil. nox diremit. Comitialibus diebus qui quirinalia sequuntur, Appius interpretatur non impediri se lege Puppia, quo minus habeat Senatum: & quod Gabinia sanctum sit, etiam cogi ex Calend Febr. usque ad Calend. Mart. legatis Senatum quotidie dari. Ita putãtur detrudi comitia in mensem Martium. sed tamen his comitialibus Tribuni pl. de Gabinio se acturos esse dicunt. omnia colligo, ut noui scribam aliquid ad te: sed ut uides, res me ipsa deficit. Itaque ad Callisthenem & Philistum redeo: in quibus te uideo uolutatum. Callisthenis quidem uulgare & notum negotium, quemadmodum Græci aliquot locuti sunt. Sicalus ille capitalis, creber, acutus, breuis, penè pusillus Thucydides, sed utros eius habueris libros (duo enim sunt corpora) an utrosque, nescio. Me magis de Dionysio delectat: ipse est enim ueterator magnus & perfamiliaris Philisto. Sed quod

adscribis, aggrederisne ad historiam? me auctore potes. & quoniã tabellarios sumministras, hodierni diei res gestas Lupercalibus habebis. Oblecta te cum Cicerone nostro quambellissime.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

DVAS adhuc à te accepi epistolas, quarum alteram in ipso discessu nostro, alteram Arimino datam. plureis quas scribis te dedisse, non acceperam. Ego me in Cumano, & Pompeiano, præter quàm quòd sine te, cæterum satis commode oblectabar: & eram in eisdẽ locis usque ad Cal. Iun. futurus. Scribebam illa quæ dixeram πολιτικὰ, spissum sanè opus & operosum. sed si ex sententia successerit, bene erit opera posita: sin minus in illud ipsum mare deijciemus, quod scribentes spectabamus: aggrediemur alia, quoniam quæsere non possumus. Tua mandata persequar diligenter, & adiungendis hominibus, & quibusdam non alienandis. Maxime uero mihi curæ erit, ut Cicæronem tuum, nostrúmque uideam scilicet quotidie, sed inspiciam, quid discat, quamsæpissime: & nisi ille contemnat, etiam magistrum me ei profitebor: cuius rei nonnullam consuetudinem nactus sum in hoc horum dierum otio, Cicærone nostro minore perdocendo. Tu, quemadmodum scribis, quod etiam si non scriberes, facere te diligentissime tamen sciebam, facies, scilicet ut mea mandata digeras, persequare, conficias. Ego, cum Romam uenero, nullum prætermittam Cæsaris tabellarium, cui literas ad te non dem. His diebus (ignoscas) cui darem fuit nemo ante hunc M. Orsium equitem Romanum nostrum, & perneccessarium, & quòd est

ex municipio Atellano, quod scis esse in fide nostra. Itaque eum tibi commendo in maiorem modum, hominem domi splendidum, gratiosum etiam extra domum: quem fac ut tua liberalitate tibi obliges. est Tribunus mil. in exercitu nostro: gratum hominẽ obseruantémque cognoscæs. Trebatium ut ualde ames, uehementer te rogo. Vale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

A D IIII. Non. Iun. quo die Romam ueni, accepi tuas literas datas Placentiæ: deinde alteras postridie datas & Blandenonæ, cum Cæsaris literis refertis omni officio, diligentia, suauitate. Sunt ista quidem magna, uel potius maxima: habent enim uim magnam ad gloriam, & ad summam dignitatem. sed mihi crede quem nosti, quod in istis rebus ego plurimi æstimo, id iam habeo, te scilicet primum tam inseruientem communi dignitati, deinde Cæsaris tantum in me amorem: quem omnibus iis honoribus quos me à se expectare uult, antepono. Literæ uero eius unà datæ cum tuis, quarũ initium est, quàm suauis ei tuus aduentus fuerit, & recordatio ueteris amoris: deinde se effecturum, ut ego in medio dolore ac desiderio tui te, cum à me abesses, potissimum secum esse lætarer: incredibiliter delectarunt. Quare facis tu quidem fraterne, quòd me hortaris: sed mehercule currentem nunc quidem, ut omnia mea studia in istum unum conferam. Ego uero ardẽti quidem studio: ac fortasse efficiam quod sæpe uiatoribus, cum properant, euenit, ut si serius quàm noluerunt, forte surrexerint, properãdo etiam citius, quàm si de multa nocte uigilassent, perueniant quò uelint:

sic ego quoniam in isto homine colendo tam indormiui diu, te mehercule sæpe excitante, cursu corrigam tarditatem, tum equis, tum uero (quoniam scribis poema ab eo nostrum probari) quadrigis poeticis. modo mihi date Britaniam, quam pingam coloribus tuis, penicillo meo. Sed quid ago? quod mihi tempus, Romæ præsertim, ut iste me rogat, manenti uacuũ ostenditur? sed uidero: fortasse enim (ut fit) uincet tuus amor omneis difficultates. Trebatium quòd ad se miserim, perfalse, & humaniter etiã gratias mihi agit. negat enim in tãta multitudine eorum qui unà essent, quenquam fuisse qui uadimoniũ conspere posset. M. Curtio Tribunatum ab eo petiui (nã Domitius se derideri putasset si esset à me rogatus. hoc enim est eius quotidianum, se ne Tribunum mil. quidem facere: etiam in senatu lusit, Appium collegam propterea isse ad Cæsarem, ut aliquem Tribunatum auferret) sed in alterũ annum. id & Curtius ita uolebat. Tu, quemadmodum me censes oportere esse in Rep. & in nostris inimicitijs, ita & esse, & fore auricula infima scito molliorem. Res Romanæ sic se habebant. Erat nonnulla spes comitiorum, sed mœrta: erat aliqua suspicio Dictaturæ, ne ea quidem certa: summum otiũ forense, sed senescentis magis ciuitatis, quàm acquiescentis: sententia autẽ nostra in senatu eiusmodi, magis ut alij nobis assentiãtur, quàm nosmetipsi. τοιοῦτος ὁ πόλεμος ἐξεργάζεται. Calamo, & atramento temperato, charta etiã dentata res agetur: scribis enim te meas literas superiores uix legere potuisse. in quo nihil eorũ mi frater fuit quæ putas: neque enim occupatus erã, neque perturbat, neq; iratus alicui. Sed hoc facio semper, ut qui-

cunque calamus in manus meas uenerit, eo sic utar, tan quam bono. Verũ attende nunc mi optime, & suauiſſime frater, ad ea dum reſcribo quæ tu in hac eadem breui epiſtola πραγματικῶς ualde ſcripſiſti. De quo petis, ut ad te nihil occultans, nihil diſſimulans, nihil tibi indulgens, germane, fraternèque reſcribam, id eſt utrum, uoles, ut dixerimus, ad expediendum te: ſi cauſa ſit, commorere. Si mi Quinte parua aliqua res eſſet in qua ſciſcitarere, quid uellẽ, tamen cum tibi permiſſurus eſſem ut faceres quod uelles, ego ipſe quid uellem, oſtenderem. In hac uero re hoc profecto quæris cuiuſmodi illum annum qui ſequitur, expectem. planè aut tranquillũ nobis, aut certe munitiſſimum: quod quotidie domus, quod forũ, quod theatri ſignificationes declarant: neque laborant, quòd mea conſcientia copiarum noſtrarum, quòd Cæſaris, quòd Pompeij gratiam tenemus. Hæc me, ut confidã, faciunt. ſin aliquis eorum pet amentis hominis furor, omnia ſunt ad eum frangendum expedita. Hæc ita ſentio, iudico, ad te explorata te ſcribo. dubitare te, non aſſentatorie, ſed fraterne ueto. Quare ſuauitatis equidem noſtræ fruendæ cauſa cuperẽ te ad id tempus uenire quod dixeras: ſed illud malo tamen, quod putas, magnis etiam illa (etenim magni æſtimo me) ἀμφιλαφίαν illã tuam, & expectationem debitorum tuorum. Illud quidem ſic habeto, nihil * nobis expeditis, ſi ualebimus, fore fortunatius. parua ſunt quæ deſunt, quo noſtris quidem moribus. & ea ſunt ad explicandum expeditiſſima, modo ualeamus.

Ambitus redit immanis: nunquam fuit par. Idib. Quint. fœnus fuit ZZ ex Z coitione Mẽmij, quam cum quo cũ dom* Domitio habuit Scaurus unum uincere. Meſſala flaccet,

non dico ὑπερβολῶς. uel HS œnties cõstituunt in prærogatiua pronuntiare. res ardet inuidia. Tribunitij cãdidati cõpromiserunt HS quingenis in singulos apud M. Catonẽ depositis, petere eius arbitratu, ut qui contrà fecisset, ab eo condemnaretur. Quæ quidem comitia gratuita si fuerint, ut putantur, plus unus Cato fuerit, quàm omnes leges, omnésque iudices. Cum à me literas librarij manu acceperis, ne paulum otij me habuisse iudicato: cum autem mea, nullum: sic enim habeto, nunquam me à causis & iudicijs districtiorẽ fuisse, atque id anni tempore grauissimo, & œstibus maximis. Sed hæc quoniam tu ita præscribis, ferenda sunt: neque committendũ ut aut spei, aut cogitationi uestræ ego uidear defuisse, præsertim cum tametsi id difficilius fuerit, tamen ex hoc labore magnam gratiã, magnámque dignitatem sim collecturus. Itaq; ut tibi placet, damus operam ne cuius animum offendamus, atque ut etiam ab ijs ipsis qui nos cum Cæsare tam coniunctos dolent, diligamur: ab æquis uero, aut etiam à propensis in hanc partẽ uehementer & colamur, & amemur. De ambitu cum atrocissime ageretur in senatu multos dies, quòd ita erant progressi candidati cõsulares, ut non esset ferendum, in senatu non fui. Statui ad nullam medicinam Reip. sine magno præsidio accedere. quo die hæc scripsi, Drusus erat de prævaricatione à Tribunis æraríjs absolutus, in summa quatuor sententijs, cum senatores, & equites damnassent. Ego eodẽ die post meridiem Vatiniũ aderam defensurus. Ea res facilis est. comitia in mensem Septembrem reiecta sunt. Scauri iudicium statim exercebitur: cui nos non deerimus. συνδάπνης σοφοκλέης, quanquam à te

actam fabellã uideo esse festiue, nullo modo probaui.

Venio nunc ad id quod nescio an primum esse debuerit. O iucundas mihi tuas de Britania literas. timebam Oceanum: timebã litus insulæ. Reliqua non equidem contemno, sed plus habent tamen spei, quàm timoris, magísque sum solicitus expectatione ea quàm metu. Te uero ὑπόθεσιν scribendi egregiam habere uideo. quos tu situs, quas naturas rerũ & locorum, quos mores, quas gentes, quas pugnas, quem uero ipsum imperatorem habes? Ego tè libenter, ut rogas, quibus rebus uis adiuuabo, & tibi uersus quos rogas, χλαῦκα εἰς Ἀθῆνας mittam. Sed heus tu, cælari uideor à te. quomodonam mi frater de nostris uersibus Cæsar primum librũ se legisse scripsit ad me ante, & prima sic, ut neget se nẽ Græca quidem meliora legisse. Reliqua ad quendam locum ῥᾳθυμώτερα: hoc enim utitur uerbo. Dic mihi uerum, num aut res aut χαρακτὴρ non dele ctat? Nihil est quod uereare: ego enim ne pilo quidem minus me amabo. hæc de re φιλαληθῶς, & ut soles, scribe fraterne. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD Q. FRATREM LIBER III.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

EGO ex magnis caloribus (non enim meminimus maiores) in Arpinati summa cum amœnitate fluminis me refeci ludorum diebus, Philotimo tribulibus commendatis, in Arcano ad

IIII.Id. Sept. fui. ibi Messidium cum Philoxeno, aquámque, quam ij ducebant non longe à uilla, belle sanè fluentem uidi, præsertim maxima siccitate: uberiorémque aliquanto sese collecturos esse dicebant. *in exadu*

Apud Herum recte erat. In Manliano offendi Diphilum Diphilo tardiorem. sed tamen nihil ei restabat præter balnearia, & ambulationem, & auiariũ. uilla mihi ualde placuit, propterea quòd summam dignitatem pauimentata porticus habebat: quod mihi denique apparuit, postquam & ipsa tota patet, & columnæ politæ sunt. Totum in eo est quod mihi erit curæ, tectorium ut concinnum sit. pauimenta recte fieri uidebantur. Cameras quasdam non probaui, mutarique iussi. Quo loco in porticu te scribere aiunt ut atriolum fiat: mihi, ut est, magis placebat: neque enim satis loci esse uidebatur atriolo, neque ferè solet nisi in ijs ædificijs fieri, in quibus est atrium maius: nec habere poterat adiuncta cubicula, & eiusmodi membra. Nunc hoc uel honestate testudinis, uel ualde boni æstuum locum obtinebit. Tu tamen si aliter sentis, rescribe quamprimum. In balnearijs assa in alterum apodyterij angulum promoui, propterea quòd ita erant posita, ut eorum uaporarium ex quo ignis erumpit, esset sub tectum cubiculi. Subgrande cubiculum autem, & hibernum altum ualde probaui, quòd & ampla erant, & loco posita ambulationis uno latere, eo quòd est proximum balnearijs. colũnas neque rectas, neque è regione Diphilus collocarat. eas scilicet demolietur, aliquando perpẽdiculo & linea discet uti. omnino spero paucis mensibus opus Diphili perfectum fore: curat enim diligentissime Cæsius, qui tum mecum *mani./* *manu* *subiecta*

fuit. Ex eo loco rectà Vitularia uiâ profecti sumus in Fusidianum fundum, quem tibi proximis nuntijs Arpini de Fusidio HS CCCIↃↃↃ ∞ emeramus. Ego locum æstate umbrosiorem uidi nunquâ, permultis locis aquâ profluentem, & eam uberem. Quid quæris? iugera L. prati Cæsius irrigaturum facile te arbitrabatur. Equidē hoc quod melius intelligo, affirmo, mirificā suauitate te uillam habiturum, piscina, & salientibus additis, palæstra, & silua uiridicata. fundū audio te hūc Boulianum uelle retinere. De eo quid uideatur, ipse constitues. Caluus aiebat, aqua empta, & eius aquæ iure constituto, & seruitute fundo illi imposita, tamen nos pretium seruare posse, si uendere uellemus. Messidium mecum habui. is se ternis numis in pedem tecum trāsegisse dicebat. sese autem mensum pedibus aiebat passuū CCC ∞. Mihi plus uisum est. sed præstabo, sumptum nusquam melius posse poni. Chilonem arcesseram Venafro. sed eo ipso die quatuor eius conseruos, & discipulos Venafri cuniculus oppressérat. Idib. Sept. in Laterio fui: uiam perspexi: quæ mihi ita placuit, ut opus publicum uideretur esse, præter CL passus: sum enim ipse mensus ab eo ponticulo qui est ad Furinæ Satricum uersus. eo loco puluis, non glarea iniecta est, & mutabitur, & ea uiæ pars ualde acliuis est. Sed intellexi aliter duci nō potuisse, præsertim cum tu neque per Locustæ, neque Varronis uelles ducere. Veluinus antè suum fundum propè munierat: Locusta non attigerat, quem ego Romæ aggrediar, & ut arbitror, commouebo: & simul M. Taurum, quem tibi audio promisisse, qui nūc Romæ erat, de aqua per fundū eius ducenda rogabo. Nicephorum

uilliam tuum sanè probaui, quæ siuique ex eo ecquid ei de illa ædificatiuncula Laterij, de qua mecum locutus es, mãdauisses. tum is mihi respondit se ipsum eius operis HS X. M. conductorem fuisse, sed te postea multa addidisse ad opus, nihil ad pretium. itaque id se omisisse. Mihi hercule ualde placet te illa, ut constituebas, addere: quanquam ea uilla, quæ nunc est, tanquam philosophia uidetur esse, quæ obiurget cæterarum uillarum insaniam. Veruntamen illud additum delectabit. Topiarium laudaui, ita omnia conuestit edera, quà basim uillæ, quà intercolumnia ambulationis, ut denique illi palliati topiariam facere uideantur, & ederam uendere. Iam ἀποδυτηρίῳ nihil alsius, nihil muscosius. habes ferè de rebus rusticis. Vrbanam expolitionem urget ille quidẽ & Philotimus, & Cincius, sed etiam ipse crebro interuiso, quod est facile factu. quam ob rem ea te cura liberatum uolo. De Ciærone, quòd me semper rogas, ignosco equidem tibi, sed tu quoque mihi uelim ignoscas. non enim cõedo tibi, plus ut illum ames, quam ipse amo. Atque utinam his diebus in Arpinati, quod & ipse cupierat, & ego non minus, mecum fuisset. Quod ad Pomponiã: si tibi uidetur, scribas uelim: cum aliquò exibimus, eat nobiscum, pueriúmque ducat. clamores efficiam, si eum mecum habuero otiosum: nam Romæ respirandi non est locus. Id me scis antea gratis tibi esse pollicitum: quid nunc putas tãta abs te mihi mercede proposita? Venio nũc ad tuas literas: quas pluribus epistolis accepi, dũ sum in Arpinati. nam mihi uno die tres sunt redditæ, & quidem ut uidebantur, eodẽ abs te datæ tempore, una pluribus uerbis, in qua primum erat, quòd antiquior

dies in tuis fuisset ascripta literis, quàm in Cæsaris. id facit Oppius nonnunquam necessario, ut cum tabellarios constituerit mittere, literásque à nobis acceperit, aliqua re noua impediatur, & necessario serius quàm constituerat, mittat, neque nos datis iam epistolis diem commutari curemus. Scribis de Cæsaris summo in nos amore. hunc & tu fouebis, & nos, quibuscunque poterimus rebus, augebimus. De Pompeio, & facio diligenter, & faciam, quod mones. Quòd tibi mea permissio mansionis tuæ grata est, id ego summo meo dolore & desiderio, tamen ex parte gaudeo. In Hippodamis, & nonnullis alijs aræssendis quid cogites: non intelligo. Nemo istorum est quin abs te munus, fundi suburbani instar, expectet. Trebatium uero meum quòd isto admiseas, nihil est. Ego illum ad Cæsarem misi, qui mihi iam satisfecit: si ipsi minus, præstare nihil debeo, téque item ab eo uindico, & libero. Quòd scribis te à Cæsare quotidie plus diligi, immortaliter gaudeo. Balbum uero qui est istius rei, quē admodũ scribis, adiutor, in oculis fero. Treboniũ meum à te amari, téque ab illo, pergaudeo. De Tribunatu quòd scribis, ego uero nominatim petiui Curtio, & mihi ipse Cæsar nominatim Curtio paratum esse rescripsit, meámque in rogando uerecundiam obiurgauit. Si cui præterea petiero (id quod etiam Oppio dixi, ut ad illum scriberet) facile patiar mihi negari: quoniam illi qui molesti sunt, sibi negari à me non facile patiuntur. Ego Curtium, id quod ipsi dixi, non modo rogatione, sed etiam testimonio tuo diligo, quòd literis tuis studiũ illius in salutem nostram facile perspexi. De Britannicis rebus cognoui ex tuis literis nihil esse, nec quod

metuamus, nec quod gaudeamus. De publicis negotijs quæ uis ad te Tironem scribere, negligentius ad te antè scribebam, quòd omnia minima maxima ad Cæsarem mitti sciebam. Rescripsi epistulæ maximæ: audi nunc de minuscula: in qua primum est de Clodij ad Cæsarem literis: in quo Cæsaris consilium probo, quòd tibi amantissime petenti ueniam non dedit, uti ullum ad illam furiam uerbum rescriberet. Alterũ est de Caluēti Marij oratione. quod scribis, miror tibi placere me ad eum rescribere, præsertim cum illã nemo lecturus sit, si ego nihil rescripsero: meam in illũ pueri omnes tanquam dictata perdiscant. Libros meos quos expectas, inchoaui, sed confícere nõ possum his diebus. Orationes efflagitatas pro Scauro, & pro Plãcio absolui. Poema ad Cæsarem quod composuerã, incidi. tibi quod rogas, quoniam ipsi fontes iam sitiũt, siquid habebo spatij, scribã. Venio ad tertiam. Balbum quòd ais mature Romam bene comutatum esse uenturum, meámque assidue usque ad Id. Maias futurũ, id mihi pergratum, pérque iucundum erit. Quòd me in eadẽ epistola, sicut sæpe antea, cohortaris ad ambitionẽ, & ad laborem: faciam equidem, sed quãdo ui uemus? Quarta epistola mihi reddita est Idib. Sept. quam ad IIII. Id. Sext. ex Britannia dederas. in ea nihil sanè erat noui, præter Erigonam: quã si ab Oppio accepero, scribam ad te quid sentiam: nec dubito quin mihi placitura sit. Et quod præterij de eo, quem scripsisti de Milonis plausu scripsisse ad Cæsarem, ego uero facile patior ita Cæsarem existimare, illum quammaximum fuisse plausum. & prorsus ita fuit: & tamen ille plausus qui illi datur, quodammodo

nobis uidetur dari. Reddita est etiam mihi peruetus epistola, sed sero allata, in qua de æde Telluris, & de porticu Catuli me admones. fit utrunque diligẽter. ad Telluris quidem etiam tuam statuam locauit. Item de hortis, quod me admones, nec fui unquam ualde cupidus, & nunc domus suppeditat mihi hortorũ amœnitatem. Romam cum uenissem ad XIII. Calen. Oct. absolutum offendi in ædibus tuis tectum, quod super conclauia non placuerat tibi esse multorum fastigiorum, id nunc honeste uergit in tectum inferioris porticus. Cicero noster, dum ego adsum, non cessauit apud rhetorem. de eius eruditione quòd labores nihil est, quoniam ingenium eius nosti, studium ego uideo: cætera eius suscipio, ut me putem præstare debere.

Gabinium tres adhuc factiones postulant: L. Lentulus Flaminis filius, qui iam de maiestate postulauit: T. Nero cum bonis subscriptoribus: C. Memmius Tri. pl. cum L. Capitone. ad Vrbem, accessit ad XII. Cal. Oct. nihil turpius, nec desertius. sed his iudicijs nihil audeo cõsidere, quod Cato non ualebat. adhuc de pecunijs repetundis non erat postulatus. Pompeius à me ualde contendit de reditu in gratiam, sed adhuc nihil profecit: nec, si ullam partem libertatis tenebo, proficiet.

Tuas literas uehementer expecto. Quòd scribis, te audisse in candidatorum cõsulariũ cõitione me interfuisse, id falsum est: eiusmodi enim factiones in ea cõitione factæ, quas postea Memmius patefecit, ut nemo bonus interesse debuerit: & simul mihi committendum non fuit, ut ijs cõitionibus interessem, quibus Messala excluderetur: cui quidem uehementer satisfacio rebus omnibus, ut arbitror, etiam Memmio. Do-

milio ipsi multa iam feci quæ uoluit, quæque à me petiuit. Scaurũ beneficio defensionis ualde obligaui. adhuc erat ualde incertum, & quando comitia, & qui Consules futuri essent. Cum hãc iam epistolã complicarẽ, tabellarij à uobis uenerũt ad XI. Cal. Sept. uicesimo die. O me solicitum, quantum ego dolui in Cæsaris suauissimis literis: sed quo erant suauiores, eo maiorem dolorem illius ille casus afferebat. Sed ad tuas uenio literas. Primum tuam remansionem etiã, atque etiam probo, præsertim cum ut scribis, cum Cæsare communicaris. Oppium miror quicquam cum Publilio: mihi enim non placuerat. Quòd interiore epistola scribis, me Idib. Sept. Pompeio legatum iri: id ego non audiui, scripsique ad Cæsarem, Vibullium Cæsaris mandata de mea mansione ad Pompeium pertulisse, nec ad Oppium, quo consilio? Quanquam Oppium ego tenui, quòd priores partes Bibuli erant: cum eo enim coràm Cæsar egerat, ad Oppium scripserat. Ego uero nullas δευτέρας φροντίδας habere possum in Cæsaris rebus. Ille mihi secundum te, & liberos nostros ita est, ut sit penè par: uideor id iudicio facere: iã enim debeo: sed tamen amore sum inœnsus. Cum scripsissem hæc infima, quæ sunt mea manu, uenit ad nos Cicero tuus ad cœnam, cum Pomponiã foris cœnaret: dedítque mihi epistolam legendam tuam, quã paulo antè acceperat ab Aristophane meo, ualde mehercule & suauem, & grauem, qua sum admodum delectatus. Dedit etiã alteram illam mihi, qua iubes eum mihi esse affixum tanquam magistro. quàm illum epistolæ illæ delectarunt? quàm me? nihil puero illo suauius, nihil nostri amantius. Hæc inter cœnam Tironi

dictauí,ne mirere alia manu esse. Annali literæ tuæ pergratæ fuerunt,quòd & curares de se diligenter,& tamen consilio seueriſſimo iuuares. P. Seruilius pater ex literis quas sibi à Cæsare missas esse dicebat, significat ualde,se sibi gratũ fecisse, quòd de sua uoluntate erga Cæsarem humaniſſime diligentiſſimèque locutus esses. Cum Romam ex Arpinati reuertiſſem,dictum mihi est Hippodamum ad te profectum esse.non possum scribere me miratum esse illũ tam inhumaniter fecisse, ut sine meis literis ad te proficisceretur : illud scribo,mihi moleſtum fuisse : iam enim diu cogitaueram ex eo quod tu ad me scripseras , ut siquid esset quod ad te diligentius perferri uellem,illi darem:quòd mehercule hisce literis , quas uulgo ad te mitto, nihil ferè scribo,quod si in alicuius manus inciderit, moleſtè ferendum sit . Minutio me & Saluio, & Labeoni reseruabam . Labeo autem tarde proficiscetur, aut hic manebit.Hippodamus ne num quidem quid uelim rogauit. T.Pinarius amabiles ad me de te literas mittit,se maxime literis,sermonibus, cœnis denique tuis delectari.Is homo semper me delectauit,fratérq; eius mecum est multum. Quare,ut instituisti, complectere adoleſcentem. Quòd multos dies epistolam in manibus habui propter commorationem tabellariorum: ideo multa cõiecta sunt,aliud alio tempore,uelut hoc, T.Anitius mihi sæpe iam dixit, sese tibi suburbanum, siquod inueniſſet,non dubitaturum esse emere.In eius sermone ego utrunque soleo admirari,& te de suburbano emendo, cum ad illum scribas,non modo ad me non scribere, sed etiam aliam in sententiam scribere: &,cum ad illum scribas, nihil te recordari de se, de

epistolis illis, quas in Tusculano eius mihi ostendisti, nihil de præceptis Epicharmi. γνῶθι τῶν ἄλλων κίνητρον. totum denique uultum, animum, sermonem eius, quemadmodum conijcio, quasi. Sed hæc tu uideris. De suburbano, cura ut sciam quid uelis: & simul nequid ille turbet, uide. Quid præterea? Quid? etiam Gabinius ad IIII. Calend. Oct. noctu in Vrbem introiuit: & hodie hora octaua, cum edicto C. Alfij de maiestate eum adesse oporteret, concursu magno, & odio uniuersi populi penè afflictus est. nihil illo turpius. proximus est tamen Piso. itaque mirificum ἐμβολίον cogito in secundum meorum librorum inducere, dicentem Apollinem in consilio Deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus esset: quorum alter exercitum perdidisset, alter uendidisset. Ex Britania Cæsar ad me Cal. Sept. dedit literas, quas ego accepi ad IIII. Cal. Oct. satis commodas de Britannicis rebus: quibus ne admirer, quòd ad te nullas acceperim, scribit se sine te fuisse cum ad mare accesserit. Ad eas ego literas nihil rescripsi, ne gratulandi quidem causa, propter eius luctum. Te oro etiam atque etiam mi frater, ut ualeas.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

A D VI. Id. Oct. Saluius Ostiam ueseri naui profectus, cum ijs rebus, quas tibi domo mitti uolueras. eodem die Gabinium ad populũ Luculleæ calefecerat Memmius, sic ut Calidio uerbũ facere pro eo non licuerit. postridie autem eius diei, qui erat tum futurus cum hæc scribebã antè lucem, apud Catonẽ erat diuinatio in Gabinium futura inter Memmũ, & T. Neronem, & C. L.

Antonios M. F. putabamus fore, ut Memmio daretur, etsi erat Neronis mira contentio. Quid quæris? probe premitur, nisi noster Pompeius Dijs, hominibúsque inuitis, negotium inuertit. Cognosce nũc hominis audaciã, & aliquid in Rep. perdita delectare. cum Gabinius, quacunque ueniebat, triumphum se postulare dixisset, subitóque bonus imperator noctu Vrbem hostium planè inuasisset, in senatum se non committebat. Interim ipso decimo die, quo ipsum oportebat hostium numerum, & multitum renuntiare, in re hæsit, summa in frequentia: cum uellet exire, à Consulibus retentus est. introducti publicani. Homo undique actus, cum à me maxime uulneraretur, non tulit, & me trementi uocæ exulem appellauit. Hic, ò Dij, nihil unquam honorificentius nobis accidit. consurrexit Senatus cum clamore ad unum, sic, ut ad corpus eius accederet: pari clamore, atque impetu publicani. Quid quæris? omnes, tanquam si tu esses, ita fuerunt. nihil hominum sermone foris clarius. ego tamẽ teneo ab accusando uix mehercule, sed tamen teneo, uel quòd nolo cum Pompeio pugnare (satis est quod instat de Milone) uel quòd iudicæs nullos habemus, ἀποστόγμα formido: addo etiam maleuolentiam hominum: & timeo, ne illi me accusante aliquid accidat: nec despero rem & sine me, & nonnihil per me confici posse. De ambitu postulati sunt omnes qui Consulatum petunt, à Mẽmio Domitius, à Q. Curtio bono, & erudito adolescente Memmius, à Q. Pompeio Messala, à Triario Scaurus. Magna res in motu est, propterea quòd aut hominum, aut legum interitus ostenditur. opera datur ut iudicia ne fiant. res uidetur spectare ad interregnum. Consules

comitia habere cupiunt, rei nolunt, & maxime Memmius, quòd Cæsaris aduentu sperat se futurum Consulem: sed mirum in modũ iacet. Domitius cum Messala certus esse uidebatur. Scaurus refrixerat. Appius sine lege curiata confirmat se Lentulo nostro successurum: qui quidem mirificus illo die (quod penè præterij) fuit in Gabinium accusauit maiestatis: nomina data, cum ille uerbum nullum. Habes forensia. Domi recte, & ipsa domus à redemptoribus tractatur non indiligenter. Vale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

OCCVPATIONVM mearum signum tibi sit librarij manus. diem scito esse nullum, quo die non dicam pro reo. Ita, quicquid conficio, aut cogito, in ambulationis ferè tempus confero. Negotia nostra sic se habent: domestica uero, ut uolumus. ualent pueri, studiosè discunt, diligenter docentur: & nos, & inter se amant. Expolitiones utriusque nostrum sunt in manibus, sed tua ad perfectum iam res est rustica Arcani & Laterij. Præterea de aqua, & uia nihil prætermisi quadam epistola, quin enucleate ad te perscriberem. Sed me illa cura solicitat, angitque uehementer, quòd dierum iam amplius L. interuallo nihil à te, nihil à Cæsare, nihil ex istis locis non modo literarum, sed ne rumoris quidem affluxit. me autem iam & mare istuc, & terra solicitat: neq; desino (ut fit in amore) ea, quæ minime uolo, cogitare. Quare nõ equidem iam te rogo, ut ad me de te, de rebus istis scribas (nunquam enim, cum potes, prætermittis) sed hoc te scire uolo, nihil ferè me unquam ita expectasse, ut, cum hæc scribebam,

litteras tuas. Nũc cognosce ea quæ sunt in Rep. Comitiorum quotidie singuli dies tollũtur obnuntiationibus magna uolũtate bonorum omnium. tanta inuidia sunt Consules propter suspicionem pactorum à candidatis præmiorum. candidati consulares quatuor, omnes rei: causæ sunt difficiles: sed enitemur ut Messala noster saluus sit: quod est etiã cum reliquorum salute coniũctum. Gabinium de ambitu reum fecit P. Sylla subscribente priuigno Memmio fratre. Cæcilio, Sylla filio. contra dixit L. Torquatus, omnibusque libentibus non obtinuit. Quæris quid fiet: sciemus de maiestate triduo: quo quidem in iudicio odio premitur omnium generũ, maxime testibus ceditur: accusatoribus frigidissimis utitur. consilium uarium, quæsitor grauis, & firmus Alfius, Pompeius uehemens in iudicibus rogandis. quid futurum sit, nescio: locum tamen illi in ciuitate non uideo. animum præbeo ad illius perniciem moderatum, ad rerũ euentum lenissimum. Habes ferè de omnibus rebus. unum illud addam, Cicero tuus, nostérque summo studio est Pæonij sui rhetoris, hominis, opinor, ualde exercitati, & boni: sed nostrum institui genus esse paulo eruditius, & βελτιώτερον non ignoras. Quare neque ego impediri Ciceronisiter, atque illam disciplinam uolo, & ipse puer magis illo declamatorio genere duci & delectari uidetur. in quo quoniam ipsi quoque fuimus, patiamur illum ire nostris itineribus: eodem enim peruenturum esse confidimus. sed tamen si nobiscum eum rus aliquò eduxerimus, in hanc nostram rationem consuetudinémque inducemus. magna enim nobis à te proposita merces est: quam certe nostra culpa nunquam minus assequemur. Quibus in

locis, & qua spe hiematurus sis, ad me quàm diligentissime scribas uelim. Vale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

GABINIVS absolutus est. omnino nihil accusatore Lentulo, subscriptoribúsque eius infantius: nihil illo consilio sordidius. Sed tamen, nisi incredibilis contētio, & preces Pompeij, Dictaturæ etiam rumor plenus timoris fuisset, ipsi Lentulo non respōdisset, qui cum illo accusatore, illóque cōsilio sententijs condēnatus sit XXXII cum LXX tulissent. Est omnino tam graui fama hoc iudicium, ut uideatur reliquis iudicijs periturus, & maxime de pecunijs repetundis. Sed uides nullam esse Remp. nullum senatum, nulla iudicia, nullam in ullo nostrū dignitatem. Quid plura de iudicibus? duo prætorij sederunt, Domitius Caluinus, is aperte absoluit, ut omnes uiderent: & Cato, is diruptis tabellis de circulo se subduxit, & Pompeio primus nuntiauit. Aiunt nonnulli, Sallustius item, me oportuisse accusare. Iis ego iudicibus committerē? quid essem, si me agente esset elapsus? Sed me alia mouerunt. non putasset sibi Pompeius de illius salute, sed de sua dignitate mecum esse cer tamen: in Vrbem introisset: ad inimicitias res uenisset: cum AEsernino Samnite Pacideianus comparatus uiderer: auriculam fortasse mordicus abstulisset: cum Clodio quidem certe redijsset in gratiam. Ego uero meum consilium (si præsertim tu non improbas) uehementer approbo. ille cum à me singularibus meis studijs ornatus esset, almque ego illi nihil deberem, ille mihi omnia, tamen in Rep. me à se dissentientem non tulit (nihil dicam grauius) & minus potens eo tem-

pore, quid in me florentem posset, ostendit. nunc, cum ego ne curem quidem multum posse, res quidem publica certe nihil possit, unus ille omnia: cum illo ipso contenderem? sic enim faciendum fuisset. Non existimo te putare id mihi suscipiendum fuisse. alterutrum, inquit idem Sallustius: defendisses, idque Pompeio contendenti dedisses: etenim uehementer orabat. Lepidum amicum Sallustium, qui mihi aut inimicitias putet periculosas subeundas fuisse, aut infamiam sempiternam. Ego uero hac mediocritate delector. ac mihi illud iucundum est, quòd, cum testimonium secundum fidem, & religionem grauissime dixissem, reus dixit, si in ciuitate licuisset sibi esse, mihi se satisfacturum, neque me quicquam interrogauit. De uersibus, quos tibi à me scribi uis, deest mihi quidem opera: quæ non modo tempus, sed etiam animum uacuum ab omni cura desiderat: sed abest etiam ἐνθουσιασμός: non enim sumus omnino sine cura uenientis anni, etsi sumus sine timore. simul & illud, (sine ulla mehercule ironia loquor) tibi istius generis in scribendo priores partes tribuo, quàm mihi. De bibliotheca tua græca supplenda, libris commutandis, latinis comparandis, ualde uelim ista conficiantur, præsertim cum ad meum quoque usum spectent. sed ego, mihi ipsi ista per quem agam, non habeo: neque enim uenalia sunt, quæ quidem placeant, & confici nisi per hominem & peritum, & diligentem non possunt. Chrysippo tamen imperabo, & cum Tyrannione loquar. De fisco quid egerit Scipio, quæram. quod uidebitur rectum esse, curabo. De Ascanione, tu uero quod uoles, facies: me nihil interpono. De suburbano, quòd nondum properas, laudo: ut tu habeas, hor-

tor. Hæc scripsi ad VIII. Cal. Nou. quo die ludi committebantur, in Tusculanum proficiscens, ducénsque mecum Cicæronem meum in ludum discendi, non lusionis: ea re non longus quàm uellem, quod Pomptino ad triumphum ad III. Non. Nou. uolebam adesse: etenim erit nescio quid negotioli: nam Cato, & Seruilius Prætt. prohibituros se minantur: nec quid possint, scio: ille enim & Appium Cos. secum habebit, & Prætores, & Tribunos pl. sed minantur tamen, in primisque ἄρην πάντων Q. Scæuola. Cura, mi suauissime, & carissime frater, ut ualeas.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

QVOD quæris quid de illis libris egerim, quos, cum essem in Cumano, scribere instituí: non cessaui, neque cesso, sed sæpe iam scribendi totum cónsilium rationémque mutaui: nam iam duobus factis libris (in quibus nouendialibus ijs ferijs quæ fuerunt Tuditano & Aquilio Cos. sermo est à me institutus Africani, paulo ante mortem, & Lælij, Phili, Manilij, Q. Tuberonis, & Lælij generorum Fannij, & Scæuolæ: sermo autem in nouem & dies, & libros distributus de optimo statu ciuitatis, & de optimo ciue: sanè texebatur opus luculenter, hominúmque dignitas aliquantum orationi põderis afferebat) hi libri cum in Tusculano mihi legerentur audiẽte Sallustio, admonitus sum ab illo, multo maiore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer de Rep. præsertim cum essem non Heraclides Ponticus, sed consularis, & is qui in maximis uersatus in Rep. rebus essem: quæ tam antiquis hominibus attribuerem, ea uisum iri ficta esse: oratorum sermonem in

illis nostris libris, quòd esset de ratione dicendi, belle à me remouisse, ad eos tamẽ retulisse, quos ipse uidissem. Aristotelem denique, quæ de Rep. & præstante uiro scribat, ipsum loqui. Commouet me, & eo magis, quòd maximos motus nostræ ciuitatis attingere non poterã, quòd erant inferiores, quàm illorum ætas qui loquebantur. Ego autem id ipsum tum eram secutus, ne in nostra tempora incurrens offenderem quempiam. nunc & id uitabo, & loquar ipse tecum, & tamen illa quæ institueram, ad te, si Romam uenero, mittam: puto enim te existimaturum, à me libros illos non sine aliquo meo stomacho esse relictos. Cæsaris amore quem ad me perscribit, unicè delector: promissis ijs quæ ostendit, nõ ualde pendeo: nec honores sitio, nec desidero gloriam, magísque eius uoluntatis perpetuitatem, quàm promissorum exitum expecto: uno tamen in ea ambitione & labore, tanquã id quod non postulo, expectem. Quod me de faciendis uersibus rogas: incredibile est mi frater, quàm egeam tempore: nec sanè satis commoueor animo ad ea quæ uis, canẽda. ὑποθέσεις uero, & ea quæ ipse ego ne cogitando quidem consequor, tu, qui omnes isto eloquendi & exprimendi genere superasti, à me petis? Facerem tamen ut possem: sed (quod te minime fugit) opus est ad poema quadã animi alacritate, quam planè mihi tempora eripiunt. abduco equidem me ab omni Reip. cura, dedóque literis: sed tamen indicabo tibi quod mehercule in primis te cælatum uolebam: Angor mi suauissime frater, angor, nullam esse Remp. nulla iudicia, nostrúmque hoc tempus ætatis quod in illa auctoritate senatoria florere debebat, aut forensi laborе iactari, aut domesticis literis sustentari: illud ue-

ro quod à puero adamaram, ἀλλὰ ἀρισ τίναν, καὶ ὑπάρ- πολλῶν
χοις ἐμμιγὰ ἄλλων, totum occidisse: mimicos à me partim non oppugnatos, partim etiam esse defensos: meum non modo animum, sed ne odium quidem esse liberũ: unúmque ex omnibus Cæsarem esse inuentum, qui me tantum quantum ego uellem, amaret, aut etiam (sicut alij putant) hũc unum esse, qui uellet. Quorum tamen nihil est eiusmodi, ut ego me non multa consolatione quotidie leniam. sed illa erit cõsolatio maxima, si unà unā |
erimus. nunc ad illa uel grauissimum accẽdit tui desi- alia ut |
derium. Gabinium si, ut Pansa putat oportuisse, defendissem, concidissem. qui illum oderunt (ij sunt toti ordines) propter quem oderunt, me ipsum odisse cœpissent. tenui me, ut puto, egregie: tantum ut faœrem, quantum omnes uiderent: & in omni summa, ut mones, ualde me ad otium paœmq; conuerto. De libris, Tyrannio est cessator: Chrysippo dicam: sed res operosa est, & hominis perdiligentis: sentio ipse, qui in summo studio nihil assequor. de latinis uero quò me uertam, nescio: ita mendose & scribuntur, & uenẽunt: sed tamen, quod fieri poterit, non negligam. Cerbrius, ut ante ad tœ scripsi, Romæ est: & qui omnia adiurant, rau
debere tibi ualde renunt ãt. Ab ærario puto cõfectum esse, dum absum. Vale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

QVATVOR tragœdias XVI diebus absoluisse cum scribas, tu quicquam ab alio mutuaris? & πλέον quæ- πλέος
ris, cum Electram & Troadem scripseris? Cessator esse noli, & illud, γνῶθι σεαυτὸν, noli putare ad arrogantiam minuendam solum esse dictum, uerum etiam ut

bona nostra norimus. sed & istas, & Erigonam mihi uelim mittas. Habes duas epistolas proximas. Vale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

ROMAE, & maxime Appia ad Martis mira proluuies. Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernae plurimae, magna uis aquae usque ad piscinam publicam. uis get illud Homeri, ἤματ' ὀπωριῶ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ ζεύς. cadit enim in absolutionem Gabinij, ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσι ποτιτάμενος χαλεπήνηι βίη ἐν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας, Εν δὲ δίκην ἐλάσσωσι θεῶν ὅπιν ἐν ἀλέγοντες. Sed haec non curare decreui. Romam cum uenero, quae perspexero, scribam ad te, & maxime de Dictatura, & ad Labienum, & ad Ligurium literas dabo. hanc scripsi ante ad lychnuchum ligneolum, qui mihi erat periucundus, quòd eum te aiebant, cum esses Sami, curasse faciendum. Vale mi suauissime, & optime frater.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

SVPERIORI epistolae quòd respondeam nihil est, quae plena stomachi, & querelarum est: quo in genere alteram quoque te scribis pridie Labieno dedisse, qui adhuc non uenerat: deleuit enim mihi omnem molestiam recentior epistola. Tātum te & moneo, & rogo, ut in istis molestijs, & laboribus, & desiderijs recordere, consilium nostrū quod fuerit profectionis tuae. non enim commoda quaedā sequebamur parua ac mediocria: quid enim erat quod discessu nostro emendū putaremus? Praesidium firmissimum petebamus ex optimi & potentissimi uiri beneuolentia ad omnem statum

nostræ dignitatis. plura ponuntur in spe, quàm in pecunijs: reliqua ad iacturam struentur. Quare, si crebro referes animum tuum ad rationem & ueteris cõsilij nostri, & spei, facilius istos militiæ labores, cæteráque quæ te offendũt, feres: & tamen, cum uoles, depones. Sed eius rei maturitas nequedum uenit, & tamen iam appropinquat. Etiam illud te admoneo, ne quid ullis literis committas, quod si prolatum sit, molestè feramus. Multa sunt quæ ego nescire malo, quàm cũ aliquo periculo fieri certior. Plura ad te uacuo animo scribam, cum (ut spero) sẽ Cicero meus belle habebit. Tu uelim cures, ut sciã quibus nos dare oporteat eas quas ad te deinde literas mittemus, Cæsarísne tabellarijs, ut is ad te protinus mittat: an Labieno. ubi enim isti sint Neruij, & quàm longè absint, nescio. De uir tute & grauitate Cæsaris, quã in summo dolore adhibuisset, magnam ex epistola tua accepi uoluptatem.

Quòd me institutum ad illũ poema iubes perficere: etsi distẽtus cum opera, tum animo sum multo magis, quoniam tamen ex epistola, quam ad te miseram, cognouit Cæsar me aliquid esse exorsum, reuertar ad instítutum: idque perficiã his supplicationum otiosis diebus, quibus Messalam iam nostrum, reliquósque molestia leuatos uehementer gaudeo: eúmq; quòd certum Consulem cum Domitio numeraris, nihil à nostra opinione dissentis. Ego Messalã Cæsari præstabo: sed Mẽmius in aduentu Cæsaris habet spem: in quo illum puto errare. hic quidem friget. Scaurũ autem iam pridem Pompeius abiecit: res prolatæ: ad interregnum comitia adducta: rumor Dictatoris, iniucundus bonis, mihi etiam magis quæ loquũtur. Sed tota res & timetur, &

refrigescit. Pompeius planè se negat uelle: antea ipse mihi nō negabat. Hirrus auctor fore uidetur. ὦ Dij, quàm ineptus, quàm se ipse amans sine riuali. Crassum Iunianum hominem mihi deditum per me deterruit: uelit, nolit, scire difficile est. Hirro tamen agente nolle se non probabit. Aliud hoc tempore de Rep. nihil loquebantur: agebatur quidem certe nihil Serrani Domestici filij funus perluctuosum fuit. ad IIII. Cal. Dec. laudauit pater scripto meo. Nunc de Milone. Pompeius ei nihil tribuit, & omnia Guttæ: dictaq; se perfecturum, ut in illo Cæsar incumbat. Hoc horret Milo, nec iniuria: &, si ille dictator factus sit, penè diffidit. interæssorem Dictaturæ si iuuerit manu, & præsidio suo, Pompeium metuit inimicum: si non iuuerit, timet ne per uim perferatur. Ludos apparat magnificentissimos, sic inquam, ut nemo sumptuosiores: stultè, bis, terque non postulatus: uel quia munus magnificum dederat, uel quia facultates non erant, uel quia magister, uel quia potuerat magistrum se, non AEdilem putare. omnia ferè scripsi. Cura, mi carissime frater, ut ualeas. De Gabinio nihil fuit faciendum istorū quæ amātissimè cogitata sunt, τότε μοι χάνοι. feci summa cum grauitate, ut omnes sentirent, & summa cum lenitate quæ feci. Illū neque ursi, neque leuaui: testis uehemens fui, præterea quieui: exitum iudicij fœdum, & pernicioſum lētissimè tuli. quod quidem bonum mihi nunc denique redundat, ut his malis Reip. licentiáque audaciū, qua ante rumpebar, nunc nè mouear quidē. nihil est enim perditius his hominibus, his temporibus. Itaq; ex Rep. quoniā uoluptatis nihil iam capi potest: cur stomacher, nescio. literæ me, & studia nostra,

& otium, uilléque delectant, maximéque pueri nostri. angit unus Milo: sed uelim finem afferat Consulatus. milio
in quo enitar non minus quàm fum enisus in nostro: istuc
túque istunc, quod facis, adiuuabis. de quo cætera (nisi planè uis eripuerit) recte sunt. De re familiari timeo,
* ὁ δὲ μαίνεται, ἂν ἔτ' ἀνιυτῶ, qui ludos HS CCC comparet, cuius in hoc uno cõsideratiam & ego sustinebo ut potero: & tu, ut possis, est tuorum neruorum. ratiã
praeterea
De motu temporum uenientis anni, nihil te intelligere uoluerã domestici timoris, sed de communi Reip. statu. in quo etiam si nihil procuro, tamen nihil curare uix possum. quàm autem te uelim cautum esse in scribendo, ex hoc coniicito, quòd ego ad te ne hæc quidem scribo, quæ palàm in Rep. turbantur, ne cuiusquã animum meæ literæ interceptæ offendãt. Quare domestica cura te leuatum uolo. in Rep. scio quàm solicitus esse soleas. uideo Messalã nostrum Cos. si per interregem, sine iudicio: si per Dictatorẽ, tamẽ sine periculo. odij nihil habet. Hortensij calor multum ualebit. Gabinij absolutio lex impunitatis putatur. ἐν παρέργῳ. de Dictatore tamen actum adhuc nihil est. Pompeius abest: Appius misit, Hirrus parat: multi intercessores numerãtur, populus non curat, principes nolunt, ego quiesco.
De mancipijs quod mihi polliceris, ualde te amo: & mihi
sum equidem uti scribis, & Romæ, & in prædijs infrequens. Sed caue, amabo quicquam, quod ad meũ commodum attineat, nisi maximo tuo commodo, & maxima tua facultate mi frater cogitaris. De epistola Vatinij risi. sed me ab eo ita obseruari scio, ut eius ista odia non sorbeam solũ, sed etiam concoquam. Quòd me hortaris ut absoluam, habeo absolutum, suaue, mihi

quidem ut uidetur, ἔπος ad Cæsarem. Sed quæro locupletem tabellarium, ne accidat quod Erigunæ tuæ, cui soli Cæsare imperatore iter ex Gallia tutum non fuit. Quid, si cæmentum bonum non haberem, deturbem ædificium? Quod quidem quotidie mihi magis placet, & in primísque inferior porticus, & eius conclauia fiũt recte. De Arcano, Cæsaris opus est, uel mehercule etiam elegantioris alicuius: imagines enim istæ, & palæstra, & piscina, & nilus multorum Philotimorum est, non Diphilorũ. Sed & ipsi ea adibimus, & mittemus, & mãdabimus. De Felicis testamento, tum magis quererer, si scias: quas enim tabulas se putauit obsignare, in quibus in uncijs firmissimum tenuerat, lapsus est per errorem, & suum, & Sicyræ serui, non obsignauit: quas noluit, eas obsignauit. ἀλλ' οἰμωξέτω, nos modo ualeamus. Ciceronem, & ut rogas, amo, & ut meretur, & ut debeo: dimitto autem à me, & ut à magistris ne abducam, & quòd mater Pomponia discedit, sine qua edacitatem pueri pertimesco. Sed sumus unà tamen ualde multum. Rescripsi ad omnia.

Mi suauissime & optime frater uale.

SI PER tuas legiones mihi licitũ fuisset, quæ nomini meo, populóque R. sunt inimicissimæ, uenire in senatum, cõrámque de Rep. disputare, fecissem: neque tam libenter, quàm necessario. nulla enim remedia, quæ uulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quàm quæ simi-sunt salutaria. Sed quoniã cõhortibus armatis circãseptus senatus, nihil aliud uere potest decernere, nisi, timere (in Capitolio signa sunt, in urbe mulites uagãtur, in campo castra ponuntur, & Italia tota legionibus ad libertatem nostram conscriptis, ad seruitutem adductis, equitatúque exterarum nationum distinetur) cedam tibi in præsentia foro, curia, & sanctissimis deorum immortaliũ templis: in quibus reuiuiscente iam libertate, deinde rursus oppressa, senatus nihil consulitur, timet multa, assentitur omnia. Post etiã paulo, temporibus ita postulantibus, cedam Vrbe: quam per me conseruatã, ut esset libera: in seruitute uidere non potero. cedam uita, quæ quanquam solicita est, tamen si profectura est Reip. bona spe posteritatis me cõsolatur: qua sublata, non dubitanter occidam: atque ita cedam, ut fortuna iudicio meo, non animus mihi defuisse uideatur. Illud uero, quod & præsentis doloris est indicium, & præteritæ iniuræ testimonium, & absentiũ sensus significatio: non prætermittam quin, quoniã coram id facere prohibeor, absens proficiscar, siquidem mea salus aut utilis Reip. est, aut coniuncta certe publicæ saluti. nam per deũm immortaliũ fidem (nisi forte frustra eos appello, quorum aures, atque animus à nobis abhorret) perque fortunam populi R. (quæ quanquam

nobis infesta est, fuit aliquando propitia, & ut spero, futura est) quis tam expers humanitatis, quis huius urbis nomini, ac sedibus usqueadeo est inimicus, ut ista aut dissimulare possit, aut non dolere? aut si nulla ratione publicis incōmodis mederi queat, non morte proprium periculum uitet? Nam ut ordiar ab initio, & perducam ad extremum, & nouissima cōferam primis, quæ nō posterior dies acerbior priore, & quæ non insequens hora antecedentē calamitosior populo R. illuxit? M. Antonius, uir animi maximi, (utinam etiam sapientis cōsilij fuisset) C. Cæsare fortissime, sed parum feliciter à Reip. dominatione semoto, concupierat magis regū, quàm libera ciuitas pati poterat, principatum: publicam dilapidabat pecuniam: ærarium exhauriebat, minuebat, uectigalia, donabat ciuitates ex commentario, Dictaturam gerebat: leges imponebat, prohibebat Dictatorem creari legibus: S.C. ipse repugnabat in senatu, prouincias unus omneis concupiebat: cuius sordebat Macedonia prouincia, quam uictor sibi sumpserat Cæsar. Quid de hoc sperare, aut expectare nos oportebat? extitisti tu uindex nostræ libertatis, ut tunc quidem, optimus (quod utinā neque nostra nos opinio, neque tua fides fefellisset) & ueteranis in unum conductis, & duabus legionibus à pernicie patriæ ad salutem auocatis, subito propè iam affectam, ac prostratam Rēp. tuis opibus extuliſti. Quæ tibi non ante quā postulares, maiora quàm uelles, plura quàm sperares, detulit senatus? dedit fasces, ut cum auctoritate defensorem haberet, nō ut imperio se aduersum armaret: appellauit imperatorem, hostiū exercitu pulso tribuens honorem, non ut sua cæde cæsus ille fugiens exercitus te

nominaret imperatorem: decreuit in foro statuam, locum in senatu, summum honorem ante tempus: si-
quid aliud est, quod dari possit, addat. Quid aliud est
maius quod uelis sumere? sin autem supra ætatem, su-
pra consuetudinem, supra etiam mortalitatem tuam
tibi sunt omnia tributa, aut ingratus crudeliter,
aut immemor beneficij, scelerate circunscribis sena-
tum? quò te misimus? à quibus reuerteris? contra quos
armauimus? quibus arma cogitas inferre? à quibus
exercitum abducis? aduersus quos aciem struis? Cur
hostis relinquitur, cuius hostis loco ponitur? cur castra
medio itinere longius aduersariorum castris, & pro-
pius Vrbem mouentur? O me nunquam sapientem,
& aliquando id, quod non erat frustra existimatum.
Quantum te populo R. de me fefellit opinio. O meam
calamitosam, ac præcipitem senectutem. O turpem ex-
acta, dementique ætate canitiem. Ego patres conscri-
ptos ad parricidium induxi: ego Rempublicam fefelli: ego ipse
senatum sibi manus afferre coegi, cum te Iunonium
puerum, & matris tuæ partum aureum esse dixi. At
te fata patriæ Paridem futurum prædicabant, qui na-
stares Vrbem incendio, Italiã bello, qui castra in tem-
plis deorum immortalium, senatum in castris habi-
turus esses. O miseram, & in breui tam celerem, &
tam uariam Reip. commutationem. Quisnam tali fu-
turus ingenio est, qui possit hæc ita mandare literis:
ut facta, non ficta uideantur esse? Quis erit tanta a-
nimi facilitate, qui, quæ uerissime memoria propagata
fuerint, non fabulæ similia sit existimaturus? Co-
gita enim Antonium hostem iudicatum, ab eo circun-
sessum Consulem designatum, eundémque Reip. pa-

rentem: te profectum ad Consulem liberãdum, & hostem opprimendum, hostémque à te fugatum, & Consulem, obsidione liberatum: deinde paulo post, fugatum illum hostem accersitum, tanquam coheredem mortua Rep. ad bona populi R. capienda: Consulem des. rursum inclusum eò, ubi se nõ mœnibus, sed fluminibus, & montibus tueretur. Hæc quis conabitur exponere? quis credere audebit? Liceat semel impune peccare: sit erranti medicina confessio: uerũ enim dicam: utinam te potius Antoni dominum non expulissemus, quàm hunc reciperemus: non quòd ulla sit optanda seruitus, sed quia dignitate domini minus turpis est fortuna serui. in duobus autem malis cum fugiendum maius sit, leuius est eligendum. Ille ea tamen exorabat, quæ uolebat auferre: tu extorques. Ille Consul prouinciam petebat: tu priuatus concupisti. Ille ad malorum salutem iudicia constituebat, & leges ferebat: tu ad perniciem optimorum. ille à sanguine, & incendio seruorum Capitolium tuebatur: tu cruore & flamma cuncta delere uis. Si, qui dabat prouincias Cassio, & Brutis, & illis custodibus nominis nostri, regnabat: quid faciet qui ui tam adimit? si, qui urbe eijciebat, tyrannus erat: quem hunc uocemus, qui ne locum quidẽ reliquit exilio? Itaque siquid illæ maiorum nostrorum sepultæ reliquiæ sapiunt, si non unà cum corpore sensus omnis uno, atque eodem consumptus est igni: quid illis interrogantibus, quid agat nunc populus R. respondebit aliquis nostrum, qui proximus in illam æternam domum discesserit? aut quem accipient de suis posteris nuntiũ illi ueteres Africani, Maximi, Pauli, Scipiones? Quid de sua patria audient, quam spolijs, triumphisque deco-

rarunt? an esse quẽdam annos XXIIII natum, cuius auus fuerit argentarius, adstipulator pater, uterque uero precarium fecerit quæstum, sed alter usque ad senectutem, ut non negaret, alter à pueritia, ut non posset non confiteri: eum agere, rapere Rẽp. cui nulla uirtus, nullæ bello subactæ, & ad imperium adiunctæ prouinciæ, nulla dignitas maiorum conciliasset opem potentũ, sed forma per dedecus pecuniam & nomen nobile con scleratum impudicitiæ dedisset: ueteres uulneribus, & ætate confectos Iulianos gladiatores, egẽtes reliquias Cæsaris, ludi ad rudem compulisset, quibus ille septus omnia mœret, nulli parceret, sibi uiueret, qui tãquam in dotali matrimonio Rempub. testamento legatam sibi obtineret. Audiẽt duo Decij seruire eos æquum, qui ut hostibus imperarent, uictoriæ se deuouerunt. Audiet C. Marius impudico domino parere nos, qui ne militem quidem habere uoluit, nisi pudicum. Audiet Brutus eum populum, quem ipse primo, pòst progenies eius à regibus liberauit, pro turpi stupro datũ in seruitutem. Quæ quidem si nullo alio, me tamen internuntio ad illos cælerrter deferentur: nam si uiuus ista subterfugere non potero, una cum istis uitã simul fugere decreui.

6 ἀδύνατον impossibile

7 θᾶον γὰρ ἀγαθὸν ἡ τιμή. Diuinum enim bonum honor.

7 ἑρμαθήνα hermathena Mineruae Mercuriique statua

11 χρησιμαθῆ utilia discentem

13 εὐμολπιδῶν πάτρια. Eumolpidarũ patria. uel πατρίδα, patriam

14 οἰκεῖον proprium

16 σκέψεις considerationes. ἀναβολαὶ dilationes.

16 ταυτόματον ἡμῶν. casus noster.

19 ἐν τοῖς πολιτικοῖς in ciuilibus

19 τοποθεσίαν, loci descriptionem,

19 Ἀττικώτερα magis Attica

19 φιλορήτορα rhetoricae studiosum

20 παρήγυρις. conuentus.

20 μάλα ἀριστοκρατικῶς ualde pro statu optimatum

20 γενικῶς generaliter

21 λημύθους, copiam dicendi uniformem. Et fortasse alludit ad illud Aristophanis, λημύθιον ἀπώλεσεν.

21 ἀνεπειράσαμην uenditaui me

21 ἐπιχαρήματα argumenta

21 ὑπόθεσις materia

21 ἄρειος πάγος. Areopagus.

22 ἀπρακτότατος, rebus agendis ineptus, ignauissimus

22 κακίστης, habitu uitiorum deprauatus,

22 Τεῦκρος Teucer

23 φιλέλληνες Græcorum ſtudioſi, & amatores

23 παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκειο: Omnifariæ uirtutis reminiſcere:

23 ὕστερον πρότερον, Ὁμηρικῶς. ordine conuerſo, Homeriæ.

24 πρὸς τὸ πρότερον ad prius

26 ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι, ὅπως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε. dicite nũc mihi muſæ, quomodo primum ignis iniectus fuerit.

27 παῤῥησίαν loquendi licentiam

27 ἀγῶνα certamen

29 ἐπισημασίας ſignificationes geſtuum

29 ἀποθέωσιν deificationem

29 φιλοσοφητέον philoſophandum

29 ἐλαφητέον: fugiendum more ceruorum:

30 Ἀμαλθεῖον Amaltheum, bibliotheca. ſ. tua

30 τοποθεσίᾳ loci deſcriptione

35 ἀφελέστατος, ſimpliciſſimus,

37 πολιτικὸς ἀνήρ, εὐδ' ὄναρ. ciuilis uir ne in ſomnio quidem.

38 τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, in lente unguentum,

38 ἐπιφωνήματα acclamationes

40 νῆφε, καὶ μέμνασο ἀπισᾶν ἄρθρα τάδε τῶν φρενῶν. Eſto ſobrius, & memineris diffidere articulos hos eſſe mentium.

41 τίς πατέρα αἰνήσει; quis patrem laudabit?

41 ἐγκωμιαστικὰ, laudatiua.

43 οἱ μὲν πάρ', οὐδὲν εἰσιν. οἷς δ' οὐδὲν μέλει. hi qui adſunt, nihili ſunt: illis uero nihil curæ eſt.

43 ὑπώπιον. liuor.

45 μυροθήκιον, pigmentarium,
45 ὑπόμνημα commentarium.
45 σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος gravior quidam & civilior
46 ἀποσπασμάτια reliquiæ quædam
46 σῶμα corpus
46 φιλόπατρις, studiosus patriæ,
48 πολιτάας, Repub.
48 ἄλις σπουδῆς. satis studij.
49 θᾶοι patrui
49 πελιναίων Pelinæorum
49 Κορινθίων καὶ Ἀθηναίων Corinthiorum & Atheniensium
50 εὐαγγέλια. boni nuntij.
50 Κύρου παιδάαν Cyri institutionem
50 τὰς διαφάσεις transparentias, fenestras
50 ἔσω ὄψις μὲν, ἡ, α. τὸ δὲ ὁρώμενον β, γ, ἀκτῖνες δὲ, δ, καὶ ε. Sit aspectus, α, quod autem uidetur, β, γ, radij uero δ & ε.
50 κατ' εἰδώλων ἐμπώσεις per simulacrorum incidentias uel ingressiones
50 εἴδωλα species, imagines
50 ἔκχυσις effusio
50 ὑπόσχσιν statum
50 πολιτάαν Remp.
50 σωκρατικῶς ἀς ἑκάτερον, more Socraticorum in utranque partem
50 τὴν ἀρίσκουσαν quæ placeat
51 κατάκρισις sanctio
51 ἀριστοκρατικῶς, Aristocratice: pro statu optimatum,

51 ἕν οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Vnum augurium optimum defendere patriam.

51 θεοφράστου περὶ φιλομαθίας Theophrasti de studio discendi

53 αἰδέομαι τρῶας καὶ τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους. Vereor Troianos & Troianas trahētes uestes.

53 πολυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχάνην ἀναθήσει Polydamas mihi primus uitio dabit

53 θεοφάνης Theophanes

53 φιλοσοφᾶν? philosophari?

54 ἐπὶ σχολῆς in otio.

54 γεωγραφικὰ de terræ descriptione cōmētarios

54 ὁμοιοδαῖς, uniformes.

54 ἀνθηρογραφᾶσθαι, Floride scribi,

54 πολιτευτέον. in rep. uersandum.

55 ἀνέκδοτα: non edita:

55 πολιτεύομαι, in ciuitate facio,

56 κατὰ τὸ πρακτικὸν secundum actiuum

καὶ ὑπὸ στέγῃ πυκνὰς ἀκοῦσαι ψεκάδας, οὐδόσῃ φρενί. Et sub tecto frequētem audire guttam, securo animo.

58 βοῶπις, bouis oculos habens,

58 παλινῳδίαν. recantationem.

59 δισβάφῳ bis tincta purpura

59 σοφιστεύειν profiteri

59 ἐπαγγέλλομαι ἀνδρ' ἃ παμύνεσθαι, ὅταν τις πρότερος χαλεπήνῃ. Pollicēor uirum ulcisci, cum aliquis prior molestando lacessat.

59 Κικέρων ὁ μικρὸς ἀσπάζεται Τίτον Αθηναῖον. Cicero paruus salutat Titum.

59 ὑποσόλοικον, subabsurdum,

59 ἀναφαίνεσθαι apparere

60 τραχεῖ ἀλλ' ἀγαθῆ πρωτρόφος. ὅτι ἐγωγε οὐκ ἂν γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι. aspera, ſed bona puerorum nutrix. Nequaquam ego ea terra poſſum dulcius quicquã aſpicere.

60 εὐαγγέλια boni nuntij

60 συγκύρημα. caſum.

61 ξώσης φωνῆς μᾶλλον ἐνέργειαν ἔχειν; uiuæ uocis maiorem efficaciam eſſe?

61 βοώπιδος, bouis oculos habentis,

61 ἀσελγοῦς; intemperantis?

61 ὀξύπεινος. famelicus.

61 συμπόσιον conuiuium

61 κατὰ ὀπώραν τραχύς. ritu pomi dura.

61 ἀδικαίαρχοι. iniuſti magiſtratus.

61 καὶ Κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν τῖτον ἀσπάζεται. et Cicero philoſophus ciuilem Titum ſalutat.

61 αὐθωρὰ eadem hora

62 τηλέπυλον λαιστρυγονίην, Telepylum urbem Læſtrygoniam,

62 φιλοσοφῶμεν. philoſophemur.

62 ἀνατρέπτης confutabiles

62 ἐντυραννεῖσθαι, ſub tyranno eſſe,

64 Κικέρων ἀριστοκρατικώτατος παῖς Cicero ſtatus optimatum ſtudioſiſſimus puer

65 φυσᾷ γὰρ ὑσμικροῖσιν αὐλίσκοισέτι, ἀλλ' ἀγρίαις φύσασι φορβάδας ἄτερ, intumeſcit enim non paruis tibiolis amplius, ſed efferis follibus ſine ligula.

65 ἐσοφίζετο, cauillabatur, malitioſe cogitabat,

65 τὸν πρακτικὸν βίον actiuam uitam
65 τὸν θεωρητικὸν, speculatiuam,
66 πρόσθε λέων, ὄπιθεν δέ. ante leo, post uero.
66 ἐὰν δὲ μή, si uero non,
66 ὁμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται. sine dubio tyrannis construitur.
67 εὐελπισία bona spes
67 ἀδιαφορία, indifferenter,
67 ἀφιλοδόξον, ambitione uacans,
67 κατὰ τὸ κηδεμονικὸν, pro charitate,
67 ὑποθήκας documenta
67 περὶ τῶν ὅλων de omnibus
67 σκοπὸς scopus
68 κατὰ λεπτὸν minutatim
69 ἄλις δρυός. satis est quercus, id est glandium
69 τυφλώττω cæcutio
69 τῷ καλῷ προσπέπονθα. honesto sum affectus.
70 ἀσφάλειαν securitatem
71 ἀπολαύομεθα deliciamur
71 ἐν αἰνίγμασιν. obscure dictis.
71 ἀλληγορίας allegorijs
80 ἕλικτὰ, καὶ οὐδέν. inuoluta, & nihil.
80 τὰς τῶν πρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών. potentium stultitias ferre oportet.
112 μυστικώτερα secretiora
113 συλλάβας indices ex membranula
116 παλινῳδία. recantatio.
116 ὑπόθεσα argumento
117 πολιτικὸς, ciuilis,
117 ὁπλῖται, milites,

117 ταγοὶ duces

117 σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει. Spartam sortitus es, hanc orna.

118 βαθύτης profunditas

118 εὐκαιρότερον. opportunius.

118 ἐχ ὁσίη φθιμένοισι. impium mortuis.

119 ὁ δ' ἐνὶ ἐμπάξιτο μύθων. hic uero non curabat sermones.

119 μήπω μέγαν εἴπῃς πρὶν τελευτήσαντα ἰδῇς. Nil magnum dixeris priusquam mortuũ uideris.

119 σύνωμα τὴν δήμητρα σῦπον, οὐδὲ ἔτω ὅμοιον γε γονεν ficõ per Cererem ficus, neq; quicquam tam simile fuit

119 περίσασις circunstantia uel status

120 πολιτικῶς, ciuiliter,

121 γραμμὴν lineam

121 καὶ τόδε φωκυλίδεω. & hoc Phocylidis.

122 ἡδὲν γλυκύτερον ἢ πάντα ἀδέναι. Nihil dulcius quàm omnia scire.

123 σκυλμὸν, uexationem,

123 ὀξύπανος. acuta fame percitus.

123 τὴν παρεῦσαν κατάσασιν τυποδῶς, præsentem statum Reip. quasi formula quadam expressum

124 συμπάθειαν condolentiam

125 ἡμερόλεγδον ut quæque singulis diebus acciderunt

125 ἀρεοπαγίτας Areopagitanos

125 τέμπη loca amœna

126 σῆμα δέ τοι ἐρέω. Signum autem tibi dicam.

126 ἐξοχὴ excellentia

128 ἐξωτερικὲς exteriores
128 πολιτάα in libris de Rep.
128 τεχνολογίαν de arte ratiocinationem
131 ἐμφιλοσοφῆσαι philosophari
132 ἀττικισμὸς atticismus
133 συμπάθεια. condolentia.
139 σπεδαιότερον studiosius
140 δυσδιάγνωσον) πρὸς νοῦσιν difficile cognitu) ad assensum
141 διαλόγες sermones
143 φιλοπροσηνέσατα studio beginissimo mansuetissime
145 ἔρδοι τίς. faciat aliquis (subaudi quam nouit artem.
145 δυσνοίμητα difficillima mitigatu
145 βαθύτητα, profunditatem,
145 μελέτη meditatio
146 ἄνω καὶ κάτω, sursum & deorsum,
146 ἄφρακτα, sunt naues non tectæ, nec munitæ ad propugnandum.
146 ἐπίπωτον. genus nauigij.
147 οἵα τ' ἂν δέσποινα. qualis hera fuerit,
147 ἀνεξίαν tolerantiam
147 μετέωρος in expectatione
147 ὑπομνηματισμὸν monimentum
148 συμπαθῶς condolenter.
148 νομανδρίαν pastoralem uirorum cœtum
148 συνηγωνίων. cum illo mœrebam.
148 πολιτικώτερον ciuilius
150 παράγγελμα ἐνιαύσιον quod mãdaui de annua administratione

150 ἐνδόμυχον. occultum.
152 ἐπικεφάλια tributa per capita
153 συμφιλοδοξῆσι eadem ambitione certant
154 κεφάλαιον, caput,
155 συμπάθειαν condolentiam
156 τὸ νεμεσᾶν indignari: τῦ φθονᾶν, ab inuidendo.
157 ἐν ἐπιτομῇ. in breuiario.
158 πανικὰ quædam tanquam auctore Pane deo terriculamenta
158 τὰ κοινὰ τῦ πολέμυ) communia belli)
159 μώμῳ liuori
159 κεφυσίωμαι. elatus sum.
159 λαμπρά. splendida.
159 ἐν παρόδῳ, in transcursu,
159 ἀπρόσιτον non facilem accessu
159 ἀδωροδόκητον incorruptum largitione
160 κέρας cornu
161 εὐημερήματι. felici eius diei successu.
161 ἀπροτελεύτιον conclusionem
161 γλυκύπικρον dulce & amarum
163 ὑπερβολικῶς, excessiue,
163 τέθριππα quadrigas
163 κέρας cornu
166 ὁδῦ πάρεργον. obiter.
166 ἐνδομύχῳ arcano
167 οἰκονομίαν domesticam curam
167 οἴχεται euanescit
167 βαθύτητα profunditatem
167 ὑπομεμψιμοίρυς subquerulas
167 ἐξ ἀφαιρέσεως per extractionem

167 προσαναπαυομένην recreatam

171 ἀκοινωνήτως incommunicabiliter

171 ἐγκελεύσματα inhortamenta

171 τὸ γὰρ οὖ, μετ' ἐμοῦ, quod enim bene est, mecum est,

171 ἱστορικὸν historicum

171 ἐν ἔλαθες non fefelliſti

171 ἁπλῶς ſimpliciter

172 οἰκονομία domeſtica cura.

172 αὐτοσχεδιάζοντα ex tempore agentem

172 πολίτευμα adminiſtrationem publicam

173 κέρας cornu

173 ἰσοδυναμοῦσαν æquiualentem

174 διαίρεσιν diuiſionem

174 ἄγραφον non ſcriptum

174 αὐτονομίαν libertatem ſuis utendi legibus

174 τὸ παραδοξότατον. inopinatiſſimum.

174 μηδὲν αὐτοῖς. nihil illis, ſubaudi crede.

174 ὧν πραγμάτων ἀσυγκλώστων. Quæ res coniungi non poſſunt.

175 πολυδεύκης Pollucis ædem

175 ὧν ἀνιστορησίαν ὁ inſcitiam hiſtoriarum

175 ἠπόρησας dubitaſti

175 εὔπολιν τὸν τῆς ἀρχαίας Eupolim illum ueteris ſcilicet comœdiæ

175 τί λοιπόν; quid reliquum?

176 πολλοῦ γε καὶ δεῖ. multum abeſt.

176 χρύσεα χαλκείων, aurea pro æreis,

176 ἀνταντιφώνητον. in quam contra non aliquid dicam.

176 ἄδειθεν μὲν ἀνήναθεν. δᾶσαν δ' ὑποδέχεσθαι.

ueriti sunt quidē recusare. timuerunt autem accipere.

177 παρισορῆσαι scire

177 προπύλαιον uestibulum

179 ἱσοριικώτατος, historiarum peritissimus,

179 νεόυτισα nuper ædificata

179 τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ in nauium recensione, apud homerum uidelicet

179 ἀναλογία proportio, analogia

179 φλιῆς, ὀπῆς, σιπῆς. Phlius, Phliuntis, urbs Lacedæmoniorum: Opus, Opuntis, urbs Locrorum, per cōtractionem. Integrum est ὀπόας, ὀπόεντος. Sipus, Sipūtis, urbs Dauniorū in Appulia.

179 ὀπέντιοι, σιπέντιοι. gentile nomē ab ὀπῆς, σιπῆς.

179 αὐτονομίαν libertatem suis legibus utendi

180 ὑπερβολικῶς) supra modum)

182 εὐήθειαν fatuam simplicitatem

183 πολλὰ δ' ἐν μεταχμίῳ Νότος κυλίνδα κύματ' εὐρέης ἁλός) Multos autē in intermedio Auster uoluit fluctus lati maris) Est enim proprie μετάχμιον, id spatium quod est inter duos exercitus.

186 ἀκοινώνητον incommunicabile

187 μυστικώτερον secretius

187 τῆς δ' ἁμαρτός μου ὁ ἀπελεύθερος (οἶδα ὃν λέγω) ἔδοξέ μοι πρώην, ἐξ ὧν ἀλογεύομενος παρεφθέγγετο, πεφυρακέναι τὰς φήφους ἐν τῆς ὠνῆς τῶν ὑπαρχόντων τὸ προτωνιάτε τυραννοκτόνου. δείδοικα δὲ, μήτι νοήσῃς. εἰς δήπου τοῦτο δὴ περισπεφάμενος, τὰ λοιπὰ ἐξασφάλισαι: uxoris meæ libertus (nosti quē dico) uisus est mi-

hi dudum è uerbis, quæ inconsideratè protulit, turbasse calculos, seu suffragia ex cœmptione bonorum Crotoniatæ tyrannicidæ. timeo, nequid intelligas. unus quidē hoc si consideraueris, reliqua munies explanando.

188 τῆς ξυναόρυ τῆς ἐμῆς, ὁ ἐξελεύθερος, ἔδοξέ μοι θαμὰ βατταρίζων, καὶ ἀλύων τοῖς ξυλλόγοις καὶ ταῖς λέχαις ὑπότι πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐν τοῖς ὑπάρχουσι τοῖς τῦ προτωνιάτου: uxoris meæ libertus uisus est mihi sæpe garriēs, & in cōciliabulis & consessionibus nugantiū aliquid turbasse calculorū in bonis Crotoniatæ

188 ἐξ ἄστεως ἐπὶ τὸ λόφου τὰ χῶν παρέδωκεν ἡμῶν γάμῳ ὀφθήματα ὁ πάμιλλος αὐτόν τε ὀφείλοντα μνᾶς πδ ἐν τῶν προτωνιατικῶν, καὶ ἐν τῶν χερρονησιτικῶν μ η. καὶ συγκληρονομήσας χμ. μ. τούτων δ' ἰ μηδὲ ὀβολὸν διαλύσασθαι πάντων ὀφληθέντων τῦ δευτέρυ μηνὸς τῆ νουμηνίᾳ. τὸν δὲ ἀπελεύθερον αὐτῦ, ὄντα ὁμώνυμον τῷ πόνωνος πατρὶ, μηδὲν ὁλοχερῶς πεφροντικέναι. ταῦτα ἓν πρῶτον μὲν ἵνα πάντα σώξητε. δεύτερον δὲ, ἵνα μηδὲ τῶν τόκων ὀλιγωρήσῃς τῶν ἀπὸ τῆς προεκπεμένης ἡμέρας. ὅσας αὐτὸν ἠνέγκαμεν, σφόδρα δέδοικα. καὶ γὰρ παρῆν πρὸς ἡμᾶς κατασπεψόμενος, καί τι χεδὸν ἐλπίσας· ἀπογνὺς δὲ ἀλόγως ἀπέσχη, ἐπαπὼν, αἰχρόν τοι δηρόν τε μένειν: è septicollis urbis mœnibus tradidit nostri coniugij debita Camillus, séque debentem mnas 24. ex bonis Crotoniatarum, & Cherrhonesitarū 48. & cum hereditatem euenerit. 648. 20. 40. horū

autem ne obolũ quidem dissoluisse ex omnibus debitis secundi mensis Calendis. liberũ autẽ eius, existentem cognominẽ Cononis patri, nihil prorsus curasse. Hæc igitur primũ, ut omnia conseruetis. deinde ut neque usuras negligas eas, quæ sunt à præcedenti die: quot dies ipsum tolerauimus, uehementer timeo. Etenim aderat apud nos exploraturus, & aliquid propè sperans. desperãs autẽ sine ratione destitit, fatus, turpe diu manere.

188 τὰ μὲν διδόμενα. quæ dantur.
189 λελῃθότως latenter
189 ἄλλο πρόβλημα alia quæstio
189 ἐξανανθίζαν. expinare, spinas euellere.
189 πυρὸς ἀς δῆμον triticum in populum
189 προπύλῳ uestibulo
190 ἐπέχαν hæsitare
190 ἐποχῆς dubitationis
190 παλιγγενεσίαν regenerationem.
191 ἐν αἰνιγμοῖς. ænigmatice.
191 ἁφελῶς simpliciter
192 αἰσχρὸν σιωπᾶν. turpe tacere.
192 σύγχυσιν confusionem
193 παραφύλαξον, obserua,
193 τὴν τῆ φυρατῆ φιλοτιμίαν ὡτόταται. turbatoris ambitionem ipsissime.
193 μενὸν inanem
193 ἄτυφον nec ambitioso fastu tacentem
193 ἐπέχαν dubitare
193 ἀθέτησις improbatio
193 ἐποχὴ cunctatio

193 τοῦτο μόνον ἐρῶν ἐμοί. hoc solum dicens mihi.
193 ἐπιχρονία ἐποχὴ diuturna dubitatio
194 φιλοτιμία ambitio
195 πρόβλημα quæstionem
195 ἀλλ' ἐμὸν ὅποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπαθες πατρί-δος. sed meum nunquam animum in pectoribus persuasisti patriæ.
196 αἰδέομαι uereor
196 τρῶας καὶ τρωάδας. Troas & Troadas.
196 πολιδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχάην κατακάσσα, Polydamas mihi primus probrum inserat,
196 ὀδὸν πάρεργον, obiter.
196 ἐπίκτητα fluxa
197 ἐκβολὴ λόγου egressio orationis
197 ὠπόρισον, comparabilem,
197 φυράτης permistor
197 ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ. Sed hæc quidem facta esse sinamus, licet dolentes.
198 ἄμεμπτα non accusanda
198 σπουδάξοντα, studentem,
198 τῶν νεωτέρων, iuniorum,
199 αὐτόχθων natiua & indigena
199 στοργὴν φυσικὴν amorē naturalem πρὸς τὰ τέκνα. in filios.
201 ἀμεταμέλητος non pœnitenda
201 τὸ σκάφος τῶν Ἀτρειδῶν. nauigium Atridarū.
201 σύντομα. compendiosa.
204 δήμους uicos
204 ζήτημα quæstionem
206 τεκμηριώδεις coniecturale

207 τοῖς ἀπαντῶσι, occurrentibus,
207 δύχρηστα. inutilia.
207 ἀπότριψαι abstergito
207 ἐγὰρ ἂν τόδε μᾶζον ἔτοι κακὸν neq; enim maius sequetur malum
208 παλινῳδία recantatio
208 λῆψις deprehensatio
209 ἀβδηριτικόν. abderiticum.
210 ἐμπολιτεύομαί σοι tibi in Rep. uersor
211 πολιτικὸν σκέμμα, ciuilis consideratio,
211 φιλοσοφώτερον διυπρινήσομεν, contemplatius dijudicabimus,
211 σύγχυσιν τῆς πολιτείας confusionem Reip.
211 ξυνὸς ἐνυάλιος communis Mars
211 πολιτικῶς ciuiliter
212 ἄμορφον ἀντιπολιτευομένῳ χρεωφειλέτην deforme & turpe est aduersantis in Rep. debitorem esse
212 διυπρινήσας πρόβλημα πολιτικόν. dijudicabis quæstionem ciuilem.
214 τὸ καλοῦ honesti
214 χρεῶν ἀποκοπάς, φυγάδων καθόδους. tabulas nouas, exulum restitutiones.
214 τὴν θεῶν μεγίστην ὡς ἔχειν τυραννίδα. Deorum maximam ut obtineat tyrannidem.
215 ἐνσχολάζω σοι. otium consumo tibi.
215 ἀπορῶ. dubito.
215 ἔτως γε τῶν πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέα ἀνδρῶν. sic sane superiorũ lugebamus laudes uirorũ.
215 ἐπίσκοπον, speculatorem,
215 ὁρμὴ impetus

216 φαλαρισμὸν Phalaridis imitationem
216 αἰδέομαι τρῶας, vereor Troianos,
217 ἀπορίαν dubitationem
218 πολιτικῶς. ciuiliter.
218 ἀστρατήγητος, regendi exercitus ignarus,
218 πρὸς τὸ ἀσφαλές. ad tutum.
218 πρὸς τὰς δόξας, ad opiniones,
219 μάντις δ' ἄριστος. uates autem optimus.
223 σησιωδέστερον. magis Sesiane.
224 ὑπεμβέμενος exponens
226 ψευδησιόδειον quod falsò Hesiodo ascribitur
226 μηδὲ δίκην, neque causam, Totum carmen est, μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς. Ne causam ante iudicaueris, quàm utriusque partis causam audiueris.
227 καὶ συναποθανεῖν. & simul mori.
227 φαιδροπροσωπεῖν ostendere faciem lætam
228 σκέμμα consideratio
228 ἀπορία dubitatio
235 διπλῆ. nota in margine adscripta, sic apud Græcos appellata.
240 πολλὰ μάτην multa frustra
240 ῥᾳθυμεῖν δῆτα segnem esse.
242 ἀπροσφωνήτους, insalutatos,
242 τὸ καλὸν honestum
243 πρὸς ταῦθ', ὅτι χρὴ καὶ παλαμάσθων, καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τετυγμένοσθων. Ad hæc, quod oportet & faciant, & omne in me fabricentur.
243 τὸ γὰρ εὖ, μετ' ἐμοῦ. quod enim bene est, mecum est.
243 πολλὰ χαίραν τῷ καλῷ multam salutem hone-

ſto.i.dicens.

244 εὐγενῆ generoſa,nobilia

244 συνδιημερεύομεν,ſimul diem traducimus

245 τέρας monſtrum

246 σκοπὸς intentio

246 προθεσπίζω præſagio

246 ἰλιὰς Ilias

247 περὶ ὁμονοίας de concordia

263 ἀπολιτικώτατον maxime ciuilis gubernationis expertem

263 ἀστρατηγικώτατον.maxime imperatoriæ artis

264 ἀπαντήσας.occurſus obuiam. (ignarũ.

264 αἰδέομαι τρῶας.uereor Troas

265 κενόφρενα inanis ſtudij plena

266 ἀναπάντητον in quo nemo occurrat

267 ὑπὸ τὴν διάληψιν ſub ipſa acceſſione febris

267 ἀπαρρησίαστον loquendi audacia carentem

267 τίς δ' ἔστι δοῦλος, τῷ θανεῖν ἄφροντις ὤν; Quiſnam eſt ſeruus,de morte ſecurus qui ſit?

268 ἀσμενίστερον lubentius

269 βέσας,materias

269 ἀμεμπτέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ.τυραννουμένης δὲ αὐτῆς, ἀπαντὶ τρόπῳ τυραννίδος καταλυσιν παρατέον,κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειν. ἀνληπτέον τὸν καταλύοντα, μὴ αὐτὸς ἄρθηται, ἢ παρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι ἀρίνῃ μᾶλλον, ἢ πολέμῳ. ἀπολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν ἀναχωρήσαντά ποι,τῆς πατρίδος τυραννουμένης, ἢ διὰ παντὸς ἑτέον κινδύνου τῆς ἐλευθερίας περὶ.ἀπόλεμον ἐπακτέον τῇ χώρᾳ,κἀπο

διορικτέον αὐτὴν τυραννευμένην. ἆ καὶ μὴ δοκιμάζοντα τὴν διὰ πολέμου κατάλυσιν τῆς τυραννίδος, συναπογραπτέον ὅμως τοῖς ἀρίστοις, ἃ τοῖς εὐεργέταις, καὶ φίλοις συγκινδυνευτέον ἐν τοῖς πολιτικοῖς, κἂν μὴ δοκῶσιν οὗ βεβελεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων. ἃ ὃ μεγάλα τὴν πατρίδα εὐεργετήσας, δι' αὐτὸ δὲ τοῦτο ἀνήκεστα παθὼν, καὶ φθονηθεὶς, κινδυνεύσειεν ἂν ἐθελοντὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος. ἃ ἀφετέον αὐτῷ ἑαυτῷ ποτὲ, καὶ τῶν οἰκειοτάτων αὐτῷ ποιεῖσθαι πρόνοιαν ἀφεμένῳ τὰς πρὸς τοὺς ἰσχύοντας διαπολιτείας. an manẽdum in patria tyrãnide oppressa. ea uero tyrãnide oppressa, an quouis modo tyrãnidis destructio tẽtanda est, etiã si ciuitas propter id de summa rerũ periculũ subitura sit. Vtrũ cauendũ sit tyrãnidẽ destrueti, ne quid ipse patiatur, an tẽtandũ ferre opẽ patriæ pace potius, quàm bello. Vtrũ ciuile sit secedẽtẽ aliquò, quiescere, oppressa à tyrãno patria, an quodcũq; subeũdum discrimẽ pro libertate, an bellũ inferẽdũ regioni, eámq; obsidendũ à tyrãno oppressã. Vtrũ quãlibet nõ probãti destructionẽ tyrãnidis per bellũ, simul tamen cũ optimatibus auertẽda sit ipsa. s. tyrãnis, an cũ benefactoribus, & amicis unà periclitandũ, in administratione Reip. etiã si non uideãtur recte de summa rerũ iniusse consiliũ. Vtrũ de patria bene meritus, ob eámq; causam grauissima quæq; passus, & iniusus, ultro pro patria discrimẽ subire debeat, an permittendũ sibi, ut sui ipsius interdũ, & familiarissimorum prouidentiam habeat, dimissis aduersus potentes Reip. concertationibus.

270 τῶν προὔργου τι quæ ſunt ex re

270 ἄκαιρος intempeſtiuus

270 εὐστομάχως bono ſtomacho

271 αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' ἕκτορα πότμος ἑτοῖ
μος. Statim enim tibi deinde poſt Hectorem mors parata.

271 αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ πτε
νομένῳ ἐπαμῦναι. Vtinam ſtatim obeã, poſteaquam non eram ſocio interfecto ſuppetias laturus.

271 ἑταίρῳ ſodali

271 εὐεργέτης; benefactori?

273 οὐδέ μοι ἦτορ ἔμπεδον, ἀλλ' ἀλαλύπτημαι. Neque enim mihi cor firmum, ſed conſternato ſum animo.

273 αἰχροῦ φαντασίᾳ. inhoneſta imaginatione.

273 ἐν δυνάμει) in poteſtate)

273 σύν τε δύ' ἐρχομένω. paritérque duo euntes.

274 τὸ συνέχον continens

275 ἀπάντησις occurſus

275 πολίτευμα actio de Rep.

275 μή μοι γοργείην κεφαλὴν δαΐοο πελώρου ne mihi Gorgomeũ caput horrendi & grauis mõſtri

275 εἰδώς σοι λέγω. ſciens tibi dico.

276 ἀχαριστίας ingrati animi

276 ὁ πλοῦς ὡραῖος nauigatio idonea

277 Μέντορ πῶς τ' ἀρέω, πῶς τ' ἀρ προσπτύξομαι αὐτόν; Mentor quonam modo adeam, & quonam modo amplexabor ipſum?

281 θέσεις materias

281 Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ. Dionyſius Corinthi.

283 τότε μοι χάνοι οὖρᾶα χθών. Tunc mihi dehiſcat lata terra.

284 ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς in amatorijs

286 ἀλογίσως. inconſiderate.

286 ὑποκορίζῃ leni uoce appellas

286 χρησμὸς oraculum

286 ἄσπονδον impacabile

286 φιλόπατριν ac πολιτικὸν ſtudioſum patriæ & ciiulem

287 γενικώτερον generalius

287 νεκύων turbam mortuorum

287 ἀπορῶ. dubito

287 ἑρκτέον acquieſcendum

287 τὸ μέλλον, ἀκραδοκήσας quod futurum eſt, expectabis.

288 ὑπὸ τὴν λῆψιν ſub accęſſione febris

288 ἀσμένιστον. lubentiſſimum.

289 πολιτικὸν ciiule

289 μακροθυμίαν longanimitatem

289 εὐδαίμονα feliçem

292 οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος non eſt uerax ſermo

292 εὐημερίαν feliçem diei ſucceſſum

293 συναγωγὴ collectio

293 ἐσάλπιξεν tuba concinuit

293 λάτισμα. falſa quædam oſtentatio.

294 γοητείαν præſtigiationem

294 πειθανάγκην. perſuaſionem neçeſſitatis inferentem.

294 μιᾶς γὰρ τῶν τυράννων δεήσεως, inquit πλάτων, ὅιθ' ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις. tyrannorum enim preçes, inquit Plato, noſti quàm per-

mixtæ neæssitatibus.

294 ἀλίμενα sine portu loca

294 ὑπηρεσίαν ministerium

294 ἀδημονῶν, se excrucians,

294 διατροπὴν apparatum

296 αὐθεντικῶς auctoritate quadam domini utens

297 τέτλα νύντερον, perfer peius

298 ἄλλα μὲν αὐτὸς, alia quidem ipse,

298 ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται. alia autem & deus suggeret.

301 ἀναθεώρησις speculatio

303 μὴ μὰν ἀσπουδάς γε καὶ ἀκλεῶς ἀπολοίμην, ne negligenter & inglorius perirem,

303 ἀλλὰ μέγα ῥέξας, τι καὶ ἐσομένοισι πυθέσθαι. sed magnum facinus edens, quod uel à posteris audiatur.

304 τῶν πολιτικωτάτων σκεμμάτων, maxime ciuilium considerationum,

305 ἄλη error

305 πολιτευτέον uersandum in Rep.

316 τῶν τε παραχρῆμα δι' ἐλαχίστης βουλῆς πράτιστος γνώμων, καὶ τῶν μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τὸ γενησομένου ἄριστος ἀνασκής, tum subito præsentium per minimum consiliũ optimus cognitor, tum futurorum in longitudinem euentus præstantissimus coniectator.

316 τό, τε ἄμεινον ἢ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανεῖ ἔτι προεώρα μάλιστα. & melius quàm deterius in obscuro adhuc præuidebat maxime.

316 πλουσιῶν. nauigationem expectans

317 σοργῆς amoris

317 σύντηξις. colliquatio.
317 συμπάθειαν condolentiam
318 ζηλοτυπία æmulatio
319 αὐθεντικῶς auctore
322 σκυτάλην λακωνικήν. scutica laconicam, Scytalē.
322 σὺν θεῷ τοι λέγω. cum deo tibi dico.
322 δυσουρία urinæ difficultas
322 ἀρχή. principium.
322 ἀνηθοποίητον, nequaquam formatis moribus,
323 ἤθους ἐπιμελητέον. moribus adhibēda diligētia.
323 ὕπουλον, subdolum,
324 ἀφράκτῳ detecto nauigio
324 ἀποτόμως concise
324 θυμικώτερον stomachosius
325 παραπλευτέον abnauigandum
325 ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθω ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ. Sed quæ quidem ante acta sunt omittamus, quanuis tristes.
326 σφάλμα, error,
326 ἀρετὴ uirtus
326 διδακτὸν, res quæ tradi possit docendo,
327 πρᾶξιν πολιτικοῦ. factum ciuilis.
327 περὶ κοιλιολυσίαν γίγνεσθαι. circa uentris solutionem esse.
329 ὦ πολλῆς ἀγενείας, ὁ multam ignobilitatem,
332 ἐκτένειαν. propensionem.
332 ἑπταμηνιαῖον ἀπέκρισιν, septimestrem salua peperit.
333 κωρυκαῖοι Corycæi
363 γεροντικώτερον senilius
363 λέσχη, confabulatio,

364 τί γὰρ αὐτῷ μέλει ; quid enim illi curæ est.
364 βεβίωται. uita traducta est.
264 πρόβλημα, quæstio,
364 ἀγοητεύτως sine præstigijs & fuco
364 μακάρων νῆσοι beatorum insulæ
364 πάθει. affectu.
364 σκέψαι considera
265 ἀλογηθῇ. negligatur.
365 μελήσει. curæ sit.
365 ἐρευθίστερον rubicundiorem
365 πρόβλημα ἀρχιμήδειον quæstio archimedea.
365 ψευδῶς falso
365 ἄκουσμα auditio
365 ἔρανον collationem
365 διψῶσαν πρήνην, siticulosum fontem,
365 παρήνην pirenem
365 ἔμπνευμα σεμνὸν Ἀλφειοῦ παρήνην requiem ue rendam Alphei pirenen
365 ποῖ ταῦτ' ἄρα ἀποσκήψει ; quonam hæc modo excusabis?
366 γεωμετρικῶς more geometrico
367 ἀρχέτυπα exemplaria
367 πάντα φιλόδημον. omnem popularem.
367 θεωρίαν speculationem
367 τέλος ; finem?
368 οὐτινεί, uenustum,
369 ᾧ ἀπεραντολογίαν δός. cui infinitam loquacitatem tribue.
369 ἐπιδήμιον, redeuntem,
369 συμπάσχω. condoleo.
369 ἀποθέωσιν deificationem.

369 μεθαρμόζομαι adaptor

370 ἀνεμέσητον γάρ. nulla enim inuidia est.

379 πολιτικοὶ optimates

380 τετυφῶσθαι. tumefactum esse.

380 ἐγγήραμα, senectutis requies,

383 ἐντάφιον senectutis otium

386 ἀλόγως sine ratione

388 ἀποθέωσιν deificationem

390 συμβουλευτικόν deliberatiuum

390 Ἀριστοτέλους καὶ θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον. Aristotelis & Theopompi ad Alexandrum.

390 φιλάτιος συμφορά. querula calamitas.

392 πρόπλασμα præfigmentum

393 συμπαθῶς condolenter

394 οἰκοδεσποτικὰ patrissfamiliàs officia

394 συντάγματα opera

395 ἀκηδία incuriositas

395 ἀνεκτότερα tolerabiliora

395 σύνναον contubernalem

395 ὑπόθεσις argumentum

397 τοῦτο δὲ μηλώσῃ. hæc uero conijcies, dispicies, indagabis.

398 ἀπόγραφα descripta

399 κατάβιωσιν, tenuem uictum,

401 ὔλογον, rationabile,

402 ὐλογώτατον, maxime rationi consentaneum,

402 παναιτίου περὶ προνοίας. Panætij de prouidentia.

403 ἐντενέστερον, contentius,

403 φιλοσοργότερον. amantius.

403 ἄφατα, infanda, ἀδιήγητα. inenarrabilia.

403 ἀνακάρως opportune
403 παρὰ τὴν ἱσορίαν, præter historiam,
404 κοινότερα communiora
404 πολιτικώτερα. ciuiliora.
404 οὐ γὰρ ὀνειδίως. non enim opprobrium.
405 φιλολογώτερα, eruditiora,
405 προσφώνησιν. nuncupationem.
405 καλλιππίδης Callippides
405 αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώιον, ipsa mẽsura & melius,
405 ἄμεινον εἶναι. si possis.
405 περὶ τελῶν σύνταξιν, de finibus opus,
405 ἀκαδημαϊκὴν, academaicam,
405 ἀντιόχεια, Antiochia,
406 ξηλοτυπᾶσθαι, obtrectari,
406 φιλαυτία amor sui
406 ἀπορῶ, dubito,
406 αἰδέομαι τρῶας. uereor Troas.
406 μέμψιν accusationem
407 παρὰ τὸ πρέπον præter decorum
407 ἀπαιδευσία, ruditas,
407 ἀτριψία, ignorantia,
408 πολυγραφώτατος plurima scribens
408 ξηλοτυπᾶν æmulari
408 ἀκίνδυνα periculo carentia
408 φιλένδοξος. ambitiosus.
408 ἀκαταληψίαν, incomprehensibilitatem,
409 κωφὸν πρόσωπον muta persona
409 Ἀριστοτέλειον Aristotelicum
409 περὶ τελῶν, de finibus,
409 περιπατητικὰ peripatetica

409 ἀξηλότυπον æmulo carens
409 λογικώτερα, probabiliora.
409 ἔρμαῖον imperatum lucrum
409 πιθανὰ ſuaſoria
410 φιλαίτιος. querulus.
410 φιλοσόφως. philoſophicæ.
410 δεδῆχθαι morſum eſſe
410 μὴ γὰρ αὐτοῖς. ne enim ipſis.
411 προβολὴν ingreſſum
411 ἐποχῇ. retentioni.
411 λόγοισιν Ερμόδωρος, uerbis Hermodorus.
411 προσφωνῶ. nuncupo.
411 ἀδιόρθωτα imperfecta
411 ἴωλα obſoleta
411 περὶ μικρὰ σπουδάζειν. paruis ſtudere.
412 εὐκόλως. facile.
412 εὐγενέστερος generoſior
412 ἀσμενέστατα libentiſſime
412 τὰ κατὰ μέρος particularia
413 εὐλογίαν. honeſtam rationem.
414 συμβιώσεις) conuictus)
414 εὐλόγως. decenter.
414 διφθέραι pellicææ ueſtes
414 αἰδέομαι τρῶας. uereor Troas.
415 ἀσαφέστερος, obſcurior,
415 ἀνὴρ σεμνὸς ἀνὴρ, τάχα μὲν καὶ ἀναίτιον αἰτιώσατο.
grauis uir, & qui forte inſontem accuſet.
416 περιοχὰς argumenta
417 κολακείαν aſſentatio
417 ἐπίτευγμα lucrum quod acquiritur
417 ἀπότευγμα damnum, uel quod amittitur

417 παρακινδυνεύειν; periclitari?
417 μάλιγμα mitigamentum
417 σπουδὴ studium
418 πρόβλημα Ἀρχιμήδειον. quæstio Archimedea.
419 ἀφίδρυμα, sedes rei quæ dedicatur,
419 τὸν τρύφον μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον. elationi meæ per deos morem gerito.
420 κολακίαι assentationes
420 πολιτικὸν σύλλογον, ciuilem conuentum,
420 καταβάσεως descensus
420 μεμφικὰ, fatua,
421 περὶ ψυχῆς de anima
421 διὰ σημείων per notas
421 σύλλογον conuentum
421 πομπεύσαι καὶ τοῖς προσώποις. ostentare etiam personis.
422 δυσωπία. uerecundia.
422 καταβάσεως descensus
424 ἀξιοπίστως fide dignum
424 φοβερὸν ἦν, formidabile erat,
424 ἀνεμοφόρητα, uentis dissipata,
425 οὐκ ἐπέσησεν. non aduertit.
425 πότερον δίκαις τεῖχος ὕψιον, ἢ σχολιᾶς ἀπάτας; utrum iustitiæ murus altus, an obliquæ fraudis?
425 δίχα μοι νόος ἀτρέμας ἀτᾶν. ambigit mihi mens uerum dicere.
426 φαίδρῳ περὶ θεῶν phædri de dijs
426 φιλοτέχνημα comminiscendi artes
426 τὰ ὅλα. cuncta.
426 σχολιῶς ἀπάταις obliquis fraudibus

427 καὶ μάλα κατηφὴς. & admodum triſtis.
427 σὺ δὲ τί σύννους; tu uero quid cogitabundus?
427 ἀσπόνδου. immitis.
428 μνημονικὸν ἁμάρτημα. memoriæ error.
431 ἀλόγως temere
431 μέμψιν ἀναφέρει accuſationem adſcribit
433 πρὸς ἴσον ὅμοιον ad æquale ſimile
433 ἀκολακευτως ſine aſſentatione
433 ἀμεταμέλητον. quem non pœnitet.
434 ἐμετικὴν uomitum
434 ἀδεῶς, intrepide,
434 οἱ περὶ αὐτὸν qui apud eum
434 σπουδαῖον οὐδὲν ſtudioſum ſiue ſerium nihil
434 φιλόλογα eruditula
434 ἐπισκαθμίαν. diuerſorium.
435 σκαλάκωμα, inanem iactantiam,
436 φαλάκρωμα calutium
436 κενικὸν uanus terror
436 διάθεσιν. affectum.
436 ἐπισημασίαν, deſignationem,
437 ἥρωες, heroes,
437 ἐσίγησας taciſti
437 μνημονικὸν ἁμάρτημα, memoriæ error,
437 φυρμὸς πολύς. permiſtio multa.
437 ἀρίστισα inſtabilia, ab Euripo.
438 νεωτερισμοῦ innouationis
438 πολιτεύεσθαι. adminiſtrare Remp.
438 σόλοικον, ἢ τυραννοκτόνους inſulſum, quàm tyrannicidas.
438 πεπολιτεύμεθα, Remp. adminiſtrauimus,
439 πεπυκνωμένα, denſatæ,

441 γῆν pro γῆς terram pro terra
441 ὑπηνέμιος subuentanea
442 ἀκολασίαν intemperantiam
443 ὦ πράξεως καλῆς μὲν, ἀτελοῦς δέ. O rem pulchram quidem, sed imperfectam.
444 ἀλιτενῆ humili
444 Αλλ' οὐ θνατὸς ἐπηράτου ἔργα μέμηλεν, Αλλὰ λίην μέγα πῆμα διοτρεφὲς, εἰσοροῶντες δάδιμεν, ἐνδοίη δὲ σαώσεμεν, ἢ ἀπολέσθαι. sed non cõmuij dulcis opera curæ sunt, Sed ual de magnum malum à Ioue immussum intuentes timemus. daret autem seruari, aut perire.
444 Τέκνον ἐμὸν οὔτοι δέδοται πολεμήια ἔργα, Αλλὰ σύγ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο. haud tibi fili mi data sunt bellica gesta, Sed tu amabilia exerce officia literarum.
449 πολιτικώτερα ciuiliora
450 ἀναθεώρησιν administrationem
451 ἀρισεῖαν. præclare gestum.
452 κατὰ μίτον de singulis rebus
453 μελήσει. curæ erit.
453 ἀνέκδοτον, non editum,
458 πρᾶξιν factum
459 καθολικὸν θεώρημα uniuersalem speculationem
460 μὴ πολιτεύεσθαι. non administrare rempublicam
461 ὑποσόλοικα, incongrua,
461 βεβίωται. uita transacta est.
461 πέντε λοιπὸν, quinque quod reliquum est,

461 λῆρος πολύς. nugæ multæ.
462 ὑπόθεσιν argumentum
462 εὔλογον, rationi consentaneum,
462 φαιδροπροσωπητέον hilari multu agendum est
462 ἰτέον eundum
462 ἄλλοις ἐνεδρολοῖς. τὸν δ' ἀπωθοῦνται φόγον.
aliis in bonis. dedecus autem repellunt.
464 οὐδὲν ὑγιές. nihil sani.
465 Δημοσθένους Demosthenis
466 πέντε λοιπὸν quinque quod reliquum est
467 ἄνω ποταμῶν. retro fluminum. s. cursus est.
468 ἀπορία dubitatio
468 μελήσει. curæ erit.
468 παρεγχείρησις conatus
474 ἦ δεῦρ' ὁδός σοι τί δύνατ' νῦν θεοπρεπές; iter huc tibi quid potest nunc ô deo digne?
475 βλάσφημα maledictum
475 καὶ μάλα σεμνὸς, & ualde grauis,
475 τἀν δ' αἰτίαν τῶν βρούτων τίς ἄχεν; causam uero Brutorum quis habebat?
476 κατηχήσει, instructione,
476 ἐὰν διαμένῃ. si permanserit.
476 ἀναντιφωνησία. incontradicentia.
476 διάλογον dialogum
476 ἡρακλείδιον, heraclideum opus,
477 φιλοσοφούμενα. philosophica.
477 τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος quæ de officio
477 προσφωνοῦμεν nuncupamus
479 συντάξεις commentationes
479 μετέωρος, animi pendens,

479 φιλόλογα,ab æquitate non aliena,
479 φιλοφρόνως benigne
480 πεπυνωμένως denſe ac ſpiſſe
480 προποπὴν promotionem,felicitatem
480 οἶκος φίλος.domus cara.
480 ῥωφογραφία ſcriptio de plantis
481 ῥητορεύουσι.rhetoriſſant.
481 φιλοσόργως peramanter
481 τὰ μὲν δεδόμενα.data quidem.
482 ἐργῶδες,laborioſum,
482 ἀνεκτὸν,tolerabile,
482 αὐτοσχέδιασμα.ex tempore factum.
483 ἄφατα ineffabilia
483 οὐδέν.nihil.
483 πάσχω τι.patior aliquid.
485 πλοῦς.nauigatio.
485 ὑπόμνημα commentarium
486 ἀτοπώτατον abſurdiſſimum
488 πάνυ φιλοσόργως.ualde amanter.
488 ἡρακλείδιον,heraclideum,
488 βουλύσια ueſpera
488 ἀμηχανία.inopia conſilij,uel anxietas.
489 σπείσασθαι inducias facere
489 ἐβδελυττόμην,abominabar,
489 σκοπὸς ſcopus
489 οὐ παρὰ τοῦτο.non præter hoc.
490 ἔλθωμεν.eamus.
490 ἐν ὁμοπλοίᾳ ſocietate nauigandi
490 λῆρος πολὺς multæ nugæ
490 γλίχρως parce,tenuiter
493 σύνταγμα uolumen elaboratum

493 ἀρχέτυπον archetypum, exemplar
495 παρὰ λέξιν. præter uerbum.
497 μετεωρότερον ſuſpenſiore animo
497 ἀσφαλὲς, tutum,
497 ῥοπὴ momentum
497 γαυριῶ. glorior,
497 μετ' ἀμύμονα. poſt malpatum. Alludit autem ad illud Homericũ, μετ' ἀμύμονα πηλέωνα.
497 ἀμύμων. præſtans, malpabilis.
497 ἄμβροτος. immortalis.
497 συναγωγή. collectio.
498 δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες, longam nauigationem meditantes,
498 ἦ δοῦρ' ὁδός σοι τί δύνατα; iter huc tibi quid poteſt?
499 σύγγραμμα conſcriptio
500 ἀνεμίσητα mundia carentia
500 εὐθανασίαν felicem mortem
500 σχόλιον annotatiuncula
500 ἀπολογισμὸν συντάξομαι, defenſionẽ componã,
501 ἀναπολόγητον. quod defendi nequit.
501 δυχρησία difficilis uſus
502 παράξεσθαι παραλύσαν tentare diſſoluere
503 εὐκαιρίαν occaſionem
503 ἀσφάλειαν ſecuritatem
503 ἀπορία dubitatione
503 σκέπτομαι. conſidero.
503 ἀρισία uirilitas, uel ſtrenuitas
504 παῖ δὲς παίδων nati natorum
504 εἷς ἐμοὶ μυρίοι. unus mihi mille.
504 ἀδόλεχος. loquax.

504 εὐμενείας. constantia.
505 εἰρωνείας, dissimulatio,
505 πεπλογραφίαν pepli descriptionem
505 ταξιάρχης, ordinis ductor,
505 τὰ περὶ τὸ καθήκοντος, quæ de officio,
505 τὰ κεφάλαια capita
505 περὶ τὸ κατὰ περίστασιν καθήκοντος. de officio circa aduersitatem fortunæ.
505 προσφωνῶ alloquor, scribo
505 ἀνοικεῖον. alienum.
506 αἰδεῖσθαι μὲν ἀρνήσασθαι. δεῖσαν δ' ὑποδέχεσθαι. pudebat quidem abnuere. ueriti sunt autem susipere.
506 ἀπάντησις, occursus,
507 δολιχὸν πλοῦν ὁρμαίνοντα. longam nauigationem cum capescerem.
507 ἀπροσδιόνυσον inexpectatum
507 ἐν ἀριστερᾷ ἔχοντα. ad sinistram habentem.
510 ἐν πολιτικῷ in ciuili
510 μὴ δὲ σωθείην, ἄποτε τοιοῦτο. ne saluus quidem fiam, si nunquam tale aliter & melius.
511 στρατηλάξ imperator
535 ἐμφατικώτερον expressius & euidentius
587 ἀλλὰ αἰεί τινα φῶτα μέγαν, sed semper quendam hominem ingentem.
592 ὀρθὰν τὴν ναῦν, ἅπαξ θανεῖν. rectam nauim, semel mori.
605 προμηνομήσαμεν præcauimus
605 εὐκαίρως opportune
608 εἰλικρινὲς sincerum

609 ἀμφιλαφίαν ancipitem ansam.
612 μυσοπάταντος à musis percussus
612 ἀντίσταθμον æquilibrem seu recompensantem
612 ἔκπαύσας. mitte omnes.
619 τοιαῦτα ὁ πλήμων ἐξεργάζεται πόλεμος. talia erumnosum bellum efficit.
620 πραγματικῶς negotialiter
621 ὑπερβολικῶς. supra quàm res est.
621 συνδαίτους σοφοκλέους, concœnatores Sophoclis.
622 ὑπόθεσιν argumentum
622 γλαῦκα ἐς ἀθήνας noctuam Athenas
622 ῥαθυμότερα. segniora.
622 χαρακτὴρ stylus.
622 φιλαλήθως, ingenue,
625 ἀποδυτηρίῳ expoliatorio
629 δευτέρας φροντίδας secundas curas
631 γνῶθι πῶς ἄλλῳ κέχρηται. nosce quomodo alio usus fuerit.
631 ἐμβόλιον interpositionem
632 ἀπόδυγμα repulsam
636 ἐνθουσιασμός. diuinus furor.
637 ἄρτι πνέων mortem spirans
638 ὑποθέσεις argumenta
639 ἀεὶ ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων, semper strenue gerere, & præstantem esse alijs,
639 πλέον plus
639 γνῶθι σαυτὸν, nosce teipsum,
640 ἦμαρ ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ ζεύς,

ὅτε δ' ἠΰ ἄνδρεσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ . ὅσ
βίῃ ἐν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας, Εκ δὲ
δίκην ἐλάσσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες. die au
tumnali, cum abũdantissimam pluit aquam
Iupiter, cum iam hominibus iratus succen-
set: qui per uim in foro obliquas iudicant iu-
stitias, iustitiam autem expellant deorum re-
ligionem non curantes.

642 τότε μοι κάνοι. tunc mihi dehiscat.

643 ὁ δὲ μάγεται οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς, hic autẽ furit non amplius tolerabiliter.

643 ἐν παρέργῳ obiter.

644 ἔπος carmen

644 ἄλλ' οἱ μωξέτω, alia plorent,

LOCI EX INGENIO EMENdati, quos siquãdo uetustum cõdicem, qui cõfirmet, inuenero, suis locis tum imprimere non dubitabo.

Flaminiæ quæ tum erit absoluta sanè facile: eũ libenter nunc Cæsari Cos. addiderim. 6
nunc. cognoscę rem. 6
erit, fabulam numinum. 29
mittere, quàm tu soles: te superarẽ, & in scribendo 37
Volaterranos, & Arretinos. 38
attigisti, Buthroti autem 45
die A. indicarunt. 46
AEdilitatem se petere dicẽt. 46
habere. si mihi credis, lege: 49
cogitamus: sin ille cogat, attamen dunt. 59
uelit. attamen illud probe: m. q. aggrediemur. 63
λεπτὸν, uniuersa. 68
fore. ut tamen 68
βουλαῖος nostræ. 77
reiectus ab Ilio 85
uenires Dodonã 90
minorem: quæ cum lætæ sunt, tum 96
maxime fauens 99
cupiuit: sed ille se in cauædium abdidit Syllæ. fit Senatus postridie Idus: domi 113
mediusfidius Nomenti emisti 115
cẽsum impediant 120
abs te Buthroto 127
scribis, induces. 128
Pompeij gratia nit. 133
congesserant, 143

philoſophia Antiochena, ſi quidem 146
Lentuli Tiburtino 161
lege tranſitans 162
reſpondebo: nec οἰκονομίαν meam iuſtitiam, ſic enim poſtulas, ſed ord. 167
pecuniæ liberalius 184
deporto Romam Cic. 199
te ex duella 199
quod in nominibus 245
occultum, & tutum 263
nos hoc deſerente 271
eiſdem eiecti 293
iſte nummarius 304
poſſunt. μάντευμα 305
S. C. ferre ad populum 310
quidem eſt profectum 310
bono i. m. q. Curione. 317
iter in Galliam per 319
ἦθος ἄκακπτον. 326
tamen de eo. 347
cœli, quòd m. languorem 358
craſtinus dies ad (erratum eſt in noſtris libris) 472
Deiotarum? e. n. a. Hieram? 495
lector quieuit. 576
imuidis? de nouis 598
erat. Lucius erat 607
te terrimo 611

EXCVDEBAT ROB. STEPHA-
NVS TYPOGRAPHVS RE-
GIVS PARISIIS, AN.
M. D. XLIIII. IIII.
NON. IAN.

PAVLI MANVTII IN EPIſtolas ad Atticum, ad Brutum, ad Quintum fratrem ſcholia, quibus abditi locorum ſenſus oſtenduntur, cum explicatione caſtigationum, quæ in his epiſtolis penè innumerabiles factæ ſunt.

PARISIIS

Ex officina Roberti Stephani typographi Regij,

M. D. XLIII.

PAVLI MANVTII SCHOLIA IN EPISTOLAS AD ATTICVM, AD BRVTVM, AD QVINTVM FRATREM.

Pagina

6 Cætera spero prolixa esse, his duntaxat urbanis cõpetitoribus) Puto sensum esse, Reliqua spero mihi fore facilia in Consulatu adipiscendo, si tantũmodo cõpetitores habeam, quos supra dixi. Et appellat urbanos per ironiam, quasi lautos: eodem sensu, quo Appium, epistolarũ, quæ familiares dicuntur, libro III. Te, inquit, hominem nõ solum sapientem, uerumetiam (ut nunc loquimur) urbanum. Prolixa autem dixit, id est facilia & ampla, ut etiam alibi.

12 Satisdari, amplius abs te non peti.) Ita lego ex codice Bartholomæi Caualcantis. itaque etiam locutus est epistolarum fam. lib. XIII, Siquid satisdandum erit, amplius eo nomine non peti. & apud iurisconsultos frequens est locutio.

12 Decepisse) Alij, decidisse. Caualcantis liber manuscriptus habet, decæpisses. sed hoc erratum sæpe in libris uulgatis deprehendimus: ut in fine dictionis addita sit litera quæ sequentis dictionis prior est: itaq; uocem decæpisse, quæ in libris est à patre meo impressis, cõseruaui, cum eandẽ in uetustis codicibus esse animaduerterem. Quod, inquit, de Tadiano negotio aperte atque ingenue, ipsum te decæpisse, & errasse, cõfiteris: id ego Tadio & gratum, & iucundum esse intellexi.

16 Teucris illa)Non arbitror hic multa deesse, sed potius perpauca, aut fortasse etiam nihil, ut, Teucris illa, principium epistolæ sit: nam paulo post infert, Vt ad prima illa redeam: id est, ad id quod primum cœpi scribere: ut appareat epistolæ primam partem fuisse, in qua de Teucride ageretur.

16 Libertum mitto: Tito mandaui:) Verba sunt, non ut alij putant Ciceronis, sed Antonij, qui pecuniæ quam promiserat, Ciceroni numerandæ tempus differret his uerbis, Libertum mitto (subaudi qui numeret) Tito mandaui (ut scilicet ipse tibi pro me satisfaceret, aut quidpiam huiusmodi). Antonij igitur quem Teucridem appellat, συνήθης hæ sunt, atque ἀναβολαὶ: sic enim lego ex libro Bartholomæi Caualcantis, non ἀναβολάς.

17 Releuarit?)Refertur ad uocem, grauiorem: neque sensum arbitror esse ostendendum, cum omnibus pateat. alij tamen releuerit: quos secuti non sumus.

23 Videro hominem. ualde petitur. renauabo operam.) Forte legendum sit, Video hominem ualde pœnitere: nauabo operam. nam in codice Caualcantis ita scriptum est, ualde petitur, ire nauabo.

26 Nosti caluum, ex Nanneianis, illum laudatorem meum) M. Crassum, ut puto, significat tribus modis eum describens, primum à caluitio: deinde ex Nanneianis eum appellans: postremo cum dicit, illum laudatorem meum, de cuius oratione erga me honorifica ad te scripseram. Epistola enim XI, Surrexit, inquit, Crassus, ornatissimèque de meo Cōsulatu locutus est, ut ita diceret, se, quòd esset senator, quòd ciuis, quòd liber, quòd uiueret, mihi acceptum referre. Quoniam

uero Crassus Syllæ Dictatoris temporibus ingentes sibi diuitias comparauerat bonis proscriptorum paruo pretio emendis, Nanneij autem ex ijs fuere, qui proscripti sunt, quorum bona à Crasso empta esse ueri simile est, in déque eum non mediocriter fuisse ditatum: per iocum appellat eum ex Nanneianis, quasi dicat, Nanneiorum facultatibus ditatum. Nanneios autem Sylla Dictatore proscriptos, & interemptos fuisse, cognoscitur ex libro Q. Ciceronis, quem ad M. fratrem scripsit de petitione Consulatus.

26 *Caluum, & Plautum, & Spongiam*) Iudicum cognomina: quos quasi per cõtemptum nominat: nam, Caluus, & Plautus, & Spongia, cognomina sunt à partibus male affectis, & à uitijs imposita.

28 *Patrono tuo, qui Arpinates aquas concupiuit: nosti enim marinas*) Sororem Clodij patronum appellat: ea enim amatorum gratia multum poterat, & Clodium sæpe non secus ac patronus defendebat. cuius etiam opera Sex. Clodium, in oratione pro Celio scribit absolutum, QVI Arpinates aquas concupiuit: quæ me hominem Arpinatem, quem tu derides, sibi coniugem optauit. Plutarchus in Cicerone, *Nosti enim marinas: nam ibi sæpe ipse stuprum & feci sti, & passus es.*

28 *Cum Rex*) Q. Martius Rex, *cui una è sororibus Clodij nupserat, in testamento nullam Clodij mentionem fecit. Clodius autem fore speraverat ut heres ab eo relinqueretur.*

29 *Cuiusmodi diuisores haberent*) Nihil muto: nam est hic habere pro habitare: ut etiam apud Plautum in Bacch. *quis istic habet?* & Digestorũ libro VIII,

titulo II, Quidã Iberius, qui habet post horrea mea. Et epistola IX. libri sequentis, Video iam, quò inuidia transeat, & ubi sit habitura. pro habitatura: cuius uerbi significatum qui non intellexerant, ibi quoque scripserunt, habitatura: itáque etiam in libris aliquot manu scriptis corruptè legitur. Pro, Cuiusmodi, autem sunt uetera exemplaria quæ, cuicuimodi, habent. quæ lectio non est improbanda: nam, cuicuimodi, pro, cuiuscuiusmodi, ueteres dixisse Priscianus scribit lib. III. Et in his etiam ad Atticum epistolis libro III. Velim, inquit, omnia quam diligentissime, cuicuimodi sunt, ad me scribas. Cuiusmodi autem, pro, qualesquales siquis accipiat, duriuscula uideri poterit locutio: nam cuiusmodi, pro quale, usitatius est: ut, Cuiusmodi hoc est? cuiusmodi illa fuerunt? & similia. Vt autem eadem uox pro qualequale accipiatur, legisse me non memini: in epistolis enim quæ familiares dicuntur, libro IIII, ubi scriptum est, Cuiusmodi res esset, libri sunt manuscripti, in quibus legatur, Cuiuscuiusmodi res esset. quæ uox idem, quod cuicuimodi significat.

34 Molestè rogo) Alij, modestè. nos nihil mutamus: ut molestè referatur ad Atticum legentem: quemadmodum etiam dixit Terentius, Quorum opera suo quisque tempore usus est sine superbia. Non enim intelligit sine superbia eos fuisse, qui usi sunt, sed eos quorum opera quisque usus est.

37 Pompeius togulam illam pictam silentio tuetur suam) Ludit in uestem Pompeij triumphalem: qua illi concessum est ut certis diebus uteretur, auctore Dione lib. XXXVII. & Paterculo lib. II. Sensus

est, Pompeius Remp. *non curat: neque iis aduersatur, quibus deberet: uetere gloria contentus est: uerbum contra quenquam facere non uult: togulam illam suam pictam tuetur. Suam autem appellat, quòd ea delectari uideretur.*

47 *Siculis locum gladiatoribus dare*) Siculis meis clientibus locum dare, ubi gladiatores spectare possent: tribulibus enim, & amicis locus ad spectacula dabatur: *ut in oratione pro* Murena.

47 *Vnum mihi solum pedem dat*) Loci ad sedendum non plus quàm pes est. hoc intellexit Clodius. Cicero autem uertit ad cubitus genus. &, *Noli, inquit, de uno pede sororis queri: licet etiam alterum tollas: nam*, Clodium tres sorores suas stuprasse, credebatur.

48 *Quid uerius,*) Verius hic posuit pro æquius: *ut in oratione pro* Murena, Negat uerũ esse allici beneuolentiã cibo. Et Cæsar de bello Gallico libro IIII, Neque uerum esse, qui suos fines tueri nõ potuerint, alienos occupare. Et Liuius libro XL Verius fuisse, Cõsules quorum prouincia esset, quàm se, quid è Rep. esset, decernere. Et Horatius epistola VII, Metiri se quenque suo modulo, ac pede uerum est.

50 *Atilio*) qui pro Messala absoluendo prensauerat: erant enim amicissimi: ut etiam Atilij, qui Ciceroni debebat, prædem fuisse Messalam appareat. sic enim libro V, De Atiliano nomine scripsi ad Philotimum, ne Messalam appellaret.

53 *Quoniam Nepos proficiscitur, cuinam Augura tus deferatur*) Nam Q. Metellus Celer Augur obierat. in eius locum Q. Metellus Nepos surrogari uoluerat. Sed cum is Roma discederet, cui deferatur Augu-

ratus, scire se uelle Cicero dicit. De quo Auguratu adipiscendo etiam Vatinius laborabat: ut est in oratione contra ipsum.

55 Vt ad rem, scripsi ad Quæstores urbanos de Q. fratris negotio) Quod Q. Ciceroni Asiam regenti à populo R. debebatur, id sibi ille denario, id est Romana pecunia, non cistophoro, qui numus erat Asiaticus, curari uolebat. Vide igitur, inquit Cicero, ecquæ spes sit denarij, an cistophoro contenti esse cogamur. Pompeianum appellat, quòd in Asia magnam pecuniã Pompeius in cistophoro habebat: è qua pecunia Quæstores numerari Quinto uolebant, tantundẽ ipsi postea Pompeio Romæ in denario numeraturi.

55 In hominem) Præpositionem, in, existimo esse tollendam.

56 Et latoribus, & auspicibus legis curiatæ) Cæsari & Pompeio: Cæsar enim in primo Consulatu legem tulit de Clodio ad plebem traducendo: Pompeius autem, qui erat Augur, iuxta morem in auspicio fuerat, & seruauerat de cælo, antequam lex ferretur.

56 Cuius Tribunatus ad istorũ tẽpora reseruatur) Nunc, inquit, Clodio Tribunatum isti dare nolunt, dabunt suo tempore, hoc est, eius opera cum indigebunt.

56 Megabocchus) Pompeius: nam in his epistolis à Cicerone diuersis nominibus appellatur: Epicrates, qui teneret omnia: Sampsiceramus, quasi Syriæ dominus: Arabarches & Hierosolymarius, hæc loca uictorijs adeptus: Megabocchus, magnus in Africa tyrannus: Bocchus enim in Africa Mauritaniæ Rex fuerat: Pompeius autem Domitium & Iubam Syllanis temporibus uicerat in Africa.

57 Licet me Saufeium putes esse) Existima, inquit, me esse tardum & negligentem, æque ac Saufeium: cuius etiam notat inertiam initio epistolæ I. libri VII. Dederam, inquit, L. Saufeio literas: sed ut philosophi ambulant, has tibi redditum iri putabam prius.

57 Quoniam putas &c.) Hoc, inquit, tempore non putas: diutius mihi esse manēdum in Formiano, ut cra tere illo fruar delicato. Itaq; Cal. Maijs proficiscemur.

58 Non modo de Cynico consulari, &c.) Nullam, inquit, non modo mihi, sed ne Lucullo quidem, aut Philippo, aut Hortensio poterit Clodius inuidiam concitare. Nam Pompeius, Cæsar, & Crassus cum omnia teneāt: qui fieri potest ut ulla nos in inuidia simus, spoliati opibus, & illa senatoria potentia? itaque quod contra nos agat, Clodius non habebit. Cynicum autem se uocat, quasi Diogenem quēdam, seuerum hominem, minime delicatum, uirtuti modo deditum: illos autem, piscinarum Tritones, quòd nimium piscinis delectaren tur, ut quasi Tritones in aquis uiuere uiderentur.

58 Cæciliam, & Didiam) Antea, Celiam: nos, Cæciliam emendauimus ex oratione pro domo sua: ubi legis Cæciliæ, & Didiæ meminit. quas leges tulerāt Q. Cæcilius Metellus, & T. Didius Viuius anno ab V.C. DCLVI. ut dubitatio nulla relinquatur, quin Cæciliam legendum sit. siquidem Metellus non Celiæ, sed Cæciliæ familiæ cognomen est. quod cum ita sit, in oratione pro Murena, ubi in omnibus impressis libris, Didijs & Celijs legitur, emendo Didijs & Cæcilijs.

62 At comparem basilicæ?) At, inquit, basilicam habere me dicam? habeo tribum AEmiliam. quòd enim basilicæ ullam suam similem esse dixerat: quasi non

bona esset comparatio, correxit & intulit, AEmiliam *hic ego habeo tribum, non uillam: quid enim basilicæ comparem? in qua sunt homines multo, quàm in* AElia tribu, pauciores. Neque Tribum modo uolut dicere, sed addidit AEmiliam, quòd ea cæteris tribubus plenior & amplior esset.

67 Id afficitur) Ita legitur in codice Caualcantis, & ut opinor, recte. refertur enim ad illud quod est subinane in nobis, hoc sensu, Quæ ambitio in nobis est, ea nunc habet quo delectetur: siquidem Pompeij merita in patriam non iam, ut antea uerebar, maiora, quàm nostra uideri possunt.

70 Millies coactus est dicere eadem) Aliter antea in omnibus impressis. Nos hunc locum ex ueteri codice restituimus. quem etiam Valerius Maximus lib. VI. cap. De libere dictis & factis, ita ut nos in nostro libro scripsimus, legisse uidetur.

78 Cn. Cepio Brutus) Seruilia Bruti mater fuit. ea fratrem habuit Cepionem, de quo Plutarchus in Catone Vticensi, Adoptatum habeo Brutum, & Cepionis cognomẽ accepisse crediderim. Cur autem hoc loco Cneus prænomen Bruto sit, Philippica autẽ decima Quintus, nescire me confiteor. nam Cepionis Seruiliæ fratris Plutarchus prænomen non ponit. à quo non dubium est quin prænomẽ unà cum nomine, & cognomine Brutus acceperit.

79 Consularem disertum, uicinum Consuli) Vicinus erat Ciceronis Cæsari Consuli, quòd ipse in Palatio, Cæsar autem in sacra uia habitabat, quæ secundum radices Palatij à Carinis in Capitolium tendebat. Suetonius in Cæsare.

79 Iudiciũ postulaturus) Fortè indicium, hoc sensu, Si damnatus erit Vectius, ut absoluatur, indicium postulabit: id est ut alios eiusdem facinoris conscios indicare sibi liceat, à iudicibus petet.

79 Et Catulo) Fortè & Bibulo. nam Catulus Metello, Afranio Coss. perierat.

80 Moratus) Libentius legerim Odoratus, uel Inodoratus. Varro enim in sermone & familiaritate Pompeij, qua mente is esset in Ciceronem, odoratus erat: quod alioqui occultum fuisset.

80 De Flacci Prætura) L. Flaccus, post Præturam Ciceronis Consulis gestam, Asiam Prætor rexit. inde repetundarũ accusatus est à D. Lælio, defensus à Q. Hortensio, & M. Ciceronis Cæsare, Bibulo Coss. nunc Hortensij orationem significat pro Flacco habitam, in qua Cicero se laudatum esse scribit.

81 Quoniam de prouincia Macedonia lata lex est) Non quòd in lege nominatim de Macedonia scriptum esset, sed quòd ita scripta lex esset, ut Ciceroni in Macedonia esse liceret. Facilius igitur (inquit) consequi me potes, quoniam cõcessu legis de me latæ in Macedonia esse possum. itaque ab Epiro tua non longe abibis.

81 Antronium) Quem Cicero timebat, propterea quòd fuerat in coniuratione Catilinæ, & de ea damnatus in exilium abierat. Cicero in oratione pro Sylla, & alibi.

89 Caput rogationis proponi scribis) Caput rogationis erat, nequis referret ad Senatũ de Ciceronis restituendo. Quod etiam epistola huius libri X V. scribit his uerbis, Tute scripsisti ad me, quoddã caput legis Clodium in curiæ poste fixisse, ne referri, néue dici liceret.

89 Inimico Consule des.) Q. Metello Nepote, qui cum Cicerone inimicitias gerebat.

96 Appij quæstio est) Alij aliter legũt: nos nihil mutamus, & sensum hunc arbitramur esse: Fore audiebat Cicero, ut Q. frater post reditum è prouincia repetundarũ ab inimicis accusaretur. id eo magis timebat, quòd Appius P. Clodij frater, qui tunc Prætor erat, ei quæstioni præfuturus erat.

100 Milites) Puto, Pisonis Macedoniæ Procos. qui redibant in hiberna. ideo autem ab ijs Cicero non satis se tutum fore putabat, quòd Pisonem sibi inimicum esse intelligebat: quo Consule Clodium adiuuante, patria pulsus erat.

105 Si ulla spes saluti nostræ subesset) Alij Salutis, fortasse rectius: sed cum in ueteri codice scriptum sit, Saluti, non sum ausus immutare.

107 Qui casu idem natalis erat & Brunduſinæ coloniæ, & tuæ uicinæ Salutis) Quo die Brunduſium ueni, is erat Tulliolæ natalis: eodémque die deducta olim colonia Brunduſina: itémque Saluti templum, iuxta quod tu habitas, dedicatum. habitabat enim Atticus in colle Quirinali, ut scribit Nepos in eius uita: quo in colle quia Salutis item erat templum, ideo Salutem Cicero Attici uicinam uocat.

107 A multitudine summa) Præpositionem à, induximus ex libro Caualcantis: ut referantur hæ duæ uoces, multitudine summa ad uerbũ Celebrata est, non ad illud Animaduersa.

107 Senatui gratias egimus) Intelligit orationẽ post reditum habitam in Senatu.

108 Habui concionem) Videtur esse oratio quæ ex-

tat post reditum ad Quirites. quod si ita est, præposterè factum est ab ijs qui eam ante orationem in Senatu habitam cõllocarunt, cum pateat ex hac epistola pòst fuisse cõllocandam.

108 Vnum Prætorem) Appium P. Clodij fratrem.

108 Duos Tribunos) Atilium Serranum, & Numerium Quintium, de quibus in oratione pro Sestio, ubi per irrisionem Quintium Gracchũ uocari dicit, quasi strenuum & nobilem Trib.

108 Dederunt) Concionem. nemo enim priuatus ad populum loqui poterat, nisi ei à magistratibus curulibus, aut à Tribunis locus daretur. In epistola sequenti, Appius, inquit (qui tum Prætor erat) cõcionem dedit Clodio.

110 Suam Libertatem) Libertatem scripsimus prima litera grãdiuscula, ut sensus hic sit. Hortatur populum Clodius ut Libertatis atrium à se in domo Ciceronis extructum dirui ne patiatur.

110 Cornicinus ad suam ueterem fabulam redijt) Cn. Oppium significat. nam Cornicen Oppiorum cognomen fuit. ad ueterem autem fabulam ideo dicit, quòd etiam antea idem Oppius hunc ipsum generum Calendis Ianuarijs, quo die P. Lentulus Cos. retulit de restitutione Ciceronis, interædentem supplicìter rogarat ut desisteret: quod tamen à genero non impetrauit: idque omnino causæ fuit, serius ut Cicero restitueretur. In oratione post reditum ad Quirites.

111 Illam porticum) necesse erat ut redemptores, si Catuli porticum restituere uellent, prius demolirentur. nam in ea portica, quæ Ciceronis ædibus iuncta erat, itémque in ipsius Ciceronis ædibus templum Liber-

tatis Clodius ædificauerat. quod templum, collegio Pōtificum permittente, dirutum est, ut & Catuli porticus, & Ciceronis domus restitueretur.

111 Nostræ rationes, utilitates meæ) Has duas uoces Vtilitates meæ, deleuimus, ut glossema illarum, nostræ rationes.

113 Acidinos) Significat Manliū, qui Romæ regnum affectasse creditus est: ex quo de Tarpeia rupe præcipitatus, cogitati maleficij pœnas luit. Manliorū autem cognomen fuit Acidinus.

113 Anniana Milonis domo) Quæ prius C. Annij fuerat, à quo adoptatus est Milo, cum ex eius filia natus esset.

113 Adiuuante Oppio) Crederem legendum Appio, qui fuit P. Clodij frater. nam etiam paulo post, Concionēs turbulentæ Metelli, temerariæ Appij.

113 Familiari tuo) Q. Hortensio, nisi fallor: de quo in epistola ultima libri I I, Tuus, inquit familiaris Hortensius, quàm plena manu, &c.

113 De cuius constantia, uirtute ueriss imæ literæ) Ironia. quasi dicat, parum ad me uere de eo scripsisti.

113 Comitia sua) Quibus AEdilitatē petiturus erat.

114 Nisi Milo in campum obnuntiasset) Cum codice Caualcantis ita lego, priore lectione repudiata: quæ ut mihi quidem uidetur, bonum sensum habet nullum: neque enim quisquam erat, qui Miloni obnūtiaret: sed Milo ipse alijs obnuntiabat. comitia enim quibus AEdilitatem Clodius petebat, prorsus fieri nolebat. Præterea si legas, C. Appius, prænomina simul erunt duo, quæ esse non possunt. Nā quod ad locutionem attinet, obnuntiare in campum: me quidem non offendit: nam

etiam uerbo, nuntiare, quandoque ueteres eadem ratione utebantur.

114 Deiectas copias) Alij, Delectas. ego Deiectas meliore sensu legi puto, quasi afflictas, & infirmas.

114 Itaque ante diem XI. Cal. Ian. in comitium Milo de nocte uenit) Cum significet diem qui secutus est XII. Cal. Dec. uocem Ian. tollere sum ausus. neque enim, ut cuiuis facile est uidere, locum hic habere potest. forte autem, cum in antiquo libro ita scriptũ esset, XI. Calend. imperitus aliquis, & audax immutauit, & scripsit, XI. Cal. Ian.

114 Marcellus) Qui & ipse AEdilitatem petebat: tamen stertens, de comitijs parũ laborare uidebatur.

114 Si se inter uiam obtulerit) Amicissimus meus quo ego hactenus neque doctiorem, neque probiorem cognoui quenquam, hunc locum ex ingenio restituit. nam alij longius à ueteri scriptura recedũt: quæ quidem hæc est, Si sentitur ueiam obtulerit. Inter uiam autem dicitur, quomodo etiam inter cœnam, & huiusmodi alia.

116 Scio te uoluisse, & me. ast nugigeram manum fuisse) Locus corruptissimus, neque manuscripti codices, quos uidimus, perfecte restituunt. quidam habent, At nunc geram manum fuisse. alij, Ast num geram manum fuisset. ex quo impressum est in recentioribus libris, Ast NVM Germanum fuisset? quam lectionem non conuenire cum reliqua epistola, nemo est quin uideat. supra enim tantum abest ut dicat se unquam id uoluisse, ut etiam inductum, relictum, proiectum ab optimatibus, habuisse tamen in animo cum ijs in Rep. consentire, affirmet. deinde subiungit, VIX aliquan-

do te auctore resipui, quæ uerba habent emphasim singula ad ostendēdum nunquam id antea Ciceronem uoluisse, quod nunc salutis suæ causa uelle incipit. ac sensu fortasse meliore ita legeretur, Scio te uoluisse, & me adhuc perinhumanum fuisse. infert enim, Iam tempus est meipsum à me amari. Porrò quid potest esse inhumanius quàm ut alijs satisfiat, nolle suorum commodorum ullam rationem ducere? quod profecto nihil aliud est, quàm seipsum odisse. Incipiamus igitur, inquit, aliquando nosipsos amare, quod antea non fecimus. In quo nunc demum nimis inhumanum fuisse me sentio. Eruditi locum accurate considerent, & uetustis cum exemplaribus, siquæ erunt nacti, diligenter conferant. nam nos sine manu scriptis libris affirmare nihil audemus.

116 Viaticum Crassipes præripit) Cicero post mortem L. Pisonis cognomento Frugi, Tulliolā Furio Crassipedi Marcellino & Philippo Coss. collocarat. ei pro dote pecunia erat numeranda, ut Ciceroni uiaticum non relinqueretur ad obeundam legationem liberam, de qua suprà dixit.

117 Non ut Saufeius, & uestri) Epicurei, qui dolent eius uicem, quòd humanis uoluptatibus priuatus sit. Vestri autem dicit, quòd Epicuream sectam Atticus amabat.

118 Terentius suo iure) potest conturbare, cum sit eques Ro. quod alijs non licet. Conturbare autem est omissis ueteribus creditoribus satisfacere ijs qui posterius credidissent. Itaque dixit pro Plancio, Fac me multis debere, & in ijs Plancio. utrum igitur me conturbare oportet? an cæteris, cui dies uenerit, hoc nomen

quod urget, nunc cum petitur, dissoluere?

119 Arpinatum fremitus est incredibilis de Laterio) Punctis male collocatis sæpe fit ut sensus peruertatur. quod quidem hic usu uenerat. Nam in omnibus libris, qui typis impressi leguntur, ita scriptum erat, Arpinatum fremitus est incredibilis. De Laterio quid quæris? ut obscurissima, uel nulla potius fieret sententia. Fuit autem Laterius, Q. Ciceronis uilla in Arpino. quam uillam Quintus cum fortasse uellet uendere, Arpinatum erat fremitus excitatus.

119 Apenas) Hic locus aliter antea erat interpunctus. Vt nos distinguimus, hic est sensus, Apenas uix dixerat cum literis ad te meis, quum epistola, subaudi, reddita mihi à te est. cui epistolæ respondens, Quid ais, inquit? &c.

119 Quàm est ista περίστασις nostra) Sic antea ego repugnantibus libris manu scriptis, tamen emendaui, nostræ. sensus enim hic est. Status iste Domitij simillimus est nostro: uel quòd ab ijsdem læditur, à quibus olim ego: uel quòd præter opinionem: uel quòd uiri boni nusquam: (sic enim interpungo) unum tamen dissimile, inquit, est quòd nos immerito olim afflicti sumus, Domitius nunc merito. Nam casus ille noster forte etiam tolerabilior & leuior fuit, quàm hic Domitij. quid enim miserius, quàm eum fieri Consulem non posse, qui in tota uita tanquam designatus fuit, id est, quem suo anno fore Cõsulem non secus homines crediderunt, ac si iã designatus esset? Si uero etiam ipse uidet, & in suis priuatis fastis notat, ex ijs qui potentibus inseruiunt, nõ minus multos in posterum fore Consules, quàm hactenus fuerunt: quid illo miserius? & argute, in codicillorum

fastis pagnulas habeat futurorum Consulum. quasi dicat, adeo multos uidet fore Consules ante se, ut eos domi notans in suis fastis, longas pagnulas compleat. nam in fastis publicis Consulum nomina scribebantur, ut auctor est Liuius libro IX.

120 Et in eo γραμμὴν teneam) Codex manu scriptus habet, & τὴν ἔω γραμμήν. unde bonus sensus qui possit elici, non uideo. ego, una interposita litera, legendũ crederem, Et τὴν ἔξω γραμμὴν: ut sit sensus, Quod me mones, ut hoc statu Reip. qui impendet, in quo nõ optimates, sed potentes dominaturi uidẽtur, me ciuiliter geram, id est, ut neq; potẽtibus prorsus assentiar, neq; ijs absque ulla proficiẽdi spe stultæ repugnem, sed quasi lineam quandã teneam exteriorem, seorsumque ab eorũ rationibus cursum dirigam: ego uero ita faciam.

121 Quoniam Ciceronem suauissimum secum haberet) Puto legendum esse, tecum haberes. Quintus enim Cicero filius non cum patre, sed cum Attico erat, ut patet epistola, quæ ante proximam superiorem collocata est.

122 Apuleiam) Clodium, ut opinor, significat, propterea quòd in Tribunatu non secus atque Apuleius Saturninus, populum cõcitarat. Apuleiam autem, non Apuleium, per contemptum appellat, quasi effœminatum & mollem.

123 Crassum quidem nostrũ, &c.) Iocatur in Crassum: qui profectus est in prouinciam Syriam multo populo: AEmilius autem Paulus, & Tiberius Gracchus, iterum Consules, ille ad bellum Macedonicum, hic ad Hispanicã populo libentissimo profecti erant. AEqualem autem Pauli, & Gracchi eũ appellat, quòd ut illi

olim iterum Consules, ita Crassus & ipse iterum Consul in prouinciam profectus est.

124 Putare profectum) Alij legunt, putari, ex ingenio, ut arbitror: nam codex Caualcantis habet, putare: subintelligitur autem, se: ut ita dicat, Scripsit se putare, te profectū, &c. Huius generis locutiones multæ sunt cum uel se, uel te, uel me, desideratur: sed eas recitare necessarium esse non putamus.

125 Porcilius) Hoc nomen ita legitur in libris à patre meo impressis. neque arbitror esse immutandum: fuerunt enim Romæ familiæ complures, quæ ab alijs familijs nomina sumebāt, ut à Sestius Sestilius, à Marcius Marcilius, à Curtius Curtilius, à Cestius Cestilius, & alia huiusmodi: qua forma à Porcio item Porcilius denominatus. quòd si mutandum esset, Prætilius potius legendum crederem, quàm Procilius: ut à Prætia familia, Prætilia dicta sit.

125 Otalus) Vna interposita litera legerem, Ortalus, ut Hortensius significatur: Hortensiorum enim cognomen Ortalus, siue Hortalus fuit: & Cornelius Tacitus de quodam Ortalo meminit Hortensij nepote.

125 Ex quo est illa sicata) Totum hunc locum scripsi ut est in codice Caualcantis.

126 In Andromacha maior fuit, quàm Astyanacte) Conseruo lectionem patris mei. cuius forte hic est sensus: Andromachæ personā melius gessit, quàm Astyanactis.

126 Velinam) Vetusti codices Veliam, ego Velinam emēdaui, quòd apud ueteres scriptores Velinæ tribus, non Veliæ mentionem inuenio.

127 Et Phili, & Pæti,) Sic in libris manu scriptis:

tamen emendaui, & Pili, & Lælij, ex epistola V. libri III. ad Quintum fratrem, in qua eadē de re loquens ita scribit, Sermo est à me institutus Africani, paulo ante mortem Lælij, Phili, Manilij, Q. Tuberonis. Macrobius etiam, cum Scipione in libris de Rep. Lælium esse locutum, auctor est.

129 De prælio) Fortè de Porcilio: quē superiore epistola dixit esse condemnatum: quam epistolam post hāc esse scriptam nemo non uidet.

129 Notum tibi, ut quod iam) Libenter ita legerem, & interpungerem, notum tibi uideo. Iam

129 Opimius Veietur ācius) Ita planè scriptum est in codice Caualcantis. Ego legendum arbitror, Vei. & Horatius: ut illa uox, Vei. significet tribum, è qua erat Opimius, Veientinam scilicet, de qua in oratione pro Plancio. Nam tribus apud antiquos prioribus tantum syllabis quandoque scribebātur. de quo plenius in scholijs quæ in familiares epistolas edidimus.

129 Rescidit) Puto in uetusto codice scriptum olim fuisse, res ad S. id est, res ad Senatum: quo modo etiam paulo post locutus est. Sed imperiti cum antiquam notam non agnoscerent, locum immutarunt, & rescidit, scripserunt.

129 Patrem eius) Partem eius non dubito quin legendum sit, cum à Cicerone Scaurum defensum fuisse notissimum sit.

130 Vt opinionem habeas rerum,) Nihil muto: tamen nisi uetusti codices contra me facerent, legerem, ut Gabinium habeas reum. sed, ut dixi, nihil muto.

130 Omnino προπαπυμπα) Legerem, πρώρα πρύμνη: ut accusatorum insantiam dicat maximam ac præci-

quam fuisse causam cur Gabinius absolueretur. prora enim & puppis Græcorum prouerbiũ notissimum est.

131 *Stomachus ubi habitabat*) *Quo in loco animi nostri bilis habitare uidebatur, is locus concaluit, itaque bilem facile digerit. ex quo fit, ut me publicæ res nõ ita ut solebant, solicitum habeant.*

132 *Germanæ. puta uide*) *Etsi nihil immutaui, tamen nõ dubito quin ita legendum sit, Germanam: peti uide: ut sit sensus, Aduola mi Atticæ, & inuise simulem Remp. Reip. illi nostræ, quam olim laudare solebamus. dicit enim, germanam illius nostræ Reip per ironiam, quasi prorsus dissimulẽ & planè mutatam. Deinde sequitur, Vide magistratus peti numis ante comitia: tributim uno loco diuisis palàm. quæ uerba siquis diligentius expendat, singula emphasim habere cognoscet. uide item, inquit, Gabinium absolutum: concedatur etiã, ut auctoritate floreat, & gratia.*

133 *AEdilitas eius*) *Quã summa magnificentia gessit, adeo ut in eius impensas opes suas absumpserit, magnúmque æs alienum contraxerit. Auctor Pedianus.*

133 *Apud rusticos*) *In tribus XXXV dispertita erat Vrbs. hæ suffragia ferebant. rusticæ autem erant XXXI, urbanæ quatuor: quæ minus poterant, quòd & numero inferiores erant, & ex libertinis constabant, cum ingenuorum propriæ essent rusticæ, quas Cicero fauere dicit Scauro propter patris memoriam.*

134 *Non oblitum*) *Caualcantis codex habet ut impressum est in nostro libro. sensus est, Puto te existimare, me rarius ad te scribere, non quòd oblitus sim consuetudinis meæ: sed cum &c.*

134 *Lepidum quo excidat*) *Sic libri manu scripti.*

forte, nequid à quo excidat.

135 Quadragena) Forte *melius, quadringena, ut maior sit summa.*

135 Ne Senatus quidem affuisset) *Libentius legerē fuisset.*

137 Quid, quæso, istuc erat?) *Sic ex ingenio emendauimus, à ueteribus codicibus destituti.*

138 Rufio noster) *Hic est* C. Sempronius Rufus, *de quo in* Fam. *eum nunc* Rufionem *appellat.* Quoniam autē cum Vestorio *nescio quid ei erat* controuersiæ: Ciceronē iudicem fecerāt, *ut de lite* cognoscæret. Deinde cū Rufio se à Vestorio uideret obseruari (obseruabat autē Vestorius, *ut, si* Rufio Ciceronem adijsset, statim & ipse accurreret, transigendæque controuersiæ iudicem admoneret: *quod* Rufio nolebat, *ut qui se non bonā habere causam intelligeret*) hominē stratagematē percussit: nam ad Ciceronem non accessit. hunc Cicero gratam sibi rem fecisse dicit, quòd de controuersia audiri noluerit: id est, quòd ad se iudicem nō accesserit, ut de controuersia, quam habebat cum Vestorio, transigeret.

138 E' Pansæ uilla) Vetus codex habet, epense uilla, corrupte omnino, sed unde facile possit erui uera lectio: quam hanc esse putamus, è Pansæ uilla, quibus uerbis ostendit Cicero, quàm alienus à transigenda controuersia Rufio fuerit, qui Ciceronem, ne cum eum quidē uidit, adire noluerit: tantum, cum esset in uilla Pansæ, nunquid uellet, eum rogauit.

140 Nostris possit &c.) *Totum hunc locum, adiuti tamen aliquantum à libris manu scriptis, ex ingenio restituimus.*

140 Consule, aut numera: nam D C æperis) Cherip

pus fuit, opinor, gratiosus libertus senatoris, qui ne quid ad senatum referret, quod contra existimationem aut contra uoluntatem suam esset, (puta de prorogan-da prouincia) Cicero ueretur. Quoniã autem in ea re Cherippi opera sibi esse utendũ uidet, qui quidẽ apud patronum gratia ualebat, ut facile eum, quoquò uellet, mouere posset: cũ indignatione, ò prouincia, inquit, etiámne hic mihi curandus est? etiámne diligentia est ponenda, ut liberti studium mihi conciliẽ? Aut (inquit) consilium mihi da, quo pacto me geram: aut, alia uia si non est, pecuniam liberto numera: minimum in eo dãni faciemus: nam capies eum D C, id est pecuniæ nostratis aureis X V. qua summa facile adducetur, ut patrono, quod uolumus, persuadeat. Ceperis, autem ex ingenio legimus, nõ, cæteris, mutatione ferè nulla: & D C pro de. qui error alibi etiam est in uulgatis libris, ex antiquarum notarum ignoratione, & literarum similitudine ortus.

140 M. Annius, & Tullius) Pontinus, Anneius, Tullius, Q. Cicero M. Ciceronis in prouincia legati fuere. Itaque opinor hic esse legendum, M. Anneius, de quo in epistolis familiarib.

141 Quid narrem, noui enim nihil,) Coniectura ducti sic emẽdauimus. uetustus codex habet, noui enim mihi. Nostra lectio nõ dubito quin à doctis probetur, eo magis, quòd epistola sequenti idem scribit. Nec tamen, inquit, iam habeo quid aut mandem tibi, aut narrem. mandaui omnia, quæ quidẽ tu, ut pollicéris, exhauries: narrabo, cum aliquid habebo noui.

146 Eramus mane) Cosmus Gherius, Fanensis episcopus, doctissimus & sanctissimus adolescens, quẽ ni si

mors immatura nobis abstuliſſet,uerã antiquæ uirtutis imaginem habituri fuimus,cum quartũ abhinc annum Romam proficiſcẽs,eius uiſendi ac ſalutandi cauſa Fanum diuertiſſem,hunc locũ ut ita emendarẽ,admonuit. cum ego quæſiſſem,illa caſtigatio ex ingenio eſſet,an ex libro manu ſcripto,codicem uetuſtum Patauij ſe uidiſſe affirmauit,in quo ita,ut me iubebat emendare,ſcriptũ eſſet.poſtea in antiquo exẽplari Caualcantis animaduerti,eramus inuecim, eſſe. ex quo amiciſſimus meus adductus erat,ut,inuicem,& ipſe corrigeret.

146 *Reliquos barones*) *Epicureos philoſophos per irriſionem Barones appellat.uide quæ diximus in illum locum epiſtolæ ultimæ libri* I X,*ad Pætum,*Ille Baro.

149 *Veruntamen de Cumanis ueniſſem cum imperio*) *Sic habet codex Caualcantis. putat amiciſſimus meus legendum eſſe,Veruntamen cum Romanus ueniſſem &c. Græci enim Romanos oderant magiſtratus, quibus faſces præferebantur, ut libertati eorum quaſi minari uiderentur.Mihi tamen(inquit Cicero) alacres ſe obtulerunt tanquam ſi Epheſius Prætor,hoc eſt tanquam ſi ex ipſis unus eſſem, non ut homini Romano, qui cum imperio ueniſſem.*

151 *Clauom animo uerbis*) *Sic in libro manu ſcripto. fortè legendum, commouebis: ut ſit quod ſuperiore proxima epiſtola dixit,* παραγγελμα ἐνιαύσιον *commoueto.*

152 *Pro magiſtris ſcripturæ, & portus, & noſtrarũ diœceſium*) *Sic habet codex ille Caualcantis antiquiſſimus. fortè legendum eſt, & portus noſtrarum diœceſium: ut ſit ſenſus,Dare poteris tabellarijs publicanorum, & dare item poteris ſcripturæ,& portus no-*

ſtrarum diœceſium pro magiſtris. qui autem uocem, pro magiſtris, non intellexerant, per magiſtros, ſcripſerant. In familiaribus (ſic enim appellantur) epiſtolis, Terentius (inquit) operas in ſcriptura pro magiſtro dat. Ad Atticum autem de eodem Terentio, Operas in portu & ſcriptura pro magiſtro dedit. Item Orationum uolumine primo, In ſcriptura Siciliæ pro magiſtro eſt L. quidam Carpinatius.

152 *Tædet omnium nos uitæ) Fortè, omnino eos uitæ.*

155 *Speramus etiam manu. tuto conſedimus, &c.) alij aliter emendant: nos codicem Caualcantis ſecuti ſumus, niſi quòd, loco, ubi legebatur locum, ex ingenio caſtigauimus. Ideo autem legi non poteſt, Et in Amano tuto conſedimus, quòd paulo ante in eadē epiſtola ſcribit Cicero ſe eſſe in Cappadocia ad Cybiſtra: quod etiā epiſtola, quæ poſt ſequentem legitur, his uerbis, Cū dies quinque ad Cybiſtra Cappadociæ caſtra habuiſſem, certior ſum factus, Parthos ab illo aditu Cappadociæ longe abeſſe, Ciliciæ magis imminere: itaque conſeſtim iter in Ciliciā feci per Tauropylas: Tarſum ueni ad III. Non. Oct. inde ad Amanum contendi.*

156 *Quin, ut Pompeium expectaris,) Hunc locum ita ſcriptum habet uetuſtiſſimus, idémque omniū, quos ego uiderim, optimus Caualcantis codex. Accipitur autem, VT, pro etiam ſi, hoc ſenſu, Etiam ſi Pompeium Romæ expectaris dum Arimino rediret, tamen nō dubito quin profectus in Epeirum ſis. Et dixit, etiam in Epeirum, pro tamen in Epeirum, ut in epiſtolis famul. Ego cum meis, ſi quicquam nunc cuiuſpiam eſt, etiam in meis eſſe malui.*

156 Romæ iucundam) Rectius fortasse, mire iucundam.

156 In militia) Suum in prouinciam iter militiã appellat, ut etiã 179, In hac (inquit) peregrinatione, militiáue nostra sæpe inæsum ira udi, sæpe placatum.

156 Scribis libenter repulsam tulisse eum,) Distinguo, scribis libenter, repulsam tulisse eum. scripserat enim Atticus, libenter se scribere de illius repulsa, qui cum Ciceróne certaret. cui respondens Cicero, Quòd (inquit) de illius repulsa libenter scribere te dicis, magni amoris signum.

157 Syriam à Cilicia aquarũ diuortio diuidit) Vide quæ diximus in illũ locum epistolæ X. libri ad Curionem, Diuisus aquarũ diuortijs. sensus idẽ erit, si, ut est in libris manu scriptis, legatur, in aquarum diuortio.

159 Interea è Cappadocia ne pilum quidem) Hoc totum puto esse collocandum post illa uerba, Penè dixi quàm te.

163 Statuas, aena τέθριππα prohibeo) Sic habet uetus codex. sunt qui legendũ putent, AEnea τέθριππα, id est æneas quadrigas. Ioannes Scala existimat, Fana, τέθριππα: nam in libris manu scriptis F litera sæpe reperitur, ubi in impressis est E. cuius rei exempla possent afferri multa: sed omittimus, & ne longiores in re propemodũ manifesta uideamur, & quòd ea norunt qui in legendis uetustis codicibus sunt exercitati.

164 Torquato in Lenio tuo?) Vetusti codices, alij habent, Et in Lenio tuo: alij, De M. Lenio tuo. Castigaui ex ingenio, In Lenio tuo: ut sit sensus, Torquato in Lenio tuo, cum idem peteret, negaui. quod etiam libri sequentis epistola I, scribit his uerbis, Si præfe-

Eturã negotiatori datam Brutus quereretur, quod ego Torquato noſtro in tuo Lenio, Pompeio ipſi in Sex. Statio negauí, &c.

165 Vt & ea ſyngrapha eſſet,) Si coniecturis locus eſſet, ita legerem, iure alio ſyngrapha ne eſſet. Epiſtola enim II, libri ſequentis ita ſcribit, Nunc iſta ſyngrapha habet iuris idem quod cæteræ.

167 Ad Quintum ter milia) Sic eſt in uetuſto codice. puto legendum eſſe, Ad V. III I. Kal. Ian. id eſt ad quintum, tertium Calendas Ianuarias: ut binas literas ſe accepiſſe ab Attico ſignificet.

170 Si huc Paulus uenerit?) Si, inquit, acciderit ut L. Paulus Proconſul huc mittatur: male cum Salaminijs agetur: Brutus enim contra eos omnia Sceptij causa impetrabit. erat enim Bruti affinis hic Paulus, propterea quòd eius frater Lepidus Tertullam, Bruti ſororem, in matrimonium duxerat.

171 De Cn. Flauio Cn. F.) Legebatur antea, Cn. Flauio Annij filio, corrupte. nam filij non à patris nomine, ſed à prænomine oſtendebantur. itaque uocem, Annij, prænomen eſſe debere ſemper credidi: mutare uero non audebam, cum & à Plinio lib. XXXIII. cap. I. & à Gellio lib. VI. cap. IX, hunc eſſe appellatum uiderem Cn. Flauium Annij filium. Poſtea cum Liuij libros percurrens ad eum locum libri IX. ueniſſem, in quo Flauium hunc ſcribam Cnei filium uocat: Cn. F. ego quoque in Ciceronе ſcripſi. itaque Plinij, Gelíj que locus erit caſtigandus.

174 Iudicibus utuntur) Forte, haud utuntur: nam etiã 179, Omnes, inquit, ciuitates ſuis legibus, & iudicijs uſæ reuixerunt.

174 Tamen se αὐτονομίαν adeptos putant.) Antea tum se: nos, tamen se, ex codice Caualcantis emendauimus.

174 Adscripserant,) Scribendũ est numero multitudinis non, ut in libris omnibus impressis, etiam in nostro, adscripserat. sic etiã Caualcantis codex habet.

176 Literas accuratæ scriptas de Pantheris. sed à ciuitatibus) Ita legitur in libro patris mei, & in codice Caualcantis. Rectius omnino, ut existimamus, legi possit, & de ciuitatibus, duabus tantum literis immutatis. nam in libris manu scriptis particula, set, per t scripta sæpe reperitur, non per d, ut est in impressis: atq; etiam, it, quit, non id, quid: aliáque huius generis multa. Sensus hic est, Scripserat ad Ciceronem Celius, ut & pantheras sibi mitteret, & M. Feridij agros, qui ciuitatibus fructus penderent, immunes esse uellet. Ad ea Cicero ita respondet, In mea prouincia nihil cuiquã adimitur, nisi siquid debeat: nam creditoribus ut satisfiat uolo. Itaque non est quod petas, ut ciuitatibus adimam fructus, qui ex agris capiuntur. Volo, inquit, audiri Romæ, nullum in mea prouincia numum, nisi in æs alienum erogari. quod si non audiretur, moleste ferrem. Vult autem innuere, se non latere in tenebris, sed esse in oculis hominum, & quæcunque faciat, Romam perferri: quare nihil sibi esse agendum, nisi quod rectum honestumque sit. Dicit autem, Nec mihi conciliare pecuniam licere, nec illi capere. hoc est, nec me pecuniã, quæ non debeatur, cuiquam curare debere, nec illum capere. Significat autem, ut opinor, inter Feridiũ & Celium conuenisse, ut si Feridius à Celio Ciceroni commendatus, de immunitate agrorum impetras-

set, Celio pecuniæ quidpiam eius rei causa numeraret: quod quidem flagitij nemini esse committendum, mihi me uero omnium Celio, qui eo crimine C. Antonium Ciceronis in Consulatu collegam accusasset. Itaque dicit, Monuique eum, quem plane diligo, ut cum alios ac cusasset, cautius uiueret. Id autem quod sequitur, ad pantheras pertinet: nam ita scripserat Celius: Tu, si modo memoria tenueris, & Cibyratas accersieris, quod uoles efficies. Loquitur enim de pantheris.

176 Literas daturum prid. Calend. Ian.) locus ex epistola Attici: ex quo loco suauem recordationem Cicero se dixit habuisse clarissimi iurisiurandi, cum scili cet Remp. iurauit à se esse seruatam. in epistol. fam. in orationum uolumine I I.

176 Præter Tusculanũ) Hæc lectio est in Codice Cualcãtis, quam puto sinceram esse & incorruptam: ut dicat Cicero, Lentulum, præter Tusculanum, omnia proscripsisse.

177 Genuarios) Numi genus, ita dictum, quòd Genuæ, quæ ciuitas est in Allobrogibus, cudebatur: ut Philippei, à Philippis urbe Thessaliæ. & primum numi genus, deinde pecuniæ summam posuit.

179 M. Cluuio) Loquitur de duobus Puteolanis, de quibus alibi quoque. Itaque aliorum lectionem non sequor: cum etiam in Caualcantis codice scriptum sit, M. Cluuio.

180 Magistratus ui fecerant) Castigaui, magistratus sui fecerant.

184 Prolixior per ipsum) Fortè, per Hypsæum: ut Hypsæus Pompeij apud Ariobarzanem procurator fuerit: nam etiam, A. Pompeij (inquit, de Ariobarzane lo

quens, procuratoribus sexcentis premi cœptus.

185 Tibi autem, &c.) Puto hunc locum sic esse restituendum. Illi autem ualde solet in ore esse, grauitatem non contemnere, sed Reges odisse superbos. Vox autem illa, grauitatem, uersus in fine fuit: quam sequitur uersus alter, Non contemnere, sed Reges odisse superbos. Sensum fuisse puto, Non debere nos grauitatem cõtemnere, sed Reges odisse superbos. Libro etiam secũdo, Mirandũ, inquit, in modum Reges odisse superbos. Brutum hic Cicero leuiter accusat, qui cum illud in ore solitus esset habere, Reges odisse superbos: ipse tamen arroganter, & superbe scriberet.

196 De Celio Trib. pl.) Opinor esse legendum de decem Trib. pl. ut illud tempus significet, cum de ratione Cæsaris habenda latum est ab decem Tribunis pl. nã etiã 203, Cur, inquit, tantopere pugnatum est, ut de eius absentis ratione habenda decem Tribuni pl. ferrent? Et, 236, Cõtendit ut decẽ Tribuni pl. ferrẽt, ut absentis ratio haberetur. Et Cæsar de bello Ciuili libro 1, Latum ab decem Tribunis pl. contradicentibus inimicis.

198 Literæ manum non amabam) fortè legendum est, Literã autem non amabã: ut litera, scriptum ipsum significetur: quemadmodum etiam in Epist. fam. Nullam partem literis, id est ex ipso scripto, percipi posse. mendi, ut opinor, origo illa fuit, quòd imperiti scripserant, Ad similitudinẽ tuæ literæ. deinde reliquum illud, Autem non amabam, cum per se consistere non posset, mutarunt ut legerent, Manum non amabam. certe in duabus uocibus, literæ manũ, error inest. nam illud, Accedebat ad similitudinem tuæ: ipsum per se recte ha

bet, neque iungi debet cum sequentibus: interpungo autem post uocem, tuæ: ut subaudiatur, manus.

299 Prudentius, quàm Lucius noster) Nihil muto: refertur enim ad id quod paulo post sequitur, Nõ intelligunt se, &c. in quo parum prudentes uideri possunt, cum Carneades in sua ratione non possit.

199 Lucius noster) L. Saufeius, Ciceroni & Attico amicitia coniunctus, qui cum Patrone Epicuri secta sequebatur.

204 De Serperastris) Forte, Cerberastris: ut Cerberastris dictum sit, quasi famelicis hominibus, & ad pecuniam, tanquam Cerbero ad offam, latrantibus. & puto uerbum esse ex Attici epistola.

204 Auctionem) cum in libro manu scripto legeretur, Actionem: putaui una interposita litera esse legendum, Auctionem, id est uenditionem: Cum enim (inquit) omnia, quæ ad portam Flumentanam sunt, Cælius emerit, nescio cur ego item omnia, quæ Puteolis sunt, non emam

205 Quid est, quod cuncti Lucæijs sint addicti?) Vetus codex habet, Eunuci sint addicti. Ego crederem legendum, Quid est quod ei nunc Lucæij sint addicti? ut sit sensus, Cum Lucæij antea Celium pessime oderint: quid causæ est cur eum nunc, ut scribis, tam ualde ament? Lucæios autem Celio propterea fuisse inimicos existimo, quod C. Hirrum competitorem suum, qui Lucæiæ gentis fuit, Aedilitate deiecerat.

207 Pontinum sumam) Dictionem, sumam, puto ex ingenio additam ab aliquo, qui, Pontinum, nomen hominis esse duxit, cum hic loci sit. itaque crederem legendum, De Formano Tarracinam prid. Calend. Ian. in-

de Pontinum: inde Albanum Pompeij.

212 Sententia ira relinquendæ urbis) Suspicor in uoce, ira, mendum esse, eo magis quòd in codice Caualcantis non, ira, sed, ī, scriptum est.

221 Auditus in consilio) In libro manu scripto legitur, auditus auditus in consilio. puto legendum, haud ita est auditus in consilio: infert enim, rationem reddens cur auditus non sit: Cato enim ipse iam seruire, quàm pugnare maiult.

222 De mandatis Cæsaris, aduentúque Labieni, & responsis Consulũ ad Pompeium, scripsi ad te) Arbitror ita esse legendum, De mandatis Cæsaris, aduentúque Labieni, & responsis Consulum, ac Pompeij, scripsi ad te.

238 Legionem à Fausto conscriptam, in Siciliam si bi placere à Consule duci) Ante, à Coss. id est, à Consulibus. emendaui, à Consule, ex epistola ipsa, quam Pompeius Consulibus misit: sic enim in ea scribit, Duellio mandaueram, quòd maiores copias sperabam nos habituros, ut si uobis uideretur, alterutер uestrũ ad me ueniret, alter in Siciliam cum ea copia, quam Capuæ & circum Capuam comparastis, & cũ ijs militibus quos Faustus legit, proficisceretur.

241 Sua sponte) Locutio uidetur durior. tamen hoc in loco uetustos codices sequi uoluimus: in quibus, sua sponte, non, mea sponte legitur.

243 πρὸς ταῦθ' ὅτι χρὴ) Legendum est, πρὸς ταῦτα πλέων, καὶ παλαμάσθω, καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεταινιόσθω. Aristophanis enim locus est, ex comœdia quæ inscribitur Ἀραχνᾶς.

243 Vos duo tales) tu, & Sex. Peducæus, qui Cæsa

ri Romam uenienti ad quintum miliarium obuiã proceſſiſtis.

244 Tullo) *In libris manu ſcriptis & Tullio, & Vllo legitur. nos non dubitauimus, quin Tullo legendum eſſet, cum hic Cicero ſignificet L. Volcatium Tullum, qui Conſul fuit cum M. AEmilio Lepido. qui quidem Volcatius cognominari Tullius non poteſt. nam duæ familiæ ſimul eſſent, quæ eſſe non poſſunt, niſi per adoptionem: ſed tum uetus nomen mutatur, ut in anus deſinat. de qua ratione alibi diximus. De Volcatio autem & Lepido, qui cum Pompeio ex Italia exire nolebant, epiſtola huius libri prima,* Nec me, inquit, M. Lepidi, L. Volcatij comitum pœniteret. *&* 287. *Si (inquit Atticus)* M. Lepidus, & L. Volcatius remanent, manendum puto. Et alibi quoque. *ſed non erimus in re manifeſta longiores.*

244 *Cui perſuaderi poſſe nõ arbitror: niſi erit conuentus)* Forte, *Cui perſuaderi poſſe arbitror: niſi non erit conuentus. putabat enim Cicero antè Lentulum eſſe cum Pompeio tranſmiſſurum, quàm à Balbo conueniri poſſet. quod apertius ſcribit paulo poſt,* Cũ habeo (inquit) rationem dierum, ante puto Lentulum tranſmiſſurũ, quàm potuerit à Balbo conueniri. *Paulo item poſt, Roma ſcripſit Balbus, putare iam Lentulum Cos. tranſmiſiſſe, nec eum à minore Balbo conuentum.*

260 *Non mihi ſatis idonei ſunt auctores, qui à te probantur.) Auctores in Italia remanendi. intelligit enim Attici literas* VIII. *Cal. Martij datas, quibus ille ita ſcripſerat, Si* M. Lepidus, & L. Volcatius remanent, manendum puto. *ad quam partem Cicero reſpondens, Non mihi ſunt, inquit, &c.*

261 Quam is Coreni habuerit) Corfinij, pro Coreni, uidetur legendum. Corfinij enim magnam pecuniam habuerat Domitius: quam tamen Cæsar ei se reddidisse, lib 1. de bello ciuili scribit his uerbis, HS LX. quod aurum adduxerat Domitius, atque in publicum deposuerat, allatum ad se ab duumuris Corfinien-sibus, Domitio reddidit.

276 Non profectis) Forte, non profectos: ut sit sensus, Quòd scribis bonos uiros probare quæ fecerim, quanquam sciant qui ad Pompeiũ profecti non sint, quorum in numero ego sum: ualde gaudeo.

278 Magium Pompeij præfectum deprehendi scilicet, & meo instituto usus sum) Distinctione mutata, & particula &, inducta, locum ita restitui, Magium Pompeij præfectum deprehẽdi: scilicet meo instituto usus sum.

282 Qui eam maxime saluam uolebant) Etsi in nostro libro sic impressum est: tamen lectionẽ patris mei magis approbo, quæ hæc est, Eum maxime saluũ: quasi dicat, Veniet ut eos maxime perdat, qui eum maxime saluum uolebant.

284 Nihil interim ad me scire, nihil nisi fugam cogitare) Interpũcta male collocata. ego sic distinguo: Nihil interim ad me: scire nihil, nisi fugam cogitare.

301 Eros Celeri) Sic habet uetus codex. puto legendũ, Eros Celeris, id est libertus: Celeris autem, Metelli.

312 Stomachosius) Vetus codex, Stomacho si uis. coniectura ducti, Stomachose si uis, alij corrigunt. Ego Stomachosius ueram lectionem existimaui.

325 Regnus erat totus noster. huic nihil suspicabamur cum hoc mare negotij fore) Huius maris (inquit) au

ram apud Regium fore nullam credimus. itaque non uideo in Siciliam quomodo possim tuto nauigare.

345 Multa etiam Patris) Dictionem Patris, prima litera scripsimus grādiuscula, ut Achaiæ ciuitas significetur, in qua Q. Cicero pater in Marcum fratrē cum filio multa dixerat. de quo etiam paulo ante, Quintus auerssissimo à me animo Patris fuit. eodem Corcyra filius uenit.

325 Non committendum, ut etiam cum pacto prohibiti uideamur) Coniectura sum adductus, ut emendarem, Cōpacto prohibiti. sensus enim hic est, Occultè hinc uolo discedere, ne meā profectionem Cæsariani resciscant: nam id si accideret, suspicari Pōpeius posset accidisse me uolente, qui palàm profectus essem, ut impedirer. non committendū igitur est ut uidear cōpacto prohibitus. Cōpacto dixit, id est cōsulto, & dedita opera. qua uoce Plautus sæpe in hunc sensum usus est.

395 De Cæsare uicino, &c.) In monte Quirinali & Quirini templū erat, & Salutis ædes, Salutis auguriū dicta. cum autem in Quirini, statuam sibi poni Cæsar uoluisset, facēte ominatur Cicero, & ait eū σύνναον Quirini malo, quàm Salutis: id est Salutis in templo Cæsarē esse nolo, ut scilicet seruari ne possit: in Quirini uolo, ut ob tyrannidē, quemadmodū ille crudeliter à suis ciuibus occidatur. VICINO autē intelligit Attici, qui domum habebat in colle Quirinali, ab auunculo hereditatē relictam, ut in ipsius uita Nepos tradit.

421 Si Canum haberes) Canus hic qui sit ignoramus, nec alibi mentionem eius inuenimus. Fortè legi posset, Canium, ut sit Q. Gellius Canius Attici amicissimus, de quo in eius uita Cornelius Nepos.

448 Iterādum eadem iſta mihi) Vulgata lectio erat, Iterandum eadem iſta mihi. ego locum ex ingenio emendaui. ornatior enim & uſitatior locutio, Iteradum eadem,quàm Iterādum eadem. præterea uidetur eſſe hemiſtichiū ex ueteri poeta,cuius totum uerſum recitat Cicero Academicarum quæſtionum II,Age(inquit)adſta,mane, audi,iteradum eadem iſta mihi. Itaque etiam Tuſculanarum II, legeram potius Iteradum,quàm Iterandum. quod tamen alij animad uerterunt.

493 Scribis te magis delectari, O' TITE, SIQVID EGO)Totum hoc O' TITE, SIQVID EGO,ſcripſi literis grandiuſculis,ut intelligatur initium libri de ſenectute,cuius libri lectione ſe delectari, Atticus ſcripſerat.dicit enim,Te delectari O' TITE, SIQVID EGO,pro Te delectari libro,quē de ſenectute ſcripſimus,cuius eſt initium, O' TITE, SIQVID EGO. Sic etiam locutus eſt pagina 505, O' TITE, tibi prodeſſe lætor: id eſt, lætor,quòd ea quæ in libro de ſenectute ſcripſimus, tibi ad ferendam ſenectutem proſint.non enim aliū eius loci ſenſum puto eſſe:quanquam ſint qui aliter exiſtiment.

496 Teſtis utemur)Vetuſti codices ita planè habent. ſed alij mendoſum locum arbitrati,legendū putarunt, Tectis:ut de tectis nauibus intelligatur.ego antiqui exemplaris lectionem conſeruo, eámque opinor eſſe uerā, & incorruptam.Teſta enim nauicułæ genus eſt,ut lembus,cymba,phaſelus: forte à teſtæ ſimilitudine ſic appellata.eius meminit Iuuenalis ſatyra XV,Et breuibus pictæ remis incumbere teſtæ.

502 Legionem ſub ſignis ducere) In omnibus im-

*preſſis,legionem ſuis ſignis ducere.*Nos ex obſeruatione Latinarũ locutionum,quarum genera in uſum noſtrum notare conſueuimus,& hic,& alibi mendũ deprehendimus: legiones enim ſub ſignis ducere,& ſub ſignis habere,uetęres dicębant. Lucretius lib.V, At non multa uirũ ſub ſignis millia ducta Vna dies dabat exitio. Cicero in epiſt. fam. Legiones habeo quinque ſub ſignis. Et, Legiones ſub ſignis armatas tres. Et Liuius lib.III, Sub ſignis Vrbẽ mtrauere.Et lib. VIII,Sub ſignis alij XV.ordines locabantur.

506 Méque Torquati negotiolo ſiturum puto) Ita ſcriptum eſt in Caualcantis codice. locus reſtitui poterit una litera immutata,nempe ſi legas,negotiola.ſunt qui malint,actuariolo iturũ, uel,actuariolis iturũ.quã lectionẽ tũ probabimus,cũ in ueteri codice uiderimus.

509 Quintus tui patris nepos ſcribit ad patris mei nepotem)Hoc dicit. Quintus ſororis tuæ filius ſcribit ad filium meum.& circuitione,ut interdum ſolet,eos ſignificat.Hũc autem locum ex ingenio caſtigauit amiciſſimus meus, qui cum mihi in emendandis ueterum ſcriptis tanto ſit adiumẽto,quanto alius nemo: tamen qua eſt modeſtia,nominari ſe non patitur:ut mihi ipſe quodammodo uidear ingratus eſſe: quanquam beneficium qui memoria retinet,ingratus eſſe non poteſt.

539 Cuius tantam auctoritatem ſenatus,ac populus R.non ſolum eſſe patitur,ſed etiam cupit, quanta maxima in libera ciuitate eſſe poteſt.) Legebatur antea, quãta maxime.nos,maxima,caſtigauimus:eſt enim uſitatiſſima locutio, qua idẽ Brutus 557 uſus eſt, At (inquit) dolore,quantum animo maximum capere poſſum. Et Cicero de oratore I.Eloquẽtia tanta fuit,quan

tam illa tempora, atque illa ætas in hac ciuitate ferre maximam potuit. Et Celsus elegantissimus scriptor, Vt tumor, quãtus maximus esse potest, se ostendat. Et Liuius, & alij: quorum loca recitarem, si necessarium esse crederem: Ciçrone enim, & Celso qui grauiores latinitatis auctores desideret, neminem opinor esse.

543 In Pansæ locum petere constituit) Antiqua locutio: quam nemo hactenus agnouit: itaque in omnibus impressis legebatur, Is Pansæ locum petere constituit: durior enim loquendi modus uidebatur, In Pansæ locum petere: quem nos in libris rhetoricorum ad Herennium inuenimus. Lex (inquit) iubet Augurem, in demortui locum qui petat, in cõcione nominare. Augur quidam damnatus de pecunijs repetundis, in demortui locum qui petat, nominauit.

544 Octauũ principem) Ordinẽ in legione, ut primum principẽ, secundũ principẽ, & c. Liuius lib. XXVI M. Atilius legatus primi principis ex eadem legione.

558 Vindici quidem alienæ dominationis, non uicario, ecquis supplicat, ut optime meritis de Rep. liceat esse saluis?) Sensus est, Si, ut scribis, Octauius uindex est alienæ dominationis, qui Antonium à ceruicibus Reip. depulerit: non est ei supplicandũ, ut eos qui item de Rep. bene meriti sunt, uelit esse saluos. quod tu cum facis, eum esse non uindicem, & extinctorem tyrãnidis, sed uicarium planè confiteris. uindici enim alienæ dominationis, non uicario, ecquis supplicat, ut optime meritis de Rep. liceat esse saluis? Hic autem locus antea in omnibus impressis corruptè legebatur.

576 Lenitas in discernendo) Alij, decernẽdo. ego nihil mato. est enim hic discernere idem quod cognosce-

re & dijudicare,ut unicuique quod ſuum eſt,tribuatur.quo uerbo Cæſar eodem ſenſu uſus lib. VI,Si de finibus(inquit)controuerſia eſt,diſcernunt.

581 Græcis id quod acerbiſſimũ eſt, quòd ſunt uectigales,non ita acerbũ uideri debet, propterea quòd ſint imperio populi R. ſuis inſtitutis per ſe ipſi ita fuerũt.nomẽ autem publicani aſpernari non poſſunt,qui pẽdere &c.)Senſus,ut opinor,hic eſt,Aſia,cũ populi R.prouincia nondũ eſſet,Antiochi uectigalis erat.itaq; quòd uectigal(inquit)nobis pẽdat,queri non debet,cũ Antiocho antea pepẽderit. ac ne de publicanis quidem noſtris,cũ antea uectigal,quod ei Sylla æqualiter deſcripſerat,pẽdere ſine ſuo publicano nõ potuerit.quare cũ omnino aliquẽ eſſe publicanũ,uel Romanũ, uel Aſiaticum neceſſe ſit:cũ Aſiaticũ experta ſit non nimis lenẽ, nõ eſt quod de Romano,quaſi acerbiore queratur:qui datus ei ſit,poſtquam ſuo repudiato noſtrũ flagitauit.

586 Tanquã tertius actus) Nõ quòd in cõmœdijs actus tantummodo tres ſint , ſed quòd tertius annus adminiſtrãdæ prouinciæ quaſi tertius actus Quinto ſit:itaque nõ minus ei laborandũ eſſe in ultimo illo anno,quàm ultimo in actu laborare boni poetæ ſolẽt. Cõparat autẽ prouinciã theatro,cui tertiũ illum annũ quaſi tertiũ actũ eſſe uult, ut Quintus frater,tanquã actor egregius,laudem in extremo quãmaximã ferat. alij legunt,tanquã extremus actus.quæ mihi lectio minus probatur,quã quæ in noſtro libro,& in alijs quoq; eſt:uitã enĩ Quinti in prouincia,ſimiliter atq; actores in ſcena ſpectari dicit:& tres illos annos,quibus eã rexerit,quaſi tres actus eſſe:quorum tertiũ,non ſecus atq; actum,perfectiſſimũ,& ornatiſſimũ eſſe debere.

387 Altera est de Blandenio Zeuxide) Emendaui, Blaudeno: etsi in nostro libro nescio quo modo impressum est, Blaudenio. βλαῦδος, inquit Stephanus, ciuitas est in Phrygia, unde Blaudenus.

603 Nerio Pupinia) Nerius è tribu Pupinia fuit. ciues autem Romanos interdum à tribubus ostendi solitos, alibi diximus.

611 Sex. Celio) Forte, Sex. Clodio, qui his temporibus accusatus & absolutus est, paulo ante, quàm M. Celius accusaretur: ut ex oratione, quam pro eo Cicero habuit, cognoscitur: cum de eiusdem M. Celij iudicio paulo post agatur,

425 Decimus erat Celio dies) Quorum reorum nomen delatum erat, ij Prætoris edicto intra decimum diē iubebantur adesse. id ita fieri solitū, ex Asconio didicimus, qui in argumēto orationis pro Cornelio ita scribis, Cū P. Cassius Prætor decimo die, ut mos est, adesse Cornelium iussisset. Dies igitur (inquit Cicero) decimus erat Celio, cum scilicet eius agi causam oportebat: quæ ideo acta non est, quòd Domitius Prætor iudices ad numerū non habuit. ac scio fuisse, qui legendū crederent, Dictus erat Celio dies. qui cū Asconij locū uiderint, non dubito quin ueterē lectionem libentissime conseruent.

622 Philotimo tribulibus cōmendatis) Vt eis meo nomine ad spectandos ludos locū daret: moris enim erat ut amicis, & tribulibus & in circo, & in foro locus ad spectandū daretur. Vide in Oratione pro Murena.

623 Diphilum Diphilo tardiorem.) Erat enim Diphilus natura tardus. quem tamen multo, quàm antea, tardiorem sibi esse uisum Cicero scribit: quasi dicat, Diphilus se ipsum tarditate superauit.

FINIS.

Hd 1409
.L65

Cicero ad
atticum
brutum
fratres
EPISTO
LICAE
CVII.

Hd
1409